PROPRIUM OFFICIORUM

Fortiter viri fortes.
Psallite Regi nostro,
psallite sapienter.

(Vitæ Fratrum)

LITURGIA HORARUM

PROPRIUM OFFICIORUM
ORDINIS PRÆDICATORUM

AD NORMAM DECRETORUM
SACROSANCTI ŒCUMENICI CONCILII VATICANI II
INSTAURATUM

REVERENDISSIMI PATRIS
FRATRIS VINCENTII DE COUESNONGLE
EIUSDEM ORDINIS MAGISTRI
IUSSU EDITUM



EDITIO TYPICA

ROMÆ
AD S. SABINÆ 1982

Fratres exemplum sequantur sancti Dominici qui in domo et in itinere, die ac nocte, assiduus erat in Officio Divino et in oratione atque magna cum devotione mysteria divina celebrabat.

(LCO, n. 56)

SACRA CONGREGATIO PRO SACRAMENTIS
ET CULTU DIVINO

DECRETA

Ordinis Prædicatorum

I

Prot. CD 671/76

Libros liturgicos instauratos Liturgiæ Romanæ in usum accipere curavit Ordo Prædicatorum ad maiorem uniformitatem assequendam cum Ecclesia locali in qua eiusdem Ordinis communitates inveniuntur. Opportunum tamen visum est quædam elementa magis propria in textibus vel ritibus servare, utpote quæ peculiarem thesaurum traditionis liturgicæ constituunt, ad mentem principii de debito honore tribuendo Ritibus particularibus, a Concilio Vaticano II (Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 4) sollemniter statuto.

Sacra autem Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, utendo facultatibus sibi a Summo Pontifice PAULO Papa VI tributis, concedit ut elementa infra recensita, a Capitulo generali Ordinis Fratrum Prædicatorum indicata et a Magistro generali eiusdem Ordinis pro debita approbatione pro-

posita, litteris die 4 iunii mensis 1976 datis, servari et adhiberi valeant a Fratribus, Monialibus necnon Sororibus Ordinis Prædicatorum, attentis animadversionibus ab eadem Sacra Congregatione allatis.

Mens autem huius concessionis est, ut hæc elementa propria iuxta preces ad libitum adhiberi valeant, de iudicio singularum communitatum, attentis bono spirituali et profectu pastorali tum ipsius communitatis tum fidelium qui ecclesias Ordinis frequentare solent.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, die 25 iulii 1977.

IACOBUS R. Card. KNOX
Præfectus

A. INNOCENTI
a Secretis

II

Prot. CD 1590/77

Instante Reverendo Patre Antonino Abate, Ordinis Fratrum Prædicatorum Procuratore generali, litteris die 7 octobris 1977 datis, vigore facultatum huic Sacræ Congregationi a Summo Pontifice PAULO VI tributarum, textus Proprii Missarum et Ordinis Lectionum Missæ necnon textus Proprii Liturgiæ Horarum, lingua latina exaratos et huic Decreto adnexos, perlibenter probamus seu confirmamus.

In textibus imprimendis mentio fiat de confirmatione ab Apostolica Sede concessa. Eorundem insuper textuum impressorum duo exemplaria ad hanc Sacram Congregationem transmittantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, die 18 februarii 1978.

IACOBUS R. Card. KNOX
Præfectus

V. NOÈ
a Secretis a.

III

Insuper et alia Decreta nobis concessa fuerunt pro sequentibus elementis:

— 10 maii 1977 (Prot. CD 670/76): conceditur ut celebratio S. Ioannis Macias die 18 septembris gradu memoriæ obligatoriæ, et celebratio B. Raymundi a Capua die 5 octobris gradu memoriæ ad libitum, in Calendarium Ordinis inserantur.

Eodem die confirmantur Calendaria particularia ad usum Provinciarum Ordinis.

— 7 novembris 1980 (Prot. CD 998/80): confirmatur textus latinus Missarum Propriarum Beatorum Ordinis Fratrum Prædicatorum.

— 30 iunii 1981 (Prot. CD 1462/80): confirmatur textus latinus Proprii Liturgiæ Horarum SS.mi Nominis Iesu, Domini Nostri Iesu Christi patientis, Sanctæ Mariæ in sabbato necnon textus latinus Orationum super psalmos et cantica.

— 8 augusti 1981 (Prot. CD 2148/80): confirmantur alii textus latini ad Proprium O. P. perficiendum.

LITTERÆ PROMULGATIONIS

FR. VINCENTIUS DE COUESNONGLE

TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM
HUMILIS MAGISTER ET SERVUS
OMNIBUS FRATRIBUS MONIALIBUS ET SORORIBUS
CETERISQUE EIUSDEM ORDINIS SODALIBUS
SALUTEM IN DOMINO
ET IN DIVINO SERVITIO FIDELITATEM

1. ORATIONI ET PRÆDICATIONI instantes vos læto recolens animo, pergratum mihi est, dilectissimi, *Proprium Officiorum Ordinis Prædicatorum* typis editum vobis offerre, quod nuper probavimus[1].

Hic liber, qui Liturgiæ Horarum Ritus Romani supplementum exstat, Ordinis nostri « Proprium » continet una cum eiusdem liturgicæ traditionis elementis peculiaribus digne congrueque selectis[2].

2. Vita ipsa nostra dominicana expostulat ut in celebratione divinorum mysteriorum ferventes simus atque evangelicæ prædicationi totaliter dediti. Exinde est quod communitates nostræ in celebratione liturgica,

* Index siglorum et abbreviationum invenitur infra, p. 23.

[1] Cf. ACG 1974, n. 168.

[2] Cf. ACG 1974, n. 171; SCSCD, Decr. 25 iulii 1977, Prot. CD 671/76, ASOP 43, 1977, pp. 134-140.

maxime in Eucharistia, vinculum fraternæ communionis et apostolicæ nostræ missionis fontem præcipuum inveniunt[3].

I

Liturgia Horarum et Vita dominicana

3. Liturgia in qua Christi opus salutis adimpletur et per Ecclesiam perpetuatur, actualizatio simul est eiusdem verbi Dei, cuius integræ evangelizationi Ordo noster totaliter est deputatus[4].

Duplex hæc sed unica intentio Ordinem ipsum duxit in proprio instaurandæ liturgiæ nisu iuxta Concilii Vaticani II indicationes. Communis quidem laus et verbi Dei præconium, Ecclesiæ prex et Prædicatorum missio mutuas habent relationes[5], quas hodiernis temporibus pluris facimus, quæque vero — licet diversis sub formis — inde ab initiis Ordinis semper exstiterunt.

4. Nostra autem sequela Christi, secundum peculiare sancti Dominici charisma, in oratione communitaria sedulo renovanda nititur ut apostolatus nostri sollicitudines, difficultates et gaudia assumere valeat[6].

[3] Cf. LCO, nn. 3 § I, 59 § I, 105 § II; LCM, n. 82; ACG 1971, n. 128, p. 77; ACG 1974, n. 166, pp. 103-104; ACG 1980, n. 52, pp. 37-38.

[4] Cf. Honorius III ad omnes prælatos Ecclesiæ, die 4 februarii 1221, MOPH 25, p. 145.

[5] Cf. MO A. Fernández, « De adaptatione Ritus nostri ad Constitutionem liturgicam » [31 dec. 1964], ASOP 37, 1965, p. 75; ACG 1965, cap. IV « De re liturgica », n. 276, p. 123.

[6] Cf. LCO, n. 57; LCM, n. 80 § IV; ACG 1971, cap. IV « De sacra Liturgia », n. 128, p. 76; ACG 1974, cap. V « De

Idcirco communitates nostræ et unusquisque nostrum ad fidei maturitatem atque ad Evangelii contemplationem in integra eius totalitate adducuntur. In fontali quidem principio, ad loquendum cum Deo ut inde et de Deo efficaciter loqui possimus; in termino vero ut, Verbo salutis inhærentes, hominibus sociemur ad vitam offerendam Deo spiritale sacrificium[7].

5. Familia Dominicana, baptizatorum populi pars qui apostolico muneri mancipati ad Deum progrediuntur, in sodalium suorum diversitate (Fratrum, Monialium, Sororum et Laicorum) sicut et in eorum laborum varietate, vitam integro sensu apostolicam — forma quidem peculiari a sancto Dominico recepta — assumit[8].

Quibus in elementis ita inter se connexis, harmonice temperatis et mutuo se fecundantibus, oratio christiana — qua precatio universæ hominum communitatis, a Christo sibi coagmentatæ[9] — potissimam propriamque expressionem in Liturgia Horarum attingit. Quæ quidem ad universum Corpus Ecclesiæ pertinet

Liturgia et Oratione », n. 166, p. 104; ACG 1980, cap. IV, II. « De vita orationis, de liturgia, de contemplatione », n. 52, pp. 37-38.

[7] Cf. Rom 1, 9;12, 1;15, 16; Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium*, nn. 10, 34, AAS 57, 1965, pp. 14, 39; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum Ordinis*, n. 2, AAS 58, 1966, p. 991; LCO, nn. 1 § V, 105, 124; ACG 1980, n. 52, pp. 37-38.

[8] Cf. LCO, 1 § IV.

[9] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 83, AAS 56, 1964, p. 121.

illudque manifestat et afficit atque ad totius mundi salutem summopere cooperatur[10].

Utcumque arduo symbolizationis problemate in mundo hodierno afflicti, relationes veritatis et authenticitatis indesinenter instaurandæ sunt inter communitariam vitam et celebrationes ipsas, nostrarum communitatum natura ac diversitate perspecta[11].

Momentum communis nostræ orationis

6. Maximum igitur momentum tribuendum est quotidianæ et integræ Liturgiæ Horarum celebrationi[12], in intima cum Domini mysteriis et Sanctorum festis connexione. Itaque una cum Christo et Ecclesia communionem nostram ædificamus, Deum glorificamus, eius Verbum audimus, fidem nostram exprimimus, necnon sanctificationem diei totiusque activitatis nostræ consequimur.

Choralis et communis Divini Officii celebratio, ad quam Communitates astringuntur cuiusque modalitates in nostris Constitutionibus determinantur[13], iugiter ut

[10] Cf. *ibid.*, n. 26, p. 107; IGLH, n. 20; PAULUS VI, Const. Apost. *Laudis Canticum*, 1 nov. 1970, LH I, pp. 9-18.

Vide etiam: S. CYPRIANUS, « Publica est nobis et communis oratio, et quando oramus, non pro uno sed pro populo toto oramus, quia totus populus unum sumus » (*De dominica oratione*, n. 8, CSEL 3, p. 271; LH III, p. 282).

[11] Cf. ACG 1971, n. 128, pp. 75-76; ACG 1974, n. 166, p. 104; ACG 1980, nn. 52, 53-55, pp. 37-39.

[12] Cf. LCO, nn. 61, 62; LCM, n. 85 § I; ACG 1971, n. 128, pp. 76-77. Vide etiam: MO A. FERNÁNDEZ, « Relatio de statu Ordinis... », *ibid.*, p. 123.

[13] Cf. LCO, nn. 58-63; LCM, nn. 82, 85-87; ICLOP, nn. 2, 3, 4, 9, 11, 21, ASOP 43, 1977, pp. 160-163, 165. – SCRIS,

« vera et sollemnis celebratio » apud nos considerari et perfici debet[14]. In ipsa aliorum quoque fidelium participatio fovenda est.

Etsi in hac mirifica universitate Laudes matutinæ et Vesperæ excellentia quadam polleant, Officium lectionis haud parvi existimandum erit: ibi enim quædam syntesis spiritualitatis christianæ offertur, quæ valde ad æquilibrium interioris hominis fovendum inservit necnon et vividum alimentum nobis affert pro prædicatione[15].

Officium lectionis, pro opportunitate, diebus dominicis et sollemnioribus, formam Vigiliæ assumere poterit, vel etiam — modo quidem frequentiore pro communitatibus, exempli gratia, Monialium, quæ vitam contemplativam agunt — componi poterit iuxta complementares indicationes pro Liturgia Horarum allatas[16].

7. Proinde vi huius muneris Officium Divinum celebrandi, quod inde a principiis Ordinis ab Ecclesia accepimus, Ecclesiam orantem — qua membra ipsius Ordinis — specialius repræsentare debemus, etsi parva sit communitas adunata vel exiguis mediis disponat.

« Rescriptum quoad Officii divini recitationem » (italice) [31 maii 1969], ASOP 39, 1969, pp. 281-282; MO A. FERNÁNDEZ, « Litteræ de Officii Divini recitatione ad PP. Provinciales » [14 iun. 1969], *ibid.*, pp. 283-284.

[14] Cf. ACG 1971, n. 128, p. 76.

[15] Cf. ACG 1980, n. 53, c), p. 38. – Vide etiam: ACG 1971, n. 128, p. 76; IGLH, nn. 29, 55, 56.

[16] Cf. IGLH, n. 73; SCCD, Notificatio. *De Liturgia Horarum pro quibusdam Communitatibus religiosis*, 6 aug. 1972, *Notitiæ* 8, 1972, pp. 254-258; *ibid.*, 10, 1974, pp. 39-40 et ASOP 31, 1973, pp. 102-105.

Magna vero cum sinceritate nosmetipsos interrogare adhuc debemus utrum præsentia ad homines, quæ a missione nostra exigitur, revera sit nobis etiam spatium libertatis ad Deum attingendum, et utrum communio fraterna nos ad Patrem omnium ducat. Itaque Officium celebrabimus non sola legis observantia adducti, sed rei præstantia intima perspecta necnon convenientia pastorali et ascetica impulsi[17].

8. Liturgia, perfectæ Dei glorificationis et hominum sanctificationis opus, orationem et dimensionem contemplativam vitæ nostræ diversimode exigit et alit[18]. Omnis quidem celebratio vel Domini festum aut Sanctorum memoria suo modo manifestatio quædam est ac experientia " mirabilium Dei ". Quoniam fides nostra sicut et vita apostolica ac totum studium nostrum theologicum ad plenam et liberam adhæsionem Deo revelanti[19] trahuntur, qualitas ac intensitas omnis liturgicæ actionis eo melius attingentur quo nostra communis oratio ab illis " orationis secretæ " momentis excita-

[17] Cf. PAULUS VI, Const. Apost. *Laudis Canticum*, 1 nov. 1970, LH I, p. 17; ACG 1971, n. 128, p. 76. – Vide etiam: HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera de vita regulari*, ed. J.–J. Berthier, vol. II, Romæ 1889, p. 106.

[18] Cf. LCO, nn. 1 § IV, 3 § I, 40, 57, 66 § I, 83, 129, 142; LCM, nn. 1 § III et V, 3 § I, 7, 40 § I, 52 § II, 95 § II, 99, 103 § I, 113 § III, 125 § I, 126 § I, 129, 193, 214; ACG 1980, n. 52, pp. 37-38. – Vide etiam; SCRIS, Doc. *La dimensione contemplativa della vita religiosa* (Plenaria, marzo 1980), *Informationes SCRIS*, suppl. 1980, pp. 33-50 et ASOP 45, 1981, pp. 47-65.

[19] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, n. 5, AAS 58, 1966, p. 819; ACG 1971, nn. 128, 139, pp. 76, 84-85. — LCO, nn. 106 § I et II, 124 § I.

bitur, quæ sponte inde ab origine coluit Ordo quæque sancto Dominico et aliis Sanctis nostris adeo cordi erant[20].

9. Ad christianam conversionem exhortatio quæ in omni liturgica actione iteratur, in vita etiam quotidiana exprimitur, quæ ad mutuam reconciliationem et ad reciprocum adiutorium nos ducit atque ad illam lætitiam quæ ex vitæ communione promanat[21]. Vita et labor fratrum ac sororum, sicut et ipsarum Communitatum, rhythmicæ temporum successionis diei vel hebdomadæ vel anni veritate servata, ab Eucharistia, quæ cor est integræ vitæ liturgicæ, vim permanentis propriæ renovationis trahunt[22].

Ita nos, tam individualiter quam communiter, non tantum catechesim aptam invenimus pro vita authentica secundum Spiritum, sed alimentum quoque et incitamentum pro nostra contemplatione recipimus[23].

[20] Cf. LCO, n. 66; LCM, nn. 93, 94; ACG 1980, n. 52, pp. 37-38. Vide MOPH 16, n. 43, p. 163; HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera...*, II, pp. 91-93; M.-H. VICAIRE, *Histoire de S. Dominique*, Paris 1957, I, pp. 106-108, 312 sq.; II, p. 356.

[21] Cf. Act 2, 42-47; LCO, n. 2 § II; ACG 1974, n. 166, p. 103.

[22] Cf. CONC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et Spes*, n. 38, AAS 58, 1966, p. 1056; PAULUS VI, Adhort. Apost. *Evangelica testificatio*, 29 iun. 1971, n. 48, AAS 63, 1971, p. 521. – LCO, nn. 59 § I, 1 § VII, 105 § II; LCM, nn. 1 § V, 40 § II, 82; ACG 1971, n. 128, pp. 77-78; ACG 1974, n. 166, p. 103.

[23] Cf. CONC. VAT. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum Ordinis*, n. 18, AAS 58, 1966, p. 1018; PAULUS VI, Adhort. Apost. *Evangelica testificatio*, nn. 33-36, AAS 63, 1971, pp. 515-516; SCRIS, Doc. *La dimensione contemplativa della vita religiosa* (Plenaria, marzo 1980), nn. 14-16, *Informationes* SCRIS, suppl. 1980, pp. 41-43. – LCO, n. 39; LCM, n. 40 § I; ACG 1980, nn. 52, 3 et 53, a), pp. 37-38.

II

Sanctorum celebratio

Sanctorum communio et vita ecclesialis

10. His generalibus reflexionibus præmissis de Divini Officii momento pro nobis, expedit alias addere considerationes de cultu Sanctorum in Ordine. Per Baptismum in paschali Christi dynamismo incorporati, professio nostra religiosa facultatem nobis tribuit eius radicalitatem experiendi in fraternitatibus conventualibus, quæ ad conversionem et Evangelii servitium vocatæ agnoscuntur.

11. Hoc firmum certumque semper Ecclesiæ fuit, mysterii paschalis celebrationem, quod potissimum habet momentum in christianorum cultu quodque per dierum, hebdomadarum totiusque anni cursum explicatur, Sanctorum festis nuntiari ac renovari[24]. Prioritate vero tum festorum Domini supra Sanctorum festivitates tum cycli anni liturgici servatis, præstat hic huius affirmationis implicationes illustrare.

12. Sanctorum exemplaritas percipienda pariter ac vivenda est intra ambitum illius animationis quæ ab ipso divino Spiritu inducitur, quoniam vel infima alicuius Beati liturgica memoria illius actus nobis ante oculos ponit. In Sanctis autem christifideles per fi-

[24] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 104, AAS 56, 1964, p. 125; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium*, nn. 49, 50, AAS 57, 1965, pp. 54-57; Paulus VI, Litt. Apost. *Mysterii Paschalis*, 14 febr. 1969, II, *Missale Romanum*, ed. typ. altera 1975, p. 97.

dem agnoscunt non tantum exemplaria quantum Evangelii testes eximios. Intimius Christo coniuncti, ad eiusdem imaginem perfectius transformati, quoniam cum ipso quoque compassi sunt ideo et eiusdem gloriæ sunt facti cohæredes. Per multiformem Dei gratiam ad perfectionem provecti, perfectæ quoque laudi Christi Iesu associantur. Hi testimonium perhibent sanctitatis populi christiani, qui ad Deum constanter quærendum atque ad incrementum humanitatis in cunctis vitæ condicionibus promovendum vocantur[25]. Suis exemplis et fraterna intercessione Sancti in hac ipsa sanctitate Ecclesiam quoque confirmant[26].

13. In vita eorum Deus præsentiam suam nobis vivide manifestat; in eis Ipse signum Regni sui nobis præbet. Ecclesia evangelicorum testium Communitas apparet, tamquam locus in quo Deus vultum quoque suum revelat in vita illorum qui nobiscum consortes fuerunt humanitatis quique ad Christi imaginem perfectius sunt transformati[27]. Qua vero fratres nostri Sancti, per Christum et cum Christo, intercedunt pro nobis. Cum illis ergo conversatio ad augmentum nostræ disponibilitatis erga Dei voluntatem nos ducere debet. Communio cum illis omnes christifideles in eadem oratione et in eadem vita in Christo unit; ipsa hodiernam Ecclesiam cum Ecclesia omnium temporum coniungit nosque præparat ad Resuscitati adventum: « Marana tha », veni Domine[28]!

[25] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium*, n. 40, AAS 57, 1965, p. 44.
[26] Cf. *ibid.*, nn. 49, 50, 51, pp. 54-58.
[27] Cf. *ibid.*, n. 50, pp. 55-57.
[28] 1 Cor 16, 22.

Sanctorale Ordinis et eius patrimonium spirituale

14. Iuxta Ordinis traditionem, legislatio nostra fratres et sorores invitat ad amorem et venerationem, speciali quidem modo, erga Deiparam Virginem Mariam, atque erga Sanctos et Beatos Ordinis[29]. Quæ quidem exhortatio ditiorem præbet fecunditatem si in historia nostra collocetur, attentis quoque biblicæ, liturgicæ ac œcumenicæ renovationis inventis[30].

Magna Sanctorum Ordinis diversitas velut expressionem constituit, in tempore et in spatio tam humano quam ecclesiali, fecunditatis sancti Dominici charismatis, immo et arcanam præsentiam testatur indesinentis orationis ipsius, quæ sæculorum decursu Ordinem amanter prosequitur.

15. Vita Sanctorum eorumque opera cognitionem mentis vel actionis ipsorum appropriatam nobis præbent. Sanctorum vero Proprium aliquod, præ his, ad pleniorem experientiam nos ducit. In ipso enim cele-

[29] Cf. LCO, n. 67 § II et III; LCM, nn. 95 et 96.

[30] Cf. CONC. VAT. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 24, 33, 35, 51, AAS 56, 1964, pp. 104, 108, 109; Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, n. 21, 25, 26, AAS 58, 1966, pp. 827-830; Decr. de Activitate missionali Ecclesiae *Ad Gentes Divinitus*, n. 6, AAS 58, 1966, pp. 952-955; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum Ordinis*, n. 18, AAS 58, 1966, p. 1018. – « Praenotanda », *Lectionarium Romanum*, ed. typ. 1970, nn. 1, 5 et ed. typ. altera 1981, nn. 1-10, 70, 71; PAULUS VI, Adhort. Apost. *Marialis Cultus*, 2 febr. 1974, nn. 1, 8, 12, 14, 29-37, AAS 66, 1974, pp. 117, 122, 125-126, 141-149; IOANNES PAULUS II, Const. Apost. *Scripturarum thesaurus*, 25 apr. 1979, in *Nova Vulgata Bibliorum Sacrorum*, ed. typ. 1979, pp. V-VIII.

brationis actu, de Spiritus Sancti virtute in illis operante gratias agimus, ipsorum Sanctorum fidem vivam eorumque apostolicum fervorem participamus et ad servitium pro Regno Dei magis disponimur[31].

Memoriam Sanctorum aut Beatorum Ordinis agere est totidem sollicitationibus historiæ salutis nos iterum disponibiles præbere; est cum Thoma Aquinate vel Catharina Senensi Christum in sui mysterii profunditate conspicere; est cum Antonino de Firenze aut Columba de Rieti Evangelii pacem invenire in mundo operantem; sed est quoque cum Hyacintho de Polonia et Vincentio Ferrer, cum Ioanne de Colonia vel Martino de Porres ceterisque innumeris fratribus et sororibus Evangelium nuntiare et testificari omnibus hominibus usque ad extremum terræ.

Ex hoc ipso Sanctorum celebratio vitæ nostræ dominicanæ incrementum affert illudque iugiter promovet, peculiarem nostrarum communitatum indolem manifestat illamque efficit et alit.

Aspectus quidam cultus Sanctorum in oratione nostra

16. Præter textus pro celebrationibus Sanctorum quæ in Calendario Ordinis recensentur, hoc Proprium duo quoque *Officia votiva Domini* affert: unum Sanctissimi Nominis Iesu, alterum vero Domini Nostri Iesu Christi Patientis. Ista elementa aspectus quosdam vitæ Christi nobis præbent quos traditio nostra spiritualis cuiusque ætatis magni facit, vel attentis aliquibus historiæ Ordinis eventibus, vel pressius inspectis et sancti

[31] Cf. « Præfationes de Sanctis I et II », *Missale Romanum*, ed. typ. altera 1975, pp. 428-429.

Dominici et quorundam Sanctorum Ordinis peculiaribus modis contemplandi et exprimendi in ipsorum vita Domini mysterium. Hæc Officia in mentem nostram revocant fecunditatem vitæ Sanctorum ac nostræ provenire certissime ex intima semperque renovanda unione cum Christi mysteriis.

17. Elementa quoque peculiaria habentur ad marialem cultum spectantia, pro devotione quam erga Deiparam Virginem Mariam Ordo noster inde a suis exordiis habuit. Quæ cum Apostolorum sit Regina atque exemplum meditationis verborum Christi et docilitatis in propria missione[32], Ordo noster sibi complacet patronatum eius invocare quæ « fuit magnum adiutorium initiandi Ordinem... et speratur quod ducet ad finem bonum »[33].

Devotio erga Beatam Virginem in historia et in consuetudinibus nostris[34] diversis modis fuit expressa. Hodie vero una cum Ecclesia ad novam vocamur physionomiam inveniendam cultus marialis in Liturgia[35] atque ad renovandos usus iuxta illius indicationes.

[32] Cf. LCO, n. 67 § II; LCM, n. 95 § I.

[33] Cf. HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera ...*, II, p. 71, et infra, p. 594.

[34] Cf. A. DUVAL, « La dévotion mariale dans l'Ordre des Frères Prêcheurs », in H. DU MANOIR (ed.), *Maria. Etudes sur la Vierge*, t. II, Paris 1952, pp. 737-782. – G. DI AGRESTI, *La Madonna e l'Ordine Domenicano*, Padova-Roma-Napoli 1960.

[35] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium*, n. 67, AAS 57, 1965, pp. 65-66; PAULUS VI, Adhort. Apost. *Marialis Cultus*, 2 febr. 1974, AAS 66, 1974, pp. 113-168.

18. Optimo titulo Ordo noster specialem in honorem habet Rosarium ac festivitatem beatæ Mariæ Virginis sub hoc titulo invocatæ, quatenus meditatio mysteriorum evangelicorum in contemplationem ducit mysterii salutis in tota sua plenitudine[36].

Verba recolens beati Humberti de Romans[37], præter hoc festum atque memoriam eiusdem Virginis Patronatus supra Ordinem universum, Proprium *Officia beatæ Mariæ in Sabbato* novo afficit pretio, copiose ad fontes spirituales et liturgicos nostros attingens. In eorum pulchra varietate, ista formularia præbebunt Fratribus atque Monialibus et Sororibus — quarum nonnullæ domus vel magnus Congregationum numerus eidem Virgini Mariæ sunt dicatæ — elementa varia quæ ad marialem aspectum nostræ spiritualitatis alendum usui esse poterunt.

19. Textus huius Proprii magni facit fructus hodiernæ investigationis biblicæ atque reinventionis muneris Sancti Spiritus in cultu ac vita christiana. Hoc auxilii erit ad Sanctorum nostrorum physionomiam spiritualem plenius attingendam.

Maior habebitur attentio pro Sanctis qui universaliore pondere præstant in Ordine. Præ cunctis, fratres, sorores omnesque fraternitatum laicalium sodales veram devotionem et cultum fovebunt erga sanctum

[36] Cf. *ibid.*, nn. 46-51, pp. 155-160; LCO, nn. 67 § II, 129; LCM, n. 95 § II. – S. Orlandi, *Libro del Rosario della gloriosa Vergine Maria* (Studi e testi), Roma 1965.

[37] « ... cum studium nostrum totum sit ad magnum eius servitium et Filii sui » (Humbertus de Romans, *Opera...*, II, pp. 70-71).

Dominicum, «vitæ nostræ speculum»[38]. Elementorum diversitas quæ hic afferuntur possibilitatem id perficiendi plene tribuet.

20. In usu autem huius Proprii, ea discretione uti expedit quam Ecclesia commendat et quam ipsa structura huius libri manifestat, simulque de Communitatum bono habeatur cura[39] earundem originalitate spectata.

Distinctio inter Calendarium particulare pro universo Ordine et Calendarium particulare ad usum Provinciarum facultatem præbet ponderatam selectionem instituendi inter memorias ad libitum ex parte alicuius Provinciæ aut Communitatis vel ipsius celebrantis, attentis normis liturgicis seu orientationibus prædictis.

21. Præ mente demum habeatur Liturgiam ante omnia esse laudem, gratiarum actionem atque intercessionem, proindeque minime explere omnes orationis communis expressiones et formas[40]. Possibilitates quidem aliæ afferuntur vel inveniri possunt tum a singulis communitatibus tum a Familiæ Dominicanæ fraternitatibus pro veri nominis "catechesi" vel circa Sanctos et Beatos vel circa Ordinis spiritualitatem plenius tradenda.

[38] Cf. LCO, n. 67 § III; LCM, n. 96.

[39] Cf. IGMR, nn. 316, 319-320; IGLH, nn. 220, 246-252; ACG 1971, n. 130; ACG 1980, n. 52, 3. – ORDO PRÆDICATORUM, *Directorium pro Celebrationibus liturgicis*, Roma 1979, nn. 21-24, pp. 15-18.

[40] Cf. CONC. VAT. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 9, 12-13, 17, 118, AAS 56, 1964, pp. 101-103, 105, 129; Decr. de Institutione sacerdotali *Optatam totius Ecclesiæ*, n. 8, AAS 58, 1966, pp. 713-719; LCO, nn. 66-69, 124 § II, 187, 220 § I; LCM, n. 86, 95 § II, 103 § II, 107.

III

Præsentatio generalis novi Proprii O.P. eiusdemque promulgatio

22. His rite præfatis, præstat nunc ea, quæ ad novi Proprii rationem ordinationemque pertinent, synthetice exponere.

Opus totius Ordinis

23. Unanimi ac sollerti diversorum Familiæ Dominicanæ cœtuum collaboratione confectum, iuxta petitiones Capitulorum generalium et determinationes ab Ecclesiæ lege allatas[41], hoc Proprium revera dici potest «totius Ordinis opus». Quod quidem pulchre ostendunt et methodus et spiritus qui huic labori præsto fuerunt, diversa eiusdem laboris stadia, variæ peritorum commissiones quæ impigre adlaboraverunt ad ipsum, necnon præviæ consultationes in universo Ordine.

Inter peritorum cœtus, qui summa cum diligentia et navitate in hoc Proprio conficiendo adlaboraverunt, nominandi sunt Institutum liturgicum eiusque Præses, Postulatio generalis atque, inde a Capitulo generali apud Madonna dell'Arco celebrato (1974), Commissio specialis ex diversis orbis Provinciis constituta et Commissio parva redactionis, quibus onus incubuit hoc

[41] Cf. SCCD, Instr. *De Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis*, 24 iunii 1970, AAS 62, 1970, pp. 651-663. – ACG 1971, nn. 134, 136; ACG 1974, nn. 167, 168, 169; ACG 1977, n. 61; ACG 1980; nn. 55, 59, 60.

integrum perficiendi opus sub ductu Assistentis generalis ad hoc specialiter deputati. His omnibus recentiora Capitula generalia (1977 et 1980) gratias nomine Ordinis egerunt.

Physionomia generalis et peculiaritates huius Proprii

24. Introductio particularem ac structuralem præsentationem huius libri sufficienter infra præbet. Expedit tamen hic quædam singillatim exponere, quibus in lucem ponatur momentum huius editionis præcipuum.

a) Hoc Proprium magnas elementorum divitias affert, sive lectionum copia sive ceterorum elementorum varietate seligendique ampla facultate. Liber quidem celebrationum ut fontem quoque vivum se præbet pro repetendis maioribus momentis historiæ spiritualis Ordinis eiusdemque actualitatem percipiendi atque apostolicæ sanctitatis dimensionem fructuose manifestandi.

b) Euchologia, in orationibus præsertim, sed et in precibus et benedictionibus, funditus renovata est. Salva fidelitate erga singulorum sanctorum monita ad conversionem, expressiones quædam vigilanti cura adhibitæ sunt quæ novissimi Concilii ecclesiologiam sapiunt illique magis cohærent, tunc præsertim cum de relationibus agitur Ecclesiæ ad mundum.

c) Appropriata selectione ex nostris libris aliisque gregorianis repertoriis, diligens quoque cura adhibita est ut semper possibilitas tribueretur afferendi elementa quædam pro cantu.

Temporalis elementa et Libellus precum

25. Licet Ordo noster Liturgiam Horarum romanam adoptaverit, quædam tamen elementa traditionalis Ritus proprii [42] servare non destitit. Hi textus seu ritus, qui cum orientationibus et structuris Institutionum Missalis Romani et Liturgiæ Horarum cohærent, Sedis Apostolicæ confirmationi rite subiecti fuerunt.

Ad Officium autem et Annum liturgicum quod attinet, quædam traditur organica selectio, sub forma *Thesauri liturgiæ O.P.*, debite quidem instaurata. Completorii vero elementa ita typographice eduntur ut autonoma ratione adhiberi possint.

26. Quantum vero ad illas preces attinet, quæ in *Supplemento III* afferuntur, quæque a Libello precum Ordinis proveniunt, meminisse præstat nostros libros liturgicos officiales — Breviarium etiam et Missale — quasdam sectiones attulisse, in quibus fines inter orationem liturgicam et non liturgicam haud raro indistincti exstabant. Hi quoque textus obiectum fuerunt attentæ revisionis et novæ editionis. Alii item textus, qui digni habiti sunt ut in hanc sectionem includantur, sunt adiecti. Quamvis autem ista pars ad Liturgiam Horarum non pertineat, ipsa tamen reali momento spirituali pollet atque aptitudine ad stimulandam et

[42] Cf. ACG 1968, n. 58; ACG 1971, n. 135; ACG 1974, n. 171; SCSCD, « De elementis peculiaribus Ritus O.P. », Decr. 25 iul. 1977, Prot. CD 671/76, ASOP 43, 1977, ad. nn. 1-30, pp. 138-140. – ASOP 43, 1977, pp. 193-275; *Notitiæ* 14, 1978, pp. 334-417, 463-489.

alendam orationem [43] sive personalem sive cœtuum coadunatorum universæ Familiæ Dominicanæ.

Versiones Proprii O.P. in linguam vernaculam conficiendæ

27. Labor versionis et aptationis huius Proprii O.P. sub Provincialium, ad quos spectat, responsabilitate peragendus est, vel unius Provincialis, ad hoc deputati, quando agitur de Commissione interprovinciali, pro Provinciis eiusdem linguisticæ regionis.

In perficiendo autem hoc labore, attendendæ erunt normæ seu indicationes ab Apostolica Sede allatæ, vel a Conferentiis Episcopalibus traditæ circa hanc materiam, necnon et indicationes Magistri Ordinis iussu redactæ [44] una cum illis quæ evocatæ inveniuntur in Introductione huius libri.

Versiones Proprii approbatione Magistri Ordinis et Apostolicæ Sedis confirmatione indigent [45]. Magistro igitur Ordinis sunt mittendæ ut, diligenti examine peracto allatisque forte occurrentibus emendationibus, rite ab ipso approbentur antequam ad Sacram Congregationem pro Sacramentis et Cultu Divino transmittantur pro confirmatione.

[43] Cf. ACG 1980, n. 61, p. 40.

[44] Cf. V. ROMANO, « Indicationes quædam pro adaptatione Proprii liturgici O.P. a Provinciis perficienda » [24 iunii 1978], ASOP 44, 1979, pp. 13-30.

[45] Cf. SCSCD, « De Calendariis particularibus atque Missarum et Officiorum Propriis recognoscendis »; *Notitiæ* 10, 1974, pp. 87-88; *ibid.* 13, 1977, pp. 557-558. – V. ROMANO, « Indicationes quædam... », n. 7, p. 16.

Promulgatio Proprii O.P.

28. Itaque novum Proprium Ordinis habemus diversis decretis [46] a Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino rite confirmatum. Hanc ideo eiusdem Liturgiæ Horarum O.P. editionem, lingua latina exaratam sub titulo *Proprium Officiorum Ordinis Prædicatorum* in toto ac in omnibus suis partibus typicam declaro eamque his litteris promulgo, utpote confectam iuxta normas Constitutionis Apostolicæ *Laudis Canticum*, *Institutionis generalis Liturgiæ Horarum* et structuram ipsius *Liturgiæ Horarum*, præcipiens ut tam in originali latino quam in legitimis versionibus adhibeatur ab omnibus qui ad normam iuris servare tenentur Calendarium Ordinis.

29. Ordini tradens hoc Proprium, non modica spes mihi affulget fore ut ipsum magnum adiutorium evadat ad renovandam orationem et vitam spiritualem in nostris Communitatibus, ad pleniorem haustum ex nostra dominicana traditione fovendum atque ad vividiorem conscientiam nostræ apostolicæ missionis assequendam.

30. Ita communitates O.P. et fideles secundum humanam condicionem, culturam vel apostolicam intentionem diversi, in unum congregati ad mysterium paschale perficiendum in celebratione anni liturgici et cultus Sanctorum, actu sunt « Ecclesia celebrans », licet condicionibus loci et temporis circumscripta. In ipsa Christus munus sacerdotale exercet, scilicet « hu-

[46] Cf. SCSCD, Decr. 18 febr. 1978, Prot. CD 1590/77, supra, p. vi et alia Decreta p. vii.

manæ redemptionis et perfectæ Dei glorificationis opus », et Spiritus Sanctus " epiclesin " operatur quæ, in cœtu ipso liturgico, efficit ut Communitates nostræ, secundum charisma nobis proprium dynamice perficiant ministerium Ordinis, idest Verbi Dei prædicationem.

« Commendo vos omnes et singulos gratiæ Salvatoris et gloriosissimæ Matris eius advocatæ nostræ » exoptans ut Ipsa, quæ inde ab exordiis « Ordini adfuisse creditur et plurimum profuisse » [47], nunc quoque precibus sancti Patris Dominici apud Filium suum intercedat, ut qui una professione eodem Evangelii pacis servitio mancipamur, eodem et in cælis lætemur cantico laudis, in communione Sanctorum.

Datum Romæ, e Curia nostra generalitia, die 7 mensis novembris, in festo Omnium Sanctorum O.P., anno Domini 1980.

Fr. Vincentius DE COUESNONGLE, O.P.
Magister Ordinis

Prot. N. 66/80/1529 – IT

Fr. Vincentius ROMANO, O.P.
Assistens generalis
promotioni Vitæ orationis et Liturgiæ
in Ordine deputatus

[47] Cf. HUMBERTUS DE ROMANS, « Epistolæ ex Capitulis generalibus ad Ordinem scriptæ » [an. 1255], *Opera...*, II, p. 494.

INTRODUCTIO GENERALIS

Psalmis et hymnis
cum oratis Deum
hoc versetur in corde
quod profertur in ore.

(Regula S. Augustini)

PROŒMIUM *

1. « In unione cum tota Ecclesia », Prædicatorum Ordo vocatur, vita liturgica, ad Deum glorificandum et ad intercessionem pro hominibus ad quos missus est exprimendam.

Magistri Ordinis litteræ promulgantes hoc *Proprium Officiorum O.P.*[1], iuxta orientationes Concilii Vaticani II et Sacræ Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino[2] instauratum, sensum etiam atque momentum Liturgiæ Horarum in universa vita dominicana, iuxta nostrorum Capitulorum generalium ordinationes et indicationes exponunt.

Præsens documentum pariter cultus Sanctorum vim in Ecclesia et pro Familia Dominicana evocans, exponit quomodo Ordo noster relate ad ipsam renovationem liturgicam se gesserit.

2. Liturgiam Horarum iuxta Ritum Romanum excipiens, Ordo Prædicatorum *Institutionem* quoque *generalem de Liturgia Horarum* plene assumpsit[3]. Quod quidem insigne documentum clara luce affert thesauros spi-

* Index siglorum et abbreviationum invenitur infra, p. 23.

[1] Cf. MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Orationi et Prædicationi*, 7 nov. 1980, pp. IX-XXVIII.

[2] Cf. CONC. VAT. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium* [SC], nn. 4, 23-25, 30, 33-40, 88-93, 98-101, 104, 107-108, 111, 113, 125. — Infra, p. LXXI.

Vide: SCCD, « De Missali Romano et novo Calendario pro O.F.P. » [Decr., 2 iun. 1969, Prot. n. 98/69] (ASOP 39, 1969, pp. 250-251); MO A. FERNÁNDEZ, « Litteræ ad PP. Provinciales quoad Calendarium Divini Officii Missæque celebrationem » [12 iun. 1969] (*ibid.*, p. 285) et infra, notam 7.

[3] Cf. ACG 1971, nn. 129, 130, 132, 134, pp. 78-79.

Vide etiam: « Præsentatio textuum novarum Constitutionum ab unoquoque diversarum Commissionum Præside [A. D'AMATO, "III. De S. Liturgia et Oratione"] », ASOP 39, 1969, pp. 36-38; ACG 1968, n. 58, p. 42; SCRIS; « Rescriptum quoad Officii Divini recitationem » [31 maii 1969], ASOP 39, 1969, pp. 281-282; MO A. FERNÁNDEZ, « Litteræ de Officii Divini recitatione ad PP. Provinciales » [14 iun. 1969], *ibid.*, pp. 283-284; SCCD, « De Officio Divino denuo instaurato » [Decr., 7 oct. 1971, Prot. n. 1725/71], ASOP 40, 1971, p. 231.

ritualis doctrinæ, relate ad celebrationem Horarum Officii Divini.

Principia generalia de Liturgia Horarum Ritus Romani tradens, Institutio hæc cunctis Familiis religiosis necnon et omnibus communitatibus orientationes insimul et practicas dynamicasque normas pro celebratione præbet. Indicationes etiam affert ad structuras liturgicas intellegendas et ad textuum rituumque instaurationem moderandam.

3. *Proprium Officiorum O.P.* exemplar habet in Liturgia Horarum Ritus Romani cuius est Supplementum. In ipso tamen ad maximum adhibita est possibilitas novandi atque instaurandi ab *Institutione generali* allata. Insimul considerantur variæ experientiæ precationis, quæ pro renovatione liturgica in multis nostris Communitatibus peractæ sunt [4]. Quod ipsi structuram potissimum locupletatam tribuit, quæ pro aliquibus quidem partibus autonoma est iuxta traditionem nostram.

Textibus Liturgiæ Horarum, qui orationem exprimunt Ecclesiæ latinæ, textus adiunguntur *Proprii Officiorum O.P.*, orationis et celebrationis tradentes experientiam quæ, in communione ecclesiali, formam habet propriam quæque incrementum habuit et habere potest iuxta modos rationesque suas.

4. Hoc valet in primis de « Cultu Sanctorum », de ratione nimirum qua communitates nostræ in liturgia celebrant et in praxim ducunt ac vivunt, una cum festis Apostolorum, martyrum et sanctorum Calendarii Romani generalis, memoriam Sanctorum vel Beatorum Calendarii particularis Ordinis.

[4] Cf. ACG 1965, nn. 316, 318, p. 140; ACG 1968, nn. 57, 61, pp. 42-43; MO A. Fernández, « Relatio de statu Ordinis ... », *ibid.*, p. 85; Id., « Informatio ad Consilium generalitium extraordinarium [oratio et liturgia] » [31 mart. 1970], ASOP 39, pp. 551-552; Id., « Relatio ... », ACG 1971, pp. 122-123; ACG 1974, n. 166, p. 104; MO V. de Couesnongle, « Relatio ... », ACG 1977, pp. 155-156.

Cf. MO A. Fernández, « Litteræ pro applicatione Instructionis de Calendariis atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis » [6 oct. 1970], ASOP 39, 1970, pp. 646-647 et ASOP 40, 1971, pp. 57-58; Id., « Litteræ de ordine Divini Officii Missæque celebrandæ » [5 mart. 1971], ASOP 40, 1971, p. 59.

Hoc valet etiam de anno et celebrationibus liturgicis. Etenim Ordo Prædicatorum, qui peculiarem traditionem liturgicam habet, adoptans Ritum Romanum instauratum, retinere studuit, secundum Constitutionem liturgicam *Sacrosanctum Concilium* [5] et Capitula generalia [6], elementa vere peculiaria liturgiæ propriæ. Renovatio exinde promanavit quæ indoli propriæ congruit cœtuum liturgicorum (conventuum Fratrum vel communitatum Sororum, monasteriorum Monialium) necnon participationi fidelium et condicionibus mundi huius temporis.

5. Considerationes quæ sequuntur neque repetere neque summatim exponere volunt quæ optime leguntur in *Institutione de Liturgia Horarum* vel in Litteris promulgationis Magistri Ordinis.

Minime adhuc constituere intendunt systematicam synthesim de celebratione liturgica Officii Divini vel etiam festorum et memoriarum Sanctorum, sed simpliciter introductionem esse qua rationes exponantur et methodus adhibitæ in editione typica *Proprii Officiorum O.P.* conficienda. Sunt etiam velut prænotanda quæ illustrent quæstiones theoreticas vel aspectus ecclesiales et mystericos a textibus vel ritibus derivantes.

I

INTENTIO ET INDOLES HUIUS NOVI PROPRII

6. Quæ hic generaliter traduntur de hoc Proprio O.P., in eius relatione cum traditione liturgica, historica, theologica et spirituali Ordinis, ad meliorem intellegentiam ducunt rationum quæ ad hanc editionem perduxerunt.

Opus totius Ordinis

7. Confectio huius Proprii plures annos exegit intensi laboris ut ad effectum deduceretur.

[5] Cf. *ibid.*, n. 4; 3, 36, 38 , 87, 101, 123. MO A. Fernández, « Litteræ de Sacra Liturgia » [Prot. N. 7-64], ASOP 36, 1964, pp. 404-405; Id., « De adaptatione Ritus nostri ad Constitutionem liturgicam » [31 dec. 1964], ASOP 37, 1965, pp. 75-82.

[6] Cf. ACG 1968, n. 58, p. 42; ACG 1971, n. 135, p. 79; ACG 1974, nn. 166, 170-172, pp. 104, 106. — Vide etiam ASOP 43, 1977, pp. 193-275; *Notitiæ* 14, 1978, pp. 334-417; 463-489.

Unanimi ac sollerti diversorum Familiæ Dominicanæ cœtuum collaboratione curatum, hoc Proprium revera dici potest « totius Ordinis opus ». Quod quidem pulchre ostendunt et methodus et spiritus qui huic labori præsto fuerunt. Ex chronica ceterisque Ordinis documentis satis comperta sunt diversa eiusdem laboris stadia [7], variæ peritorum commissiones quæ adlaboraverunt ad ipsum una cum aliquibus Monialibus et Sororibus Familiæ Dominicanæ, necnon præviæ consultationes in universo Ordine.

8. Iuxta has consultationes et orientationes Commissionum liturgicarum Capitulorum generalium [8] necnon iuxta plurium Communitatum petitiones hoc Proprium aliquid sibi proposuit ad vitandum nimiam uniformitatem vel simplicem recursum ad Commune; ad profundius perscrutandum mysterium Christi in Ecclesia, uberem Sancti eius Spiritus actionem in sanctis et beatis Ordinis nostri fideliter ac devote contemplando; ad spiritum religiosæ nostræ professionis vividius percipiendum et efficacius promovendum in medio nostrum; ad multiforme charisma Ordini proprium late intuendum atque ad vocationis et missionis nostræ comprehensionem plenius assequendam.

[7] V. Romano, « De "Proprio Ordinis Prædicatorum" nuper recognito et Apostolicæ Sedi subiecto pro approbatione » [13 oct. 1977], ASOP 43, 1978, pp. 479-491; pluresque indicationes in ASOP 43, 1977, pp. 277-306.

MO A. Fernández, « Litteræ ad instituendam Commissionem de re liturgica », ASOP 40, 1972, p. 367; Id., « Institutio parvæ Commissionis de re liturgica [Præs.: A. D'Amato] » [18 apr. 1973], ASOP 41, 1973, p. 106; Id., « Litteræ ad Priores Provinciales de re liturgica » [26 dec. 1973], ASOP 41, 1974, p. 339; Commissio specialis de Liturgia, « Elementa peculiaria Ritus nostri » [10 nov. 1973], *ibid.*, pp. 340-345; MO A. Fernández, « Relatio de statu Ordinis ... », ACG 1974, p. 193. A 1975 ad 1977 vide chronologiam in ASOP 43, 1977, pp. 301-306.

[8] Cf. ACG 1971, nn. 130-134, 136, pp. 78-79; *Calendarium generale Ordinis*, pp. 113-114; ACG 1974, nn. 167-169, pp. 105-106; *Calendarium particulare* [*O.P.*], pp. 200-202; ACG 1977, n. 61, p. 41; ACG 1980, nn. 55, 59, 60, p. 39.

Quædam particularia de methodo

9. Scientifica methodo labor confectus est, diligenti quoque investigatione atque ampla consiliorum collatione adhibita; speciali quadam sollicitudine præ oculis habiti sunt novi libri liturgici, Propria etiam aliarum religiosarum Familiarum, in eorum dynamismo, quod Institutiones ipsis tribuunt.

10. Iudicia circa varia elementa particularia expressa sunt a criteriis internis procedendo usque ad liturgicas structuras, ratione quoque habita principii organicæ evolutionis formarum orationis nostrarum iuxta maiora dictamina Conciliaris Constitutionis [9].

11. Ut explicite quæsitum fuerat a quibusdam Ordinis Provinciis, de antiquis formulariis in usum receptis semper examen criticum ac probum peractum est. Quæ ipsorum partes pro eodem Officio retineri potuerunt, retentæ sunt. Quæ vero illo loco vel tali usui minus appropriatæ agnoscebantur, ad alia Officia translata sunt, ubi liturgicum et litterarium ipsarum genus id suadebat.

12. Sacra Scriptura eiusque usus liturgicus diligenti cura considerata sunt [10].

a) Dei Verbi præstantiam in sacra Liturgia rite agnoscendo, in seligendis Sacræ Scripturæ textibus pro Lectionibus diligens studium adhibitum est ad quoddam æquilibrium assequendum inter omnes sacrorum librorum partes, ratione quoque habita illas præferendi partes quæ minus frequenter in usum veniunt.

b) Diligens studium comparationis et harmonizationis adhibitum est inter lectiones biblicas Officiorum propriorum et Missarum ita ut similitudines vel repetitiones vitarentur.

[9] Cf. SC, nn. 4, 21, 23, 40, 43 (EDIL, pp. 2, 7, 11); SRC, Instr. *Inter Œcumenici*, 26 sept. 1964, n. 45 (EDIL, n. 243); « Consilium », Epistula ..., 21 iun. 1967, art. 4 (*ibid.*, n. 979).

[10] Vide « Consilium », Instr. *De interpretatione textuum liturgicorum*, 25 ian. 1969, nn. 30-32 (EDIL, nn. 1229-1231); *Ordo lectionum Missæ*, « Prænotanda », ed. typ. altera 1981 (*Notitiæ* 18, 1981, pp. 357-462).

Practicitati et œconomiæ consulendi causa, hac in editione Supplementi O.P. ad Liturgiam Horarum, lectiones priores breviores sunt, sed in adaptationibus opportune longiores reddere fas erit.

c) Pro aliis partibus, vero, ut sunt antiphonæ etiam ad Benedictus et ad Magnificat, versiculi et responsoria, generatim magna moderatio adhibita est in referendis textibus directe ad Sanctos, quamvis Liturgia Horarum in hoc flexibilior sit quam de more existimetur.

d) Veruntamen, consiliis cum peritis collatis, æquilibrium quæsitum est inter antiphonas unice biblicas et alios textus, qui ab historicis documentis inspirationem trahunt; inter responsoria quæ ex Sacra Scriptura derivantur et alia quæ Sanctorum figuram propius evocant.

13. In seligendis vel componendis textibus vel in formulariis definiendis præ mente habiti sunt diversæ communitates vel cœtus quibus Ordo universus coalescit. Cuius amplitudo et complexa varietas spectanda est pro ipsorum eiusdem Ordinis cœtuum diversitate; quorum omnium vitæ et apostolici muneris exigentiis peculiaribus, qua par erat sollicitudine satisfactum fuit.

Natura universalis Ordinis

14. Ne nimia fortasse videatur tanta huius Proprii O.P. elementorum copia atque varietas, hæc considerare oportet.

Cum Ordo Prædicatorum « ad omnes gentes missus sit, in unione cum tota Ecclesia, characterem habet universalem »[11] atque pluribus diversisque inter se cœtibus coalescit: « ex Fratribus — nimirum — clericis et cooperatoribus, Monialibus, Sororibus, sodalibus Institutorum sæcularium atque Fraternitatum sacerdotum et laicorum »[12].

Ad omnes istos, in dissitis quidem diversisque orbis regionibus dispersos, novum Proprium O.P. destinatur illisque inservire intendit, peculiarem necessitudinem habens ad omnes.

[11] LCO, n. 1 § VI.
[12] *Ibid.*, n. 1 § IX.

Hinc tot investigationum tentamina, tot ipsorum Ordinis cœtuum consultationes; hinc tanta pro multiplicibus emergentibus exigentiis attentio et nisus illis satisfaciendi pro posse.

Etenim non de alicuius diœceseos, vel unius Provinciæ aut particularis regionis Ecclesiæ necessitatibus providendum fuit, sed universi Ordinis Prædicatorum toto orbe diffusi; cuius amplitudo et complexa varietas intrinsecus consideranda est.

Calendarium liturgicum Ordinis

15. Iuxta generales determinationes iuris communis [13] et petitiones nostrorum Capitulorum generalium [14], Calendarium Ordinis celebrationes nostras cum cyclo liturgico generali harmonice componere nititur, duplicem sequens indicationum fontem: *Calendarium particulare pro toto Ordine* et *Calendarium particulare ad usum Provinciarum O.P.*[15]. Sanctorum quidem memoria, iuxta facultatem a Sede Apostolica Ordini nostro concessa, celebrari potest sive in communi — modo pro unaquaque Provincia statuto et rite probato vel a Capitulo conventuali determinato [16], — sive privatim, ad libitum, iuxta generales rubricas [17].

Dies celebrationis Calendarii ad usum Provinciarum indicatur pro universis Provinciis Ordinis, determinationibus iuris liturgici servatis. Interdum, tamen, rationibus pastoralibus vel regionalibus, præsertim locis ubi corpora Beatorum asservantur, Calendaria unius vel alterius Provinciæ servare tenentur dies a diœcesibus vel a regionibus statutas, altiore tamen gradu liturgico servato [18].

[13] Cf. CP, nn. 1-6 (EDIL, nn. 2094-2099).
[14] Cf. supra, notam 8.
[15] Cf. SCCD, « De Calendario Ordinis Prædicatorum » [Decr., 25 nov. 1971, Prot. CD 1860/71], ASOP 40, 1971, pp. 297-298; SCSCD, « Calendarium particulare ad usum Provinciarum O.P. probatum seu confirmatum » [Decr., 1° maii 1977, Prot. CD 670/76], ASOP 43, 1977, pp. 91-93.
[16] Cf. ACG 1971, n. 130, p. 78.
[17] Cf. IGLH, nn. 243, 244-252; IGMR, nn. 313-323, 326-341.
[18] Cf. MO A. FERNÁNDEZ, « Relatio de statu Ordinis ... », ACG 1974, p. 193. — Cf. CP 17b et 25; CR 53c-54.

16. Hoc Proprium elementa præbet celebrationum sanctorum atque sanctarum, beatorum atque beatarum Calendarii Ordinis. Pro memoriis vero ad usum Provinciarum, tantum notitiam hagiographicam orationemque affert, curam relinquens Propriis Provinciarum vel proximo Lectionario ad libitum alia elementa, lectiones vel antiphonas proponendi.

Qua de causa varietas elementorum

17. Varietas elementorum quæ in hoc libro sunt proposita pluribus respondet rationibus [19]: in primis, desiderio vultum cuiusque Sancti patefaciendi omnibusque illum præbendi; item ut vitaretur repetitio monotona textuum vel formularum de Communi; sed et potissimum ad legitimam omnium eligendi libertatem tuendam necnon ad unitatem spiritus in diversitate servandam.

18. Exorta inde elementorum copia taliter disposita est ut pro singulis Officiis apta selectio fieri possit, attenta destinatione uniuscuiusque elementi.

Aliæ autem rationes, in seligendis elementis, structuris liturgicis vel cantu adhibitæ, infra evocantur, præsertim in altera parte huius Introductionis [20].

II
PROPRIUM DE SANCTIS

19. Proprium igitur Sanctorum, ut par est, huius libri præcipua pars exstat [21].

A) Ordo generalis

Dispositio huius partis

20. Invenientur in hac sectione omnia Officia nobis propria, a mense ianuarii usque ad mensem decembris, rite disposita modo infra descripto [22].

[19] Cf. MO V. de Couesnongle, Litt. prom., *cit.*, nn. 14-15, p. xviii et supra, « Introductio », nn. 9-13.
[20] Cf. infra, « Adnotationes complementares », p. 3.
[21] Infra, pp. 33-628.
[22] Cf. « Introductio », nn. 22-24.

Celebrationibus Calendarii Ordinis universi, adiunctæ sunt aliquæ Calendarii Romani generalis sollemnitates (Annuntiationis Domini, Assumptionis B.M.V., Omnium Sanctorum, Immaculatæ Conceptionis B.M.V.), sive pro particulari coniunctione cum traditione nostra sive pro elementis liturgicis peculiaribus a libris nostris desumptis.

21. Hac in eadem sectione Proprii *de Sanctis* locum habent etiam duo Officia votiva Domini Nostri Iesu Christi, plura Officia beatæ Mariæ Virginis in sabbato, quorum orientatio spiritualis a Magistro Ordinis illustrata est [23], quæque infra describuntur [24].

Appendix de Sanctis [25] elementa præcipua pro festis sollemnioribus præbet: Orationes psalmicas, Cantica et Evangelia, Responsoria prolixa. Harum formularum copia et insimul earum indoles, quæ ad libitum proponuntur, suggessit ut partialem haberent autonomiam, eas in Appendice collocando: in singulis tamen Officiis hæc elementa semper indicantur.

Gradus celebrationum

22. Celebrationes sanctorum et beatorum Ordinis nostri rite inter se distinguuntur et nominantur: *Sollemnitas, Festum, Memoria.* Memoriæ vero sunt aut obligatoriæ aut ad libitum, et earum celebratio, cum feria occurrente componenda, semper suo loco exprimitur, præterquam pro Beatis Calendarii particularis ad usum Provinciarum, quorum memoria de se est ad libitum.

23. Gradu diei servato et uniuscuiusque Horæ ordinatione generali spectata, in quibusdam casibus particularibus seligi possunt formularia diversa ab his quæ occurrunt [26] et celebrari potest sive in toto sive ex parte

[23] Cf. nn. 16-18, pp. XIX-XXI.
[24] Cf. infra, nn. 48-56 et Notitias parvas, pp. 547, 559.
[25] Infra, pp. 629-670.
[26] Cf. IGLH, nn. 244, 246-252. — Vide etiam: « Promptuarium rubricarum pro celebrationibus ordinandis », in: ORDO PRÆDICATORUM, *Directorium pro celebrationibus liturgicis*, Roma 1979, pp. 29-36.

aliquod Officium votivum [27]. Proprii cuiusque Temporis præcellentia iusto honore habita et debita discretione servata, « commemoratio » aliqua effici potest pro aliquibus celebrationibus vel anniversariis [28].

24. Nonnumquam, prout suo loco indicatur, textus Proprii O.P., de consensu Sedis Apostolicæ [29], suadet ut antiphonæ propriæ Memoriis accommodatæ cum psalmis ferialibus adhibeantur, dierum gradu et quarundam feriarum eminenti dignitate servatis.

B) Singula elementa formulariorum

Summarium vitæ

25. Initio cuiusque Officii proprii, invenitur propria de unoquoque Sancto vel Beato « parva notitia biographica », ad mentem *Institutionis generalis de Liturgia Horarum* [30].

Ut in aliquibus Propriis quarundam Familiarum religiosarum vel Diœcesium, hæc summaria vitæ ampliore ratione exarata sunt ac redacta iuxta adinventiones criticæ historicæ nostri temporis adlaborante Postulatione generali Ordinis [31].

Plurium votis ita satisfactum est, disponendi nempe peculiari alimento non solum ex lectione altera sumpto sed etiam ex nota biographica in qua peculiaria quædam lineamenta de spirituali vita Beatorum vel pastorali, doctrinali aut apostolica actuositate in lucem ponuntur, utilia quidem sive pro admonitionibus initialibus vel homileticis sermonibus, sive pro personali meditatione.

Antiphonæ ad Invitatorium

26. Pro festis et pro aliquibus peculiaribus memoriis duæ antiphonæ inveniuntur ad Invitatorium.

[27] Cf. IGLH, n. 245 et hic infra, nn. 48, 55-56.
[28] Pro commemoratione, vide IGLH, n. 239.
[29] Cf. SCSCD, « Observations sur le Propre Dominicain » [Decr. 18 febr. 1978, Prot. CD 1590/77], ASOP 43, 1978, p. 332.
[30] IGLH, n. 168.
[31] Cf. I. Venchi, « Index hagiographicus-chronologicus Ordinis Prædicatorum », ASOP 44, 1979, pp. 35-42.

Priores ut in pluribus compositiones sunt novæ, ac præcipue modum nostrum laudandi Dominum una cum Sanctis vel Beatis ostendere volunt [32]. Alteræ vero ex antiquis nostris libris sunt desumptæ, præsertim pro cantu, ideoque aliquando longiores sunt illis quæ in Liturgia Horarum Ritus Romani exstant.

Earum versio sane appropriatum tenorem expostulat, functioni chorali ipsarum respondentem. In earum vero usu nihil impedit quominus consuetudo nostra servetur, reassumendi nempe partem tantum harum antiphonarum, integra recitatione in initio et in fine tantum servata.

Hymni aliaque cantica non biblica

27. Hymnus, utpote « præcipuum poeticum elementum ab Ecclesia conditum » [33] ut det suum cuique Horæ vel festo velut colorem, elementum est nonnulli momenti pro æquilibrio cuiuscumque formularii Sanctoralis.

Omnes hymni Proprii Officiorum O.P. attento examine ac diligenti studio selecti vel accommodati sunt secundum normas novi iuris liturgici [34]. Eorum autem impressio typographica Liturgiam Horarum Ritus Romani sequitur, absque tamen in conclusione Amen, quod cum textu dissonat.

Aliqui horum textuum compositiones sunt novæ, ut pro sanctis Dominico, Thoma, Catharina Senensi, etc. Alii vero sunt textus Breviarii [35] vel ipsius Prototypi O.P. a peritis hymnologis labore revisionis expoliti.

Textus denique minoris pretii vel momenti, quos primum in Appendice ponere videbatur, deinde suo loco in Officiis servati sunt practicitatis causa, addita tamen

[32] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium*, n. 50 (AAS 57, 1965, pp. 55-57) et SC, n. 104 (EDIL, n. 104).

[33] Cf. IGLH, nn. 42, 173.

[34] Cf. IGLH, nn. 173-178, 280. — A. Lentini, « De hymnis Breviarii », *Notitiæ* 1, 1965, p. 213; Id., « Hymni instaurandi Breviarii Romani », *ibid.* 4, 1968, pp. 99-113; Id., *Hymni instaurandi Breviarii Romani*, Romæ 1968, « pro manuscripto ».

[35] Cf. *The Hymns of the Dominican Missal and Breviary.* Edited with introduction and notes by Aquinas Byrnes, O.P., St. Louis, Mo and London 1943.

rubrica: « Adhibetur textus congruus vel sequens », ad significandam possibilitatem talem hymnum cum alio substituendi.

28. Aptatio hymnorum in linguis vernaculis speciale quoddam problema constituit, peculiaribus rationibus solvendum iuxta normas Conferentiarum Episcopalium et orientationes Ordinis [36].

Ut enim in pluribus non de simplici versione seu accommodatione textus agitur, sed potius de originali quadam retractatione materiæ seu nova creatione, secundum uniuscuiusque idiomatis « ingenium » seu indolem propriam. Attendendum insuper erit ut tali artis ratione fiant quæ cantui populari congruat [37] simulque doctrinæ excellentia polleant, secus ipsorum propriam essendi rationem amittunt [38].

Utcumque vero expedit, vel in ipsis editionibus hodiernis idiomatibus, textum latinum hymnorum certis in casibus apponere, tunc præsertim cum ab illis singulorum festorum individua indoles et Sanctorum celebratio peculiariter in lucem ponitur. Sedulo cavendum est, ne cantiunculæ populares admittantur, quæ nullum artis pretium præ se ferant neque liturgiæ dignitati sint vere consentaneæ [39].

Psalmi, tituli et sententiæ christologicæ

29. Maximo studio facta est revisio partis psalmicæ huius Proprii. Orientationes vero Liturgiæ Horarum Ritus Romani necnon variæ experientiæ et psalmorum interpretatio christiana relate ad Sanctos etiam præ oculis habitæ sunt [40].

[36] Cf. « Consilium », Instr. *De interpretatione ...*, n. 37 (EDIL, n. 1236); IGLH, n. 178 (*ibid.*, n. 2431); V. ROMANO, « Indicationes quædam ... », *cit.*, nn. 21-22 (ASOP 44, 1979, pp. 20-21).
[37] Cf. « Consilium », Instr. *De interpretatione ...*, n. 37 (EDIL, n. 1236); IGLH, n. 173.
[38] Cf. IGLH, n. 280.
[39] *Ibid.*, n. 178.
[40] Cf. IGLH, nn. 100-109. — S. AMBROSIUS, « In psalmis nobis non solum nascitur Iesus; sed etiam salutarem illam suscipit corporis passionem, quiescit, resurgit, ascendit ad cælum, sedet ad dexteram Patris » (*Explan. Ps* 1, 4. 7-8, CSEL 64, 7). — J. M. NEALE and R. F. LITTLEDALE (eds.), *A. Commen-*

30. Pro sollemnitate sancti Dominici et aliquibus principalibus festis ac Officiis votivis Domini, psalmi proprii indicantur.

Titulos et sententias christologicas « ad psalmos intellegendos vel in precationem christianam vertendos »[41], quæ Liturgia Horarum ad Ordinarium tantum adhibet, Proprium nostrum ad Sanctorale extendit, eorum utilitate perspecta.

Unusquisque igitur psalmus et canticum, titulum et sententiam vel biblicam vel patristicam rite selectam habent. Quæ notæ, una cum aliis elementis, orationibus psalmicis et antiphonis, de quibus ad numerum 32, mirabiliter favere poterunt gratiarum actioni quæ cultui omnium Sanctorum præest.

31. Hoc in libro, universo Ordini destinato, citationes Novi Testamenti, Patrum Ecclesiæ, Liturgiæ vel auctorum spiritualium nostrorum magis tendunt ad divitias traditionis Ecclesiæ hauriendas quam ad contextum proximum particularem.

Aptationes in linguis vernaculis alias quidem psalmorum sententiarumque selectiones prævidere possunt, attentis tamen exigentiis illas organice in ipso Officio inserendi ac psalmos iuxta genus suum et thema celebrationis seligendi.

Antiphonarum series earumque usus

32. In hoc Proprio magna invenitur antiphonarum varietas, quæ partem constituit eius ubertatis. Circa illas expedit autem quædam pressius adnotare de compositione vel elaboratione.

tary on the Psalms: from primitive and mediæval Writters, and from the various Office-books and Hymns of the roman, mozarabic, ambrosian, gallican, greek, coptic, armenian and syriac Rites, London 1884[4].

Cf. *Acta canonizationis S. Dominici:* « ... hortabatur eos [Fratres] verbis et factis, quod bene et raro (intente) cantarent et psalmos devote dicerent. » (MOPH 16, n. 43, p. 163; etiam, nn. 3, 21, 37, pp. 124-125, 140, 156). — HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera de vita regulari,* ed. J.-J. Berthier, vol. I, Romæ 1888, pp. 182-186; vol. II, 1889, pp. 99-100: « In hoc libro [Psalterio] consummatio est totius theologicæ paginæ ».

[41] IGLH, n. 110.

a) Primo loco inveniuntur textus breves, ut sunt plerumque « antiphonæ psalmicæ »[42] quarum elementa ab ipsis psalmis sunt deprompta. Hæ antiphonæ, ex nostris antiquis Officiis provenientes, servatæ sunt suo loco, pro posse, vel alibi appropriatæ.

b) Aliæ antiphonæ, ex libris sacris vel ex textibus patristicis vel ex traditione historica dominicana depromptæ, diligenter sunt servatæ vel selectæ. Hæ autem complementum quoddam perutile fiunt ad themata celebrationum in luce clariore ponenda atque ad interpretationem typologicam vel festivam cuiusque Officii suggerendam[43].

c) In sollemnitatibus ac festis, ad Officium lectionis et sæpe ad Laudes matutinas et ad Vesperas, triplex series antiphonarum, quæ propria ratione ac dynamica constant, proponitur: series A ex Scripturis Sacris præsertim deprompta; series B vitam et virtutes vel dicta et sapientiam Sancti cuiusdam referens; series C gregoriano cantu ornata.

33. In adaptatione attendendum est ad polyvalentiam sensus atque ad usum antiphonarum quæ plures habent proprietates[44].

a) Pluries in nostro Proprio sicut in Liturgia Horarum antiphona Sanctoralis vim non habet tantum responsorialem, neque unice generi antiphonarum breviorum vel psalmicarum adscribi debet. Insuper enim latiore sensu cum psalmo potest esse coniuncta, quippe quæ structuram vel typologiam definiat psalmodiæ. Hoc autem occurrit etiam pro antiphonis propriis cum psalmodia feriali adhibitis.

b) Adaptatio antiphonarum huius generis diligenter attendere debet ad rhythmum celebrationum in linguis vernaculis, cura maxima habita ut sensus typologicus, historicus vel spiritualis, qui vis est et ratio harum antiphonarum, servetur ac reddatur.

[42] Cf. IGLH, nn. 113, 114, 125.
[43] Cf. *ibid.*, n. 113, in fine.
[44] Cf. « Consilium », Instr. *De interpretatione ...*, n. 36 (EDIL, n. 1235); SRC, Instr. *Musicam sacram ...*, n. 16, a (*ibid.*, n. 748 a).

c) Series gregoriano cantu ornata vel textus præsertim in cantu adhibendi, ratione etiam ipsorum argumenti ac pulchritudinis indicantur. In adaptationibus vero nihil vetat, immo quandoque vel opportunum esse poterit, quominus aliæ antiphonarum series seligantur, quæ iam in usu, aptis cum melodiis, fortasse habentur in aliquibus regionibus.

Ut autem hæc Proprii varietas, quæ orationem psalmorum adiuvat, recte intellegatur riteque adhibeatur in adaptationibus pro linguis vernaculis faciendis vel pro ipsis celebrationibus Communitatum parandis, ad *Institutionem generalem de Liturgia Horarum*, quæ multiplices suggerit usus pro Officiis in cantu vel sine cantu, attendendum est [45].

Lectiones Sacræ Scripturæ et responsoria

34. Auditio textuum Scripturæ Sacræ, ad Sanctos nostros accommodatorum, occasio exstat privilegiata aliquid novi semper detegendi de spiritualibus ipsius divitiis et corda nostra aperiendi ad actionem Spiritus Sancti et ad dispensationem historiæ salutis in actu [46].

Iuxta normas iuris liturgici textus biblici lectionum huius libri, sive longiores sive breviores, ex editione typica Novæ Vulgatæ [1979] depromuntur [47].

35. Responsoria post lectiones semper pro posse ex thesauro tradito selecta sunt [48], maxima cura adhibita in ipsis responsoriis seligendis vel appropriam-

[45] Cf. IGLH, n. 114.

[46] Cf. EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Demonstr. evang.* 1, 10 (PG 22, 84-93); *Ordo lectionum Missæ*, « Prænotanda », n. 7, ed. typ. alt., 1981 (*Notitiæ* 18, 1981, p. 365); MO V. DE COUESNONGLE, *Litteræ de Proprio Dominicano italica lingua exarato* [28 aug. 1980] (ASOP 44, 1980, pp. 377-379); ID., Litt. prom., *cit.* (n. 15, p. XVIII).

[47] *Nova Vulgata Bibliorum Sacrorum.* Editio Sacros. Œcum. Concilii Vaticani II ratione habita iussu Pauli PP. VI recognita auctoritate Ioannis Pauli PP. II promulgata, Typis Polyglottis Vaticanis 1979.

[48] Cf. IGLH, n. 169. — C. MARBACH, *Carmina scripturarum ...*, Strasbourg 1907; R.-J. HESBERT, *Corpus Antiphonalium Officii*, vol. IV. *Responsoria, versus, hymni et varia* (Rerum ecclesiasticarum documenta. Series maior. Fontes, 10), editio critica, Roma 1970.

dis, sive multorum horum textuum vim poeticam et symbolicam servandi gratia, sive propter beneficium promanans ex hoc modo symphonico ac probato quo Liturgia per sæcula ad Sacram Scripturam attigit vel ex ipsa inspirationem traxit [49].

Ubi vero inveniri non potuerunt formularia ipsis lectionibus propositis respondentia aut genuinæ Sacræ Scripturæ interpretationi, textus apti ex novo compositi sunt vel e Liturgia Horarum deprompti [50].

36. In versionibus popularibus, adhibito Indice biblico huius libri, facile videntur adaptationes vel modificationes faciendæ. Quas inter notanda sunt: selectio aliarum lectionum, productio (si placet) lectionum biblicarum (lectionum scilicet priorum) et interdum reductio quædam lectionum brevium. Utile fortasse erit ante lectionem priorem, brevem inserere introductionem ad selectionem textus manifestandam.

Pro casibus quibus, præcipue in celebratione cum populo, ad Officium matutinale et vesperale cuiusque Sancti, lectio longior videatur aptior [51], editiones linguis vernaculis alios textus suggerere poterunt vel immediate post lectiones breves vel in Appendice.

Lectiones hagiographicæ

37. Lectiones hagiographicæ huius Proprii, quantum ad eorum genus et rationes selectionis, respondent indicationibus Institutionis generalis [52]. Attento studio critico omnia elementa considerata sunt, Instituto historico Ordinis et Commissione Leonina cooperantibus.

38. Schemata vero cuiusque celebrationis plures afferunt lectiones alteras ad libitum seligendas. Inter eas una vel alia persæpe magis historica est. Una cum his documentis magni momenti pro vita spiritali, his in Officiis spatium aliquod servatum est ad prospectum biographicum. Interdum pariter resonantia quædam in-

[49] Vide notam 96.
[50] Cf. « De responsoriis in Liturgia Horarum », *Notitiæ* 10 1974, p. 323.
[51] Cf. IGLH, nn. 46, 141, 142.
[52] Cf. nn. 166, 167.

stitui potuit inter lectionem alteram et unam vel aliam antiphonam, præcipue antiphonam ad Benedictus vel ad Magnificat, vel preces.

39. Conspicuum hoc florilegium patrimonii spiritalis Ordinis ad eiusdem spiritualitatem prompte hauriendam et alendam præbetur: qua re nonnullæ lectiones longiores solito sunt editæ, quarum usum abbreviatum — pro diversis adiunctis — utile fuit aliquando appositis signis indicare. Cum Indice thematum, hæ indicationes usum permittunt ampliorem huius libri. Insuper, versiones prævidere possunt alias etiam aptationes vel præsentationes, exigentiis linguisticis vel culturalibus perspectis.

Commissiones singularum Provinciarum, si opportune videtur, præter lectiones quæ in hoc libro inveniuntur, vel loco illarum, alios etiam textus proponere possunt [53].

40. Lectiones alteræ pro Beatis Calendarii ad usum Provinciarum hoc in libro non inveniuntur. De illis igitur a Commissionibus singularum Provinciarum providendum erit iuxta normas iuris liturgici.

41. Meminisse demum iuvat Ordinem exarare posse *Lectionarium supplementare* ad libitum [54] sicut quædam Familiæ religiosæ iam fecerunt, et cum collaboratione Provinciarum.

Præter lectiones pro Sanctis et Beatis, hoc in Lectionario ad libitum locum invenire poterunt textus auctorum O.P. relate ad themata nostræ vitæ evangelicæ atque apostolicæ.

Responsoria post lectiones

42. His attentis quæ iam dicta sunt de natura responsoriorum post lectiones biblicas [55] et quæ dicentur de responsoriis prolixis [56] typicis pro Sanctis, consideran-

[53] Cf. CP, n. 43 (EDIL, n. 2136).
[54] Cf. IGLH, nn. 67, 161, 162.
[55] Supra, n. 35.
[56] Infra, nn. 61, 66-69.

dum est genus responsoriorum Liturgiæ Horarum eorumque adaptatio. Hæc vero perficietur iuxta normas a Conferentiis Episcopalibus determinatas, attentis quoque exigentiis linguæ vernaculæ sed etiam, ad nos quod attinet, usibus choralibus necnon traditionibus nostris.

Nihil autem impedit quominus coexsistere possint adaptatio responsorii ad usum choralem vel ad cantum spectans et altera adaptatio pro recitatione a solo. Hac enim in recitatione responsoriorum cum partibus suis repetendis suum retinet pretium et favere debet ut lectio in orationem et contemplationem vertatur [57].

Preces, introductiones ad orationem dominicam, orationes et benedictiones

43. Euchologia Proprii Ordinis totaliter pertractata est secundum orientationes et exemplum librorum post restaurationem liturgicam editorum [58]. Hac in retractatione plurima elementa considerata sunt: orationes Missarum Calendarii totius Ordinis et Calendarii ad usum Provinciarum, orationes super psalmos et cantica, preces variæ huius libri, formulæ benedictionum, etc.

Introductio Supplementi O.P. ad Missale Romanum rationem et animum laboris huius retractationis creationisque præbebunt una cum principiis pro adaptatione in ordine præcipue ad textus Missarum.

Ut tamen hic liber apte adhibeatur, aliquæ peculiares notæ horum Officiorum propriorum exponentur.

44. Locis quibus pro Sanctis Ordinis duæ exstant orationes, ad Vesperas collocatæ sunt quæ ex Missali Romano proveniunt [59]. Aliæ vero quæ propriis sodalium Ordinis celebrationibus magis cohærent, ad Laudes matutinas vel ad Officium lectionis assignantur.

[57] Cf. IGLH, nn. 171, 169. — S. Thomas de Aquino, *Summa Theologiæ* II^{a}-II^{ae}, q. 83, a. 14 et « Adnotationes », nn. 12-13, p. 8.

[58] Cf. « Consilium », Instr. *De interpretatione ...*, n. 34 (EDIL, n. 1233); CP, n. 40, b) (*ibid.*, n. 2133).

[59] Cf. A. Dirks, « De oratione beati Dominici », ASOP 40, 1971, pp. 167-169; Id., « De orationibus Sanctorum nostrorum in libris Ritus Romani instauratis », *ibid.*, 1972, pp. 514-525.

45. Preces iuxta Liturgiam Horarum et indicationes Institutionis generalis compositæ sunt [60]. Ex pluribus autem redactionibus et communicationibus inter Communitates necnon experientiis proveniunt.

Etsi magna cura in earum redactione adhibita sit, hæc formularia nonnullas præbent limitationes pluribus de causis, quas inter: genus ipsum novum et nondum probatum in Ecclesia latina; difficultates peculiares temporis nostri pro quacumque formula orationis laudis vel intercessionis; nimis varii contextus humani et culturales quibus hoc Proprium destinatur.

Salvis regulis in Institutione generali [61] indicatis et iis quæ a Conferentiis Episcopalibus vel a Commissionibus Ordinis dari possunt, integrum manet ius pro aptationibus nostri Proprii linguis vernaculis magna cum libertate hæc formularia adhibendi vel nova proponendi, præsertim in locis in quibus diuturna experientia communitaria habetur.

Denique, in celebrationibus pro peculiaribus adiunctis, opportunum esse potest preces alius generis adhibere ut iusta varietas non desit [62]. Hic liber alium vel alterum typum proponit exempli gratia pro Passione Domini et pro defunctis. Plures vero textus, ex nostro Libello precum desumpti, fontes vel interdum repertorium et exemplar precum esse poterunt.

46. Iuxta Institutionem generalem [63], oratio dominica monitione introduci potest. Præter eas quae in Liturgia Horarum leguntur, Proprium præbet, ad libitum, textus iam insertos in unoquoque Officio. Sicut preces, etiam monitiones in aptationibus substitui possunt compositionibus nobis magis convenientibus.

47. Pro sollemnitatibus et aliquibus festis, hic liber præbet formularia benedictionum, quarum aliquæ partim depromptæ sunt ex benedictionibus Missarum

[60] Cf. IGLH, nn. 17, 51, 151, 179-193; « Preces ad Laudes matutinas et ad Vesperas Officii Divini instaurandi », *Notitiæ* 5, 1969, p. 458 sq.

[61] Cf. IGLH, nn. 184, 189, 191.

[62] Cf. ACG 1958, n. 208, p. 92; ACG 1965, n. 318, p. 140; ACG 1968, n. 57, p. 42; ACG 1977, n. 75, p. 53; ACG 1980, n. 53, b), p. 38.

[63] Cf. IGLH, n. 196.

propriarum. Attendendum autem erit, in earum aptatione, ad celebrationem choralem vel cum populo.

Ad Laudes matutinas et ad Vesperas hi textus indicantur ante formulam dimissionis quæ, si libet, in celebratione chorali vel conventuali Officii pro omnibus Horis esse potest: ℣. Benedicámus Dómino, ℟. Deo grátias.

Congrue et opportune hæ formulæ particulares benedictionum pro aliis celebrationibus, præsertim cum cœtibus orantibus, adhiberi possunt [64].

C) Officia votiva

48. Petitionibus plurium Provinciarum, Monasteriorum vel Congregationum, hoc Proprium Officia votiva Domini et beatæ Mariæ in sabbato affert.

Litteræ promulgationis Magistri Ordinis [65], cuius iussu hæc Officia parata sunt, collata plurium ex variis Provinciis peritorum opera, eorum vim liturgicam ac spiritualem illustrant.

Singulis Officiis votivis Domini præsertim præmittitur notitia typologico-spiritualis cum aliquibus indicationibus de historica evolutione harum formarum orationis seu cultus [66]. Hic tantum notabuntur aliqua elementa structuram spectantia.

Officia votiva Domini

49. Multiplicibus sub formis, reverentia ac devotio erga Nomen Iesu a primis sæculis Ecclesiæ originem habuit et adhuc floret in Ecclesia orientali. Cognita sunt pariter vincula huius cultus cum vita Ordinis in historia sed etiam in momento præsenti in diversis Provinciis vel Fraternitatibus [67].

[64] Cf. « Benedictiones sollemnes » et « Orationes super populum » (MR, pp. 495, 507).

[65] Cf. nn. 16-18, pp. XIX-XXI.

[66] Cf. infra, pp. 547, 559.

[67] Cf. P. R. Biasiotto, *History of the Developpement of Devotion to the Holy Name*, New York 1963. — A. Walz, *Compendium historiæ Ordinis Prædicatorum*, Romæ 1948², pp. 190-191, 415-418, 583-586. — ACG 1955, n. 98, pp. 60-61; ACG 1958, n. 260, p. 109; ACG 1961, n. 288, p. 143; LCO, n. 153.

In Breviario postremo, inter Officia ad Passionem Christi celebrandam [68] in Ecclesia latina, Ordo noster servabat festum Coronæ Spineæ Domini, quod sæculo XIII originem habuit [69]. Etsi Diœceses aliquæ ac Familiæ religiosæ analoga formularia renovaverint, magis opportunum visum est non modo hæc sumere formularia, sed potius creare ex novo Officium Domini Nostri Iesu Christi patientis, celebrandum ut Officium votivum vel etiam ut Officium celebrationis alicuius tituli.

50. Officium SS.mi Nominis Iesu non est iterata propositio eorum quæ in cyclo Nativitatis afferuntur quæque primo in contemplationem ducunt mysterii reconciliationis in Christo Salvatore hominibus oblatæ; sed, aliis quidem selectis elementis, ad « pleniorem acceptæ salutis comprehensionem » contendit atque ad grati animi sensus ac gaudii excitandos in administratione Evangelii pacis, ad Domini gloriam.

Officium D. N. Iesu Christi patientis non est « duplicatum » illius quod in cyclo Passionis invenitur quodque « suscipiendam in fide redemptionem » primo affert; sed, aliis quidem selectis elementis, ad eiusdem vivam assimilationem inducendam contendit, « conversionem pleniorem » intendens et fidelem Christi sequelam.

51. Horum Officiorum usus ad normam Institutionis generalis [70] ordinatur.

Pro aptationibus in linguis vernaculis, sicut pro usu particulari et locali horum formulariorum, eorum indoli, de qua supra ad numerum 50, attendendum erit. Sensus item et momentum multiplicitatis ac varietatis elementorum recipienda sunt. Aliqui textus biblici, exempli gratia, qui plerumque parum adhibentur, memoriale

[68] Cf. J. Kopeć et A. Rayez, « Instruments de la Passion », *Dictionnaire de Spiritualité*, vol. 7/2, Paris 1971, coll. 1820-1831. — A. Walz, *op. cit.*, pp. 189, 416-417, 580-581.

[69] Cf. *Ordinarium iuxta Ritum S.O.F.P.* [1256], ed. L. Theissling, Romæ 1921, n. 358, p. 90, *Calendarium*, p. 259; *Breviarium iuxta Ritum O.P.*, vol. I, ed. M. Browne, Romæ 1962, p. 1005. Cf. infra, p. LXXIII.

[70] Cf. nn. 244-245 et infra, « Prænotanda particularia », p. 546.

præbent omnium quæ Christus fecit [71] et certiores faciunt de vi apostolica huius liturgicæ evocationis pro ecclesia.

Hæc sectio Proprii plures quam aliæ sectiones aptationis rationes ac possibilitates affert Commissionibus regionalibus Ordinis. Præsentatio horum Officiorum in linguis vernaculis, varietas elementorum, ratio vertendi verba typica latina, etc., ab elementis localibus, dominicanis vel culturalibus dependent. Hæc tamen liturgica elementa, sive in eodem volumine ac Proprio sive in Lectionario complementari, uno alterove modo, respicienda videntur.

Officia de beata Maria Virgine in sabbato

52. Ex suis principiis Ordo noster peculiari nota mariali afficere voluit celebrationem Horarum, sive salutatione initiali ad Virginem Mariam sive recitatione eiusdem parvi Officii sive etiam momento ad memoriam beatæ Mariæ Virginis in sabbato tributo [72].

Recentioribus autem temporibus aliquid mutatum est et Rosarium mariale in communi recitatum locum tenuit usus ac spiritus veterum temporum [73].

Hodierna vero restauratio liturgica memoriæ beatæ Mariæ in sabbato integram vim reddere permittit.

Spiritui mariali orationis Ordinis consulendo [74], ma-

[71] Cf. S. HIPPOLYTUS, *Traditio Apostolica*, 41 (ed. B. Botte, Münster 1963, pp. 88 sqq.). — Vide etiam: IGLH, n. 12; TERTULLIANUS, *De ieiunio*, 10 (PL 2, 1017); CYPRIANUS, *De Oratione domin.*, 34 (PL 4, 559).

[72] Cf. *Ordinarium O.P.*, ed. L. Theissling, nn. 464-472, pp. 113-117; HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera ...*, vol. II, Romæ 1889, pp. 68-78, 131-138.

Vide etiam, v.g.: A. WALZ, *Compendium ..., op. cit.*, pp. 194-199, 417-420, 586-591; A. DUVAL, « La dévotion mariale dans l'Ordre des Frères Prêcheurs », in: H. DU MANOIR (ed.), *Maria. Etudes sur la Vierge*, t. II, Paris 1952, pp. 737-782; VLOP, pp. 199-209.

[73] Cf. B. HESPERS, « Pianæ reformationis Breviarii Ordinis Prædicatorum brevis expositio », ASOP 18, 1927, p. 101.

Vide: MO V. DE COUESNONGLE, « Litteræ occasione V Congressus internationalis promotorum Rosarii apostolatus » [31 maii 1976, francogallice], ASOP 42, 1976, pp. 445-448.

[74] Cf. PAULUS VI, Adhort. Apost. *Marialis Cultus*, 2 febr. 1974, n. 43 (AAS 66, 1974, p. 154; ASOP 41, 1974, p. 403). — LCO, nn. 50, 67 § II, 129, 153; LCM, nn. 17 § II, 95 § II; MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom., *cit.*, nn. 17-18, p. XX.

gnam elementorum varietatem, idest quinque schemata, Proprium affert, quæ una cum variis elementis ad libitum adiectis decem constituunt formularia. Ad faciliorem eorum usum atque ad meliorem congruentiam textuum qui ex traditione dominicana proveniunt, schemata ita sunt indicata: S. Maria Mater Dei, S. Maria Regina Virginum, S. Maria Mater Gratiæ, S. Maria Mater Misericordiæ, S. Maria Regina Apostolorum, quin ex eo aliquid limitativi inferatur.

53. In sabbatis per annum in quibus non occurrat memoria obligatoria, fieri potest, eodem ritu, memoria de beata Maria Virgine [75]

Hac in memoria persolvenda, præsertim si frequenter memoria B. Mariæ Virginis in sabbato celebretur, congrua ratione adhibebitur nostri Proprii facultas qua antiphonæ propriæ cum psalmodia feriali recitari possunt. Magni enim momenti est ut Officium B. Mariæ Virginis in sabbato plerumque notam discretionis in celebratione servet.

54. Itaque una cum textibus in Liturgia Horarum editis Communitates nostræ congrua varietate ac copia frui possunt.

In schematibus seligendis, ad rhythmum cycli liturgici necnon ad communes necessitates attendendum est, ut vitetur usus eorum quasi automaticus. Schema exempli gratia de S. Maria Regina Apostolorum congrue adhiberi poterit sabbato post Pentecosten, si sit de eo; item schema de S. Maria Mater Gratiæ, quo præcipue manifestatur munus beatæ Virginis Mariæ in œconomiam salutis, ultimo sabbato libero mensis novembris.

Officia votiva Sanctorum Ordinis

55. Salva regula qua periodicæ commemorationes (singulis mensibus vel hebdomadis) alicuius mysterii vel alicuius Sancti abrogantur [76], interdum pro publica

[75] Cf. IGLH, n. 240.

[76] Cf. CP, n. 3: « Eiusdem Mysterii vel Sancti recordationes statis temporibus obeundæ (ex.gr. statuto die cuiusque mensis vel hebdomadæ), si quæ exstent, supprimantur » (EDIL, n. 2096).

utilitate, devotione vel supplicationibus peculiaribus, Officium votivum alicuius Sancti Ordinis nostri celebrari potest, magna cum discretione et iuxta indicationes Institutionis generalis [77].

Abrogatio de qua supra, huius numeri initio, usum non afficit recitandi antiphonam sancti Dominici vel alius Sancti post antiphonam Salve, Regína ad Completorium vel ad Vesperas.

56. Hoc Proprium elementa votiva pro celebrationibus non apponit, quæ tamen seligi poterunt inter textus optionales in iisdem Officiis propositos vel in Lectionariis complementaribus.

His in Officiis votivis omnia dicuntur de feria currenti, præter ea quæ pro singulis habentur propria. Hæc elementa seligentur ut in memoria obligatoria [78] quæ peculiaria formularia habeat.

D) Appendix ad Proprium de Sanctis

Orationes super psalmos et cantica

57. In Officiis quæ psalmos habent proprios, in fine horum psalmorum vel canticorum, ad Appendicem remittitur, ubi Orationes super psalmos et cantica inveniri possunt.

Huiusmodi Orationes super psalmos, quarum usum psalmodia antiqua testatur, restauratæ sunt in Liturgia Horarum. Institutio generalis et Prænotanda huius Appendicis [79] illarum significationem vim et usum indicant.

Hæc vero Proprii orationes compositæ sunt selectioni titulorum ac sententiarum christologicarum pro psalmis [80] congruenter, ita ut inter hæc elementa harmonia et convenientia exsistant.

Compositio harum orationum orientationes Institutionis generalis [81] secuta est una cum laboribus præ-

[77] Cf. IGLH, n. 245.
[78] Cf. ibid., nn. 235-236; *Directorium liturgicum O.P.*, ed. 1979, pp. 31-32.
[79] Infra, p. 631.
[80] Cf. supra, nn. 29-31 et notam 40; IGLH, n. 111.
[81] IGLH, nn. 110, 112, 202.

paratoriis ad volumen V de Liturgia Horarum. Quidam textus inspirationem trahunt ex antiquis formulariis, nunc critice editis; alii sunt creationes novæ; alii denique, a genere suo proprio non deflectentes, Sanctum evocant in contextu celebrationis, præsertim pro Officio lectionis.

Semper his orationibus indoles earum psalmica servata est, ad textum ipsum psalmorum pressius attingendo, ita ut, sicut historia testatur, etiam nunc hæ orationes mentes ad contemplationem elevant. Hoc autem eas a collectis distinguit atque quare Per Christum non concludantur explicat.

58. Oratio super cantica est elementum novum in historia Liturgiæ et differt a collecta et ab oratione psalmica. Gratiarum actio vel benedictio biblica sunt eius themata.

Ad Officium vigiliæ protractæ, una tantum oratio proposita est pro tribus canticis, quæ vel canticum magis typicum ostendit vel synthesim aliquam conatur elementorum omnium biblicorum.

59. Quod ad ipsarum naturam attinet, orationes super psalmos et cantica ad textum psalmorum canticorumque valde connexæ manent. Hac de causa necnon novitate huius generis liturgici, in istis formulariis aptandis linguis vernaculis, qua par est discretione ac libertate procedendum erit.

Cantica et Evangelia

60. Pro sollemnitate sancti Dominici et aliquibus festis Ordinis proposita sunt Cantica et Evangelia ad Officium lectionis protractum quod hic, ratione structuræ, Officium vigiliæ appellatur [82].

In his elementis seligendis Officium totum necnon Lectionarium Missarum propriarum attente considerata fuerunt. Sententia « patristica » initialis et oratio super cantica clavem quandam huius sectionis constituunt.

[82] Cf. IGLH, n. 73 et infra, pp. 642-650). — Vide etiam: SCCD, Notificatio *De Liturgia Horarum pro quibusdam communitatibus religiosis*, 6 aug. 1972 (*Notitiæ* 8, 1972, pp. 254-258; *ibid.* 10, 1974, pp. 39-40; ASOP 31, 1973, pp. 102-105 et EDIL, nn. 2865-2872).

Ex his quæ hoc in libro proposita sunt inspirationem trahentes, adaptationes in linguis vernaculis alia schemata providere possunt, pro aliquibus Sanctis vel Anniversariis Ordinis nostri.

Responsoria prolixa pro festis Domini et Sanctorum

61. In Appendice III [83] affertur selectio responsoriorum generis « prolixi » pro festis Domini et Sanctorum, quæ usui respondet huius liturgici generis in formulariis nostris, tam ad Vesperas pro responsoriis brevibus, quam ad Officium lectionis, vel ad actiones liturgicas particulares.

Eadem ratione qua hymni, hæc elementa magni momenti sunt ad indolem propriam et cuiusque celebrationis necnon ad ipsam vitam liturgicam Communitatum, præcipue pro festis Sanctorum Ordinis, notam typicam dominicanam afferendam.

In translationibus vel in novis creationibus aliorum textuum orientationes superius evocatæ pro hymnis [84], vel evocandæ pro elementis propriis Temporis cuiusque [85] adhibebuntur.

III

SUPPLEMENTA

62. Licet Ordo noster Liturgiam Horarum Ritus Romani adoptaverit, quædam tamen elementa Ritus proprii servare non destitit. Litteræ promulgationis Magistri Ordinis [86] rationes præcipuas huius selectionis instauratæ illustrant probeque commemorant quomodo dicta elementa, rite confirmata [87], ad Ordinis Communitates oblata sint.

[83] Infra, pp. 651-670.
[84] Supra, n. 28 p. XLII.
[85] Infra, nn. 66-69, pp. LVII-LIX.
[86] Supra, n. 25, p. XXV.
[87] Cf. SCSCD, « De quibusdam elementis peculiaribus Ritus nostri servandis et ad libitum adhibendis » [Decr., Prot. CD, 671/76, 25 iul. 1977], ASOP 43, 1977, pp. 132-140.

Ad Completorium

63. Elementa peculiaria Completorii O.P.[88] præsertim pro Tempore Quadragesimæ, iuxta significationem quam hoc Officium in Liturgia Horarum servat, eduntur. Loco magis proprio indicationes etiam offeruntur ad aliqua elementa ad Vesperas transferenda si Completorium non cantatur. Adiuncta est etiam psalmodia contracta, quæ semper adhiberi potest, ita ut hæc sectio usum directe liturgicum habere possit.

64. In translationibus Completorium edi potest variis rationibus, etiam autonoma editione cum cantu, psalmodia integra et antiphonis. Valde optantur editiones creationes novas afferentes, exempli gratia, una cum cantibus gregorianis Ordinis.

65. In fine Completorii vel Vesperarum, cum vel sine processione — varietate illa quam ipsæ rubricæ indicant adhibita —, finalis salutatio ad beatam Virginem venerationem erga Dominam nostram fiduciamque in eius intercessionem apud Iesum Christum exprimit, supplicationem pro Ordine nostro constituit[89].

Ritu usuali processionis inde a primis generationibus adhibito vel alio modo iuxta contextus culturales vel locales, hæc salutatio plenam suam significationem in communitatibus nostris habeat oportet. Æquilibrium pariter inveniri debet inter formas rituales pleniores et simpliciores ita tamen ut symbolum non reddatur vacuum.

Elementa propria de Tempore

66. Hæc sectio[90] affert elementa ex libris liturgicis O.P., præcipue responsoria prolixa necnon celebrationes aliquas particulares Ordinis peculiarem cum

[88] Cf. L. Werwilst, « Les Complies dominicaines », ASOP 21, 1933, pp. 272-279; E. M. Rieland, « De Completorio Fratrum Prædicatorum », *Ephemerides Liturgicæ* 59, 1945, pp. 139-176.

[89] Cf. *Ordinarium O.P.*, ed. L. Theissling, n. 481, pp. 120-121; Humbertus de Romans, *Opera ...*, vol. II, pp. 131-138; W. R. Bonniwell, *A History of the dominican Liturgy, 1215-1945*, New York 1945², pp. 148-155, 161-166; VLOP, pp. 241-245.

[90] Infra, pp. 687-715.

anno liturgico relationem habentes. Pleraque ex his elementis locum non habent in Liturgia Horarum vel quantum ad formam vel quantum ad usum eorum; sed Ordo noster servare ea obtinuit et hic affert, quantum ad eorum structuras essentiales, in formulariis rite instauratis [91].

67. Methodus adhibita in seligendis huiusmodi elementis, eadem est illa quæ actu iam præest confectioni Antiphonarii Romani, proximæ editionis, attentis quoque parvis quidem experimentis apud aliquas Communitates peractis.

Cum hæc elementa harmonice respondent textibus liturgicis hodiernis, servata sunt loco pro ipsis in nostris libris tradito. Aliis in casibus, huiusmodi elementa digna revera quæ seligentur, locis magis propriis inserta sunt. Quoad peculiares rubricas ad aliquas celebrationes anni liturgici (v.g. Capitulum sollemne, Genealogias, Processionem ad Vesperas in die Paschæ, etc.) attinentes, ad *Directorium liturgicum O.P.* recurrendum erit [92].

68. Proponuntur etiam, sub forma indicis singulorum *Incipit*, antiphonæ aliquæ selectæ ad Horas Minores vel responsoria Temporis Quadragesimæ [93]. Hæc collatio utilis evadit ad præbenda quædam elementa complementaria vel vicaria illorum quæ in Liturgia Horarum afferuntur pro his Officiis.

Responsoria selecta, præcipue apta congruaque vi textuali, poetica vel suavitate modorum prædita adhiberi etiam poterunt a Commissionibus regionalibus liturgicis O.P. in Lectionario patristico ad libitum pro Quadragesima stabiliendo [94].

[91] Cf. Textum documenti a Capitulo generali approbatum [ACG 1974, n. 171]: *De quibusdam elementis peculiaribus Ritus nostri.* « Sunt autem elementa Ritus nostri antiqui, quæ, peractis aptationibus necessariis, apte inseri possunt inter ea quæ ad libitum proponuntur a variis libris liturgiæ instauratæ »: *Nota prævia* (in ASOP 43, 1977, p. 134). — Vide ASOP 43, 1977, pp. 207-211, 222-229.

[92] Cf. ed. 1979, pp. 48, 53-62, 72, 81, 100, 101.

[93] Infra, pp. 698-700.

[94] Cf. IGLH, nn. 67, 162 et n. 250: « Insuper diebus ferialibus per annum, et si opportunum videtur, etiam tempore

69. Hæc igitur sectio constituit velut *Thesaurum liturgicum O.P.* pro Liturgia Horarum. Editiones linguis vernaculis Proprii O.P. varias habent possibilitates quoad aptationem ac præsentationem istorum elementorum [95]. Commissiones regionales, attentis probe exigentiis linguam vel usum respicientibus, evolutionem congruam prævidere possunt structuræ usualis responsorii prolixi in praxi liturgica Ordinis, novas quoque formas [96] inveniendo vel interdum consulendo appropriationi elementorum aliunde provenientium vel diebus nostris compositorum.

Excerpta e Libello precum in Ordine traditarum

70. Quin natura minime læderetur huius libri, qui est Proprium, vel eiusdem ad celebrationem liturgicam destinatio, opportunum visum est ampla excerpta ex Libello precum universæ Familiæ Dominicanæ præbere [97].

Omnia hæc elementa attente apteque examinata sunt, litterariis atque historicis rationibus perspectis; tali vero dispositione typographica eduntur quæ usui faveat nostrisque temporibus magis congrua sentiatur.

Memorare hic liceat ea quæ in Supplemento prænotantur ad precum huiusmodi præstantiam recolendam: pietatem fovent probato ac solido alimento apud nos familiari; devotionem erga Sanctos Ordinis nostri exprimunt et alunt; ipsorum orationis et contemplationis amorem et studium excolunt [98].

Adventus, Nativitatis, Quadragesimæ et Paschæ, fieri potest lectio quasi continua operis alicuius Patris, quod consonet cum mente biblica et liturgica ».

[95] Cf. supra, nn. 35, 36, 42 et infra, nn. 78, 79. — V. ROMANO, « Indicationes quædam ... », *cit.*, nn. 6, 8, 29, 37 (ASOP 44, 1979, pp. 15, 16, 24, 28).

[96] In « aliis canticis non biblicis » (IGLH, n. 173), considerari possunt « Troparia », cf. IGMR, n. 30.

[97] Cf. MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom., *cit.*, n. 26, p. XXV; cf. etiam ACG 1980, n. 61, p. 40.

[98] Cf. LCO, nn. 67 § III, 153, App. n. 4; LCM, n. 96. — ACG 1955, nn. 98-103, pp. 60-62; ACG 1958, nn. 256-262, pp. 108-110; ACG 1961, nn. 99, 281-289, pp. 78, 141-144; ACG 1962, n. 77, p. 65; ACG 1965, n. 59, p. 45; ACG 1977, n. 61, p. 41; ACG 1980, n. 61, p. 40. — Vide etiam notas 67, 74.

Nihil mirum si, vel in ipsis liturgicis editionibus, selectio ex his precibus velut complementum afferatur, eo vel magis quod earum usum universam Familiam Dominicam respicit, illique inservire debet [99].

Indices varii

71. Indicibus consuetis [100] [*Siglorum, Psalmorum et Canticorum, Hymnorum et Responsoriorum, Biblicus, Auctorum, Celebrationum*] adiectus est *Index thematum* qui, etsi diversimode pro cuiusque libito componi possit, ut omnis huius generis opera, tamen valde utilis erit ad plures usus ad quos Proprium nostrum respicit: Proprium enim est quidem liber liturgicus, sed etiam fontes colligit vitæ nostræ dominicanæ et adiutorium offerre vult cœtibus Ordinis variis, sive ad orationem sive ad alios fines spirituales coadunatis.

Editiones Proprii linguis vernaculis providere debent Indices similes sapienter aptatos.

IV

TRANSLATIONES PROPRII O.P. LINGUIS VERNACULIS

72. Sicut dictum est, hoc Proprium, copia et varietate elementorum quæ affert, necnon charactere suo proprio, Ordinem universum respicit. Quapropter ap-

[99] Cf. Conc. Vat. II, SC, nn. 13, 17, 35, 105, 118 (EDIL, pp. 6, 7, 21, 24); SRC, Instr. *Inter Œcumenici* ..., nn. 17, 37-39 (EDIL, nn. 215, 235-239); Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius Ecclesiæ*, n. 8 (EDIL, n. 476); Id., Decr. de presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum Ordinis*, n. 14, 18 (AAS 58, 1966, pp. 1013, 1019; EDIL, nn. 560, 562); SRC, et « Consilium », Instr. *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 58 (EDIL, n. 956); SCE, Directorium de pastorali ministerio Episcoporum, 22 febr. 1973, nn. 90, 91 (EDIL, nn. 3006, 3007); SCCD, Ordo *De sacra communione et cultu mysterii eucharistici extra Missam*, 21 iun. 1973, « Prænotanda », n. 79 (EDIL, n. 3087). — Vide etiam: ACG 1958, nn. 208, 216, 217, pp. 92, 94; ACG 1965, nn. 314, 318, pp. 137, 140.

[100] Infra, pp. 785-819.

tationem exigit quæ consonet cum natura librorum liturgicorum post instaurationem Concilii Vaticani II, cum structura conventuali liturgiæ nostræ, necnon cum moribus nostris liturgicis atque cum diversa nostrarum Communitatum indole [101].

Orientationes generales pro aptationibus

73. Aptationis labor a Normis generalibus de hac materia allatis profunde inspectis duci debet [102]. Equidem memorari oportet Proprium esse librum qui, etiam in editione typica latina, favere celebrationi pleniori mysteriorum salutis intendit. Elementis igitur et structuris huius operis ad hoc semper attenditur, ut vera et realis evadat christiana salus quam Communitates Ordinis, Ecclesiæ universalis cellulæ, celebrant et actu efficiunt earum liturgica coadunatione quæ triplicem induit dimensionem, ecclesialem scilicet, communitariam et individualem.

Itaque coniunctio inter Officium et Communitatem ipsum celebrantem, characterem typicum nostris celebrationibus præbet [103], qui respondere debet charismati Ordinis et vitæ nostræ evangelico-apostolicæ [104].

74. Litteræ promulgationis disciplinam evocant de aptatione Proprii nostri. Salva responsabilitate Provincialium cuiusque linguæ, Magistro Ordinis spectat ver-

[101] Cf. ICLOP, nn. 2, 3, 8; V. ROMANO, « Indicationes quædam ... », cit., nn. 15-17 (ASOP 44, 1979, p. 19). Vide etiam SC, nn. 37, 38.

[102] Cf. infra, nn. 75-79, pp. LXII-LXIII.

[103] Cf. ICLOP, nn. 2, 3, 8, 9; MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom., *cit.*, nn. 3-9, pp. X-XV; « Introductio », n. 14.

[104] Cf. LCO, nn. 1 §§ III IV VI, 3 § I, 56-65, 76, 79, 98-100, 105, 124, 187, 220; LCM, præsertim nn. 1 § II et V, 2 § II, 24 §§ I-II, 29 § I, 41, 65 § I, 80, 81, 82. — ACG 1974, n. 253 (pp. 147-157); ACG 1977, nn. 15, 19 (pp. 171-174, 175-177), n. 46 (pp. 35-38), n. 62 (pp. 42-46), n. 64 (pp. 185-187); ACG 1980, n. 17 (pp. 16-18), nn. 48, 49, 52 (pp. 34-38).

HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera ...*, II, pp. 31-32, 432-433, 445-450; MO M. S. GILLET, *Lettre encyclique sur la prédication dominicaine à l'heure présente* [12 nov. 1944], Rome 1944, pp. 35-36, 42-59; ID., *Lettre encycliaue sur la Spiritualité dominicaine* [30 apr. 1945], Typis Polyglottis Vaticanis 1945, pp. 58-62. — VLOP, pp. 343-359.

siones Proprii linguis vernaculis exaratas approbare, antequam Apostolicæ Sedi transmittantur pro confirmatione [105].

Indicationes particulares

75. Indicationes quædam Commissionibus liturgicis Ordinis iam transmissæ sunt ad laborem aptationis adimplendum [106]. Alia forsitan elementa technica adhuc tradi poterunt, quæ ad hanc editionem typicam attinent.

His omnibus orientationibus, quibus diligenter respicietur, iam nunc quædam videntur addi peculiaria, ad præsentem editionem pertinentia, necnon varias indicationes quæ in hac Introductione et Adnotationibus [107] oblatæ vel suggestæ sunt.

Commissionum erit integrum elementorum complexum huius novi Proprii, sibi concreditum, fideliter interpretari — verborum quidem proprietate ac artis dicendi præstantia —, minime vero ipsum arbitrarie amputare atque eligendi legitimam facultatem non sibi arrogare, sed Communitatibus — immo vel ipsis singulis utentibus — quibus pertinet, integram servare ac tueri.

76. Litteræ Magistri Ordinis promulgationis huius Proprii in omnibus editionibus linguis vernaculis adesse debent. Nihil tamen obstat quominus aliud quoque documentum vel ipsius Magistri Ordinis vel Provincialium in editione lingua vulgari addatur.

77. Introductio et Adnotationes necnon rubricæ huius libri linguis vernaculis transferendæ sunt [108], diligenter perspectis exigentiis editionum cuiusque linguæ, cuiusque regionis Ecclesiæ, necnon librorum nostrorum.

[105] Cf. SCSCD, « De Calendariis particularibus atque Missarum et Officiorum propriis recognoscendis », *Notitiæ* 13, 1977, p. 558; MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom., *cit.*, n. 27, p. XXVI.

[106] Cf. V. ROMANO, « Indicationes quædam ... », *cit.*, ASOP 44, 1979, pp. 13-30.

[107] Cf. supra, « Introductio », nn. 25 sqq., etc., et infra, « Adnotationes », nn. 28-29, pp. 16-17; nn. 37 sqq., pp. 20 sqq.

[108] Cf. SCCD, Declar. *De interpretatione textuum liturgicorum*, 15 sept. 1969, EDIL, n. 1963, nota *a*, pp. 623-624.

Ad approbationem Magistri Ordinis et ad confirmationem Apostolicæ Sedis versionum Proprii obtinendam, Prænotanda quoque, Adnotationes et rubricæ per integrum redigenda sunt.

Cura aptationis ad totum librum accommodatæ

78. In hoc Proprio multi textus seligendi inveniuntur, qui pro opportunitate adhiberi poterunt ad Officia provinciarum vel regionum propria paranda, ad peculiares celebrationes, immo etiam ad libellos laicis accommodatos, prout rerum adiuncta suadebunt [109].

79. Omnibus elementis, œconomicis etiam et technicis, consideratis, Commissiones regionales offerre debent omnibus Ordinis Communitatibus, Fratribus, Monialibus, Sororibus et Fraternitatibus laicorum editionem Proprii lingua vernacula æquilibratam et consonam tantæ Ordinis curæ sui patrimonii liturgici et spiritualis optima quæque tradendi et exigentiis huius temporis respondendi.

Quæ fundamentalis exigentia plene harmonizari potest cum his quæ supra dicta sunt de æquivalentibus elementis inveniendis, de novis creationibus necnon de variis in edendis aliquibus sectionibus huius libri possibilitatibus [110].

V

INDICATIONES COMPLEMENTARES

Condiciones pluralismi authentici

80. Authenticus pluralismus in Officio Divino celebrando locum habere potest, quin detrimenti aliquid afferat. Persuasum enim habere debemus, matura deliberatione, hoc non nocere — immo prodesse — veræ unitati orationis et vitæ religiosæ Ordinis [111].

[109] Cf. notas 98 et 99.

[110] Cf. supra, nn. 28, 33, 36, 39, 45, 59, 61, 64, 69, 70.

[111] Cf. « Consilium », Instr. *De interpretatione textuum liturgicorum* [francogallice], 25 ian. 1969, n. 20, 3): « La prière

Quilibet cœtus — Fratrum, Monialium, Sororum, Fraternitatum laicalium — attenta quidem ipsarum communitatum diversitate, istud pluralismum re efficiunt servatis proprii iuris determinationibus necnon et perspecta aliquali liturgica *spiritualitate obiectiva*. Hæc quidem spiritualitas obiectiva quæ in cyclica evolutione historiæ salutis fundatur quæque celebratione liturgica media actuatur, a nobis Fratribus Prædicatoribus vivitur sub directione « communionis-missionis » quæ est propria Ordinis.

Statutum elaborationis huius Proprii

81. Confectio huius *Proprii Officiorum O.P.* voto et exspectationi universæ Familiæ Dominicanæ satisfacere intendit. Novissima Capitula generalia de illo parando et edendo sollicite egerunt, explicita quidem ad Magistrum Ordinis « commissione » speciali [112].

Ipse autem, in Litteris promulgationis, diversos cœtus et Commissiones, qui ad illius præparationem operam dederunt, indicavit [113]. Post autem labores Commissionis specialis peritorum e diversis orbis Provinciis (15-25 septembris 1976), ipse Magister Ordinis Assistenti generali promotioni Vitæ orationis et Liturgiæ deputato ac peritorum Cœtui speciale mandatum dedit editionem huius Proprii technice apparandi in eius totalitate.

de l'Eglise est toujours celle d'un groupe particulier, rassemblé *hic et nunc*. C'est pourquoi il sera souvent insuffisant, dans la liturgie, d'avoir traduit avec une exactitude purement verbale et matérielle des textes formulés à une autre époque et dans une autre culture. La communauté assemblée doit pouvoir faire, du texte traduit, sa prière vivante et actuelle, et chacun de ses membres doit pouvoir s'y retrouver et s'y exprimer » (EDIL, n. 1219). — Y. Congar, « L'"ecclesia" ou communauté chrétienne, sujet intégral de l'action liturgique », in: *La liturgie après Vatican II*. Bilans, études, prospective (Unam Sanctam, 66), Paris 1967, pp. 242-282.

Vide etiam: LCO, nn. 1 § VII, 7, 61, 311 § I, 1°; LCM, nn. 61, 74, 76, 87 § IV, 223, 228; ICLOP, nn. 2, 20, 21, 31, 40, 41, 44. — ACG 1958, nn. 57, 61, pp. 42-43; ACG 1971, n. 130, p. 78; ACG 1974, n. 166, pp. 104-105; ACG 1980, nn. 53 b, 56, pp. 38, 39.

[112] Cf. ACG 1968, n. 58, p. 42; ACG 1971, nn. 134 [vide etiam, n. 136], 135, p. 79; ACG 1974, n. 168, p. 105 [vide etiam, nn. 170, 171, 172, p. 106].

[113] Cf. supra, p. XXIII.

82. Qui quidem labor non tantum ordinatam dispositionem comprehendit illorum omnium elementorum, sed etiam, de mandato Magistri Ordinis amplaque peritorum consultatione, editionem aliarum partium quæ complementares sectiones huius Proprii constituunt [114].

Nam, etiam post adoptionem Liturgiæ Horarum Ritus Romani, Ordo noster realem autonomiam servavit in his quæ ad Divinum Officium spectant atque relate ad propriam traditionem de oratione. Expediebat sane elementa quidem peculiaria e Breviario O.P. derivantia edere, sed Proprium etiam Ordini tradere oportebat homogeneum seu quod dignum esset liturgicæ eius traditionis quodque universalitati culturali, humanæ ac religiosæ, Familiæ Dominicanæ congruenter responderet [115].

83. Phases varias atque contentum talis laboris, in hoc *Proprio Officiorum* apparando, attente secutus est ac diligenter examinavit Magister Ordinis, qui orientationes et methodum favorabiliter excepit atque explicite singulas partes approbavit. Quarum elementa — pro agnita necessitate — etiam Apostolicæ Sedis confirmationi rite submissa sunt [116].

Usus huius Proprii O.P.

84. Hoc *Proprium Officiorum O.P.* principaliter Communitatibus destinatur et iis qui Calendarium O.P. sequi tenentur. Ampliori tamen ratione omnibus iis proponitur qui affinitatem quandam cum charismate dominicano sibi agnoscunt propriamque orationem ad liturgiæ nostræ fontes alere cupiunt atque vivis Sanctorum Ordinis testimoniis communicare.

Quilibet cœtus, quo Ordo coalescit, Officium Divinum secundum Liturgiæ spiritum propriarumque Constitutionum seu Statutorum normas celebrat, nostris quoque libris liturgicis utendo. Ipsorum autem concretus ac localis usus et vel ipse celebrationis modus

[114] Supra, nn. 48-54, 62-70, pp. L-LIII, LVI-LX.
[115] Cf. SC, nn. 37, 38. — Supra, nn. 6 sqq., pp. XXXIII sqq.
[116] Vide indicationes Decretorum confirmationis seu approbationis, pp. V-VII.

cuiuscumque cœtus seu Communitatis specificos characteres manifestabit intra ambitum unius eiusdemque charismatis dominicani [117].

85. Propria alicui Communitati adhæsione et arctius suæ professionis virtute, quilibet frater aut soror ad Christum sequendum invitantur iuxta viam sancti Dominici. Liturgia Horarum itaque oratio est tam pro Communitatibus quam pro singulis [118].

In celebratione quæ a solo seu privatim absolvitur, quoad eligendi Calendarium proprium facultatem, celebrationis ordinationem modumque utendi textibus, communes normæ servandæ sunt quæ in Institutione generali traduntur earundem interpretatione rite accepta [119].

Gradu probe alio, pro ecclesiali uniuscuiusque eorum statu, omnibus Familiæ Dominicanæ sodalibus cordi erit alimentum ex hoc *Proprio Officiorum O.P.* trahere pro sua vita spirituali, attenta probe e Sanctorum communione profunda influentia donorum Spiritus Sancti, sed et stimulum pro vita apostolica [120].

[117] Cf. supra, n. 80 et notam 111.

[118] Obligatio LH celebrandi pro Conventibus, LCO, nn. 61-62 (interpretationem vide supra, ad notam 12, p. XII); pro singulis fratribus, LCO, n. 63; pro Monialibus, LCM, nn. 85-86. — IGLH, nn. 28-32, 242, 262.

[119] Cf. IGLH, nn. 243, 244-252. — In celebratione a solo Officium persolvi potest absque *orali* recitatione singulorum verborum sed sufficit tantum oculis legere: cf. *Notitiæ* 9, 1973, p. 150 et EDIL, n. 2281[b].

[120] Cf. LCO, nn. 16, 28 § I, 50, 67 § II et III, 129, 153, 189 § III; LCM, nn. 1 § IV, 24 § I, 31 § I, 87 § III, 95, 96, 169 § III. — ACG 1977, n. 61, 75, pp. 41, 53; ACG 1980, nn. 55, 61, 70, pp. 39, 40, 45-46; MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom., *cit.*, nn. 3-9, pp. X-XV et vide etiam supra « Introductio », n. 72 et notam 104.

S. THOMAS DE AQUINO: « Recolimus autem divina beneficia tripliciter: ... quandoque ut exhibita nobis in commembris nostris, scilicet in Sanctis, qui sunt membra Ecclesiæ. Et hoc congruenter quia ut dicit Apostolus: "Si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra". Et sic celebramus festa Sanctorum Petri et Pauli et aliorum Sanctorum » (*In Iohannem* 10, 22 lect. 5). — Vide, LCO, n. 67; LCM nn. 94, 95, 96.

Privilegia et indulta liturgica

86. De privilegiis, indultis vel indulgentiis, quomodocumque nostris libris liturgicis adnexis vel quibusdam precationum formulis aut celebrationibus suetis in Ordine, elenchus fiet rite apparatus. Inde, pro agnita opportunitate illa servandi, accurata revisione peracta, Apostolicæ Sedi examini transmittentur, ut congruenter recognoscantur aut renoventur [121].

Horum autem privilegiorum liturgicorum elenchus, rite approbatus, typis edetur ut præ manibus sit cuique nostris libris liturgicis utenti [122].

Statutum peculiare huius Documenti

87. Quin aliquid per hanc Introductionem et Adnotationes [123] legibus et statutis propriis derogetur diversorum cœtuum sodalium Ordinis, hic tandem meminisse iuvat peculiarem characterem iuridicum huius Documenti.

Earum redactio generibus litterariis, immo vel iuridicis, diversis assimilatur, prout vel Præfationis, vel Institutionis, vel Directorii, aut Prænotandorum propriam indolem seu rationem induunt. Idcirco ipsorum momentum functioni catecheticæ atque receptioni a Communitatibus respondet [124].

88. Commissionum regionalium erit, ut iam evocatum est etiam in aptandis istis prænotandis [125] incumbere, attentis sive eorumdem genere litterario, sive culturali et religiosa situatione Provinciarum O.P. una cum fundamentalibus animadversionibus Litterarum promulgationis Magistri Ordinis de Liturgia et Sanctorum cultu in nostra vita dominicana.

[121] Cf. CP, nn. 48, 49 (EDIL, nn. 2141-2142).
[122] *Ibid.*, n. 50 (EDIL, n. 2143).
[123] Infra, pp. 3-22.
[124] Cf. PAULUS VI, *Allocutio ad « Consilium »*, 13 oct. 1966 (AAS 58, 1966, pp. 1145-1146; EDIL, n. 682).
[125] Cf. SCCD, Declar. *De interpretationibus popularibus novorum textuum liturgicorum*, 15 sept. 1969 (EDIL, nn. 1963-1965).

Quævis Communitas, ceteroquin, in Capitulo conventuali coadunata, facultatem habet hanc Introductionem et Adnotationes interpretandi quoad aptiorem earum applicationem, immo et normas concretiores surrogandi.

Textus autem latinus huius documenti, circa Introductionem generalem et Adnotationes, revisioni ac interpretationi supremæ Ordinis Auctoritatis subiectum manet.

CONCLUSIO

89. In fine præsentationis huius Libri sodales Commissionis specialis de re liturgica pro exarando *Proprio Officiorum O.P.* læti agnoscunt se multa de his quæ hic traduntur debere fratribus et sororibus simul ac plerisque peritis, quorum consilia et animadversiones grato animo excepta sunt.

Quapropter sperare licet omnes filios ac filias sancti Patris nostri Dominici in his notis et in hoc Libro suam mentem inventuros esse de liturgiæ momento ac præstantia in eorum vita utpote spirituale culmen tam christianæ quam religiosæ conversationis.

90. Facultas adhuc nobis tribuetur Sacræ Scripturæ textus audiendi ad eosdem nostros Sanctos relatos, clariore luce ponentes eorum testimonium nosque invitantes ad ipsorum sequelam. Lectio textuum, una cum Patribus et Doctoribus Ecclesiæ, auctorum Ordinis nostri — historicorum, theologorum, spiritualium ac prædicatorum — detegendi nos facultatem præstat quæ sit charismatis sancti Dominici vis quæque viæ concretæ pro ipsius realizatione in adiunctis interdum difficillimis, nosque incitat in proposito serviendi, hodie, humanitati et Ecclesiæ.

91. Intercessio pro nostra aliorumque hominum conversione ad communicandam nos ducit orationem sancti Dominici: « Deus meus, misericordia mea! ... Domine, miserere populo tuo. Quid facient peccatores? »[126]. Equi-

[126] *Acta Canonizationis S. Dominici*, n. 18 (MOPH 16, 1935, p. 184). Cf. LCM, n. 80 § III.

dem laudis oratio nos ducit ad gratias agendas Patri in Spiritu, quia nos vocavit ad efformandas in Christo fraternas Communitates, eius Verbum eiusdemque nuntium ferentes, necnon et quia tantis nos amicis et benefactoribus ditavit.

92. Tanta textuum varietate, modernarum compositionum atque traditionalium elementorum congrua valorizatione, hic *Liber Officiorum O.P.* frui nos sinit quodam Sanctorum Proprio, funditus renovato simulque radicato in nostra traditione. Supplementaribus suis partibus adiumentum præstat in discernendis elementis, vel cantus vel orationis, quæ « præstantiora sunt historiæ et liturgiæ dominicanæ » [127] eorumque conservationem affert simulque invitat ad novas creationes inveniendas.

93. Hoc Supplemento ad Libros liturgicos Romanos, profunde sane instauratos et ad sanum pluralismum patentes, Ordo noster Communitatibus suis complementa seu elementa affert quibus propriæ vitæ orationis facultatem tribuit sese exprimendi ratione magis homogenea cum charismate proprio.

* * *

94. Spem habemus beatam Virginem Mariam, Christi Salvatoris matrem, cuius patrocinium Ordo noster fiducialiter invocat, beatum Dominicum, Patrem nostrum, omnesque Sanctos Familiæ nostræ Dominicanæ, benignis oculis in hunc renovationis nisum respicere, ut Fratres et Sorores valorem dynamicum Liturgiæ eiusque symbolorum, qui fundamentalis est in vita cuiusque credentis, plene assumant atque liturgica mysteria celebrent, veluti Spiritus Sancti singularis transitus [128] et Christi missionalis vocatio in Evangelii servitium.

[127] ACG 1980, n. 61, p. 40.
[128] Cf. Pius XII, Allocutio iis, qui primo Conventui ex omni natione de Liturgia pastorali, Assisii habito, interfuerunt, die 22 mensis sept., anno 1956 (AAS 48, 1956, p. 712).

NOTA CIRCA REDACTIONEM

1. Hoc Proprium tamquam Liturgiæ Horarum Ritus Romani *Supplementum* paratum est. Idcirco referentiæ omnes ad illius editionem anni 1971 remittunt, quæ tempore compositionis huius libri vigebat. Item textus Psalmorum ex eadem typica editione derivantur. Ceteri vero textus biblici, diversarum lectionum, ex *Nova Vulgata Bibliorum sacrorum* typica editione (1979) desumpti sunt.

2. Diversi quidem latinitatis gradus distingui possunt in hoc Proprio, diversis sane pro singulis criteriis:

a) Latinitas « moderna » recentiorum compositionum (ut sunt Litteræ promulgationis, prænotanda, rubricæ, notitiæ hagiographicæ, versiones quorundam textuum pro lectione altera), quæ assuetas compositionis latinæ regulas sequitur. Sanctorum et Beatorum nomina eorumque toponymicæ indicationes iuxta criteria conventionalia, quibus utitur Postulatio generalis Ordinis nostri, inscribuntur. Quod quandoque aliquorum nominum « latinizationem » quandam inducit.

b) Latinitas « antiqua » plerumque textuum (v.g. lectionum) qui nonnullas præbent differentias pro diversa temporum successione; qui textus in eorum propria redactione traduntur, parvis tantum allatis graphiæ modificationibus, claritati consulendi causa.

c) Latinitas « biblica » textuum sacrorum librorum Neo Vulgatæ editionis, qui integraliter transcribuntur, mutatis tantum interpunctionis signis, iuxta choralis usus exigentias huius libri.

d) Latinitas « liturgica » diversarum partium (v.g. orationum, hymnorum, etc.), quæ usualem formam fideliter servat, vel in ipsis novis compositionibus, iuxta Liturgiæ instauratæ indicationes.

3. Ratio notandi verborum accentus usus receptos pro posse sequitur. Maiuscularum vero litterarum usum quod attinet, inspectis quidem Liturgiæ Horarum criteriis, usus apud nos recepti — tam pro libris liturgicis quam pro documentis officialibus — retenti sunt.

INDICATIONES QUÆDAM BIBLIOGRAPHICÆ

De Calendariis particularibus et Propriis

« Consilium », Instr. *De popularibus interpretationibus Proprium Diœcesium et religiosarum Familiarum*, 1 et 2 iun. 1965 (EDIL, nn. 396-404); SRC et « Consilium », Instr. *Musicam sacram* [MS], 5 mart. 1967 (EDIL, nn. 733-801); « Consilium », Instr. *De interpretatione textuum liturgicorum*, 25 ian. 1969 [francogallice] (EDIL, nn. 1200-1242); PAULUS VI, Litt. Apost. Motu proprio *Mysterii paschalis celebrationem*, 14 febr. 1969 (EDIL, nn. 1243-1248; MR, pp. 95-99); ID., *Normæ universales de Anno liturgico et de Calendario* [CR] (EDIL, nn. 1272-1332; MR, pp. 100-112); SRC et « Consilium », Decr. *Calendarium Romanum*, 21 mart. 1969 (EDIL, nn. 1268-1271); SCCD, Instr. *De Calendariis particularibus « ad interim » accommodandis*, 29 iun. 1969 (EDIL, nn. 1908-1911); SCCD, Instr. *De Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis* [CP], 24 iun. 1970 (EDIL, nn. 2093-2143); IGLH, n. 167 (LH I, p. 69); SCCD, Notificatio *De Missali Romano, Liturgia Horarum et Calendario*, 14 iun. 1971 (EDIL, nn. 2575-2581); SCCD, Litt. circ. *De normis servandis quoad liturgicos libros in vulgus edendos, illorum translatione in linguas hodiernas peracta*, 23 oct. 1973 (AAS 66, 1974, pp. 98-99); ID., Epistula ad Episcopos et Supremos Moderatores Religiosorum *De Calendariis particularibus atque Missarum et Officiorum Propriis recognoscendis*, febr. 1974 (*Notitiæ* 10, 1974, pp. 87-88).

De liturgia et vita dominicana

Vide copiosam bibliographiam in: D. DYE, « Le Rit dominicain à la suite de la réforme liturgique de Vatican II », ASOP 43, 1977, pp. 193-275; *Notitiæ* 14, 1978, pp. 334-417; 463-489; ID., « Relevé des modifications du Rit O.P. et indications pour la vie liturgique dans l'Ordre, de 1955 à 1977 », ASOP 43, 1977, pp. 277-306. — « Bibliographia. " De Institutione liturgica [O.P.] " », ASOP 44, 1980, pp. 246-248.

A. DIRKS, « De tribus libris manu scriptis primævæ liturgiæ dominicanæ », AFP 49, 1979, pp. 5-37;

Id., « De evolutione liturgiæ dominicanæ », AFP 50, 1980, pp. 5-21; H. Becker, « Peregrinus Coloniensis O.P. und die Sequenz *Omnes gentes plaudite*. Ein hymnologischer Beitrag zur literarischen und liturgischen Bedeutung von St. Jacques in Paris im 2. Viertel des 13. Jahrhunderts », AFP 49, 1979, pp. 39-77; M. O'Carroll SND, « The Lectionary for the Proper of the year in the Dominican and Franciscan rites of the thirteenth century », *ibid.*, pp. 79-103. — Ordo Prædicatorum, *Directorium pro celebrationibus liturgicis*, Roma 1979.

A.-G. Fuente, *La Vida litúrgica en la Orden de Predicadores* - Estudio en su legislación: 1216-1980 [VLOP], Roma 1981; « Indices generales, vol. I (1931) - L (1980) », *Archivum Fratrum Prædicatorum* 51, 1981, s.v.: « Liturgia O.P. », p. 258; J.-L. Fernández, *Las oraciones colectas del « Proprium O.P. » (ed. 1982): apuntes para un estudio litúrgico, teológico y pastoral*, Roma: Pontificia Facultad de Liturgia de S. Anselmo, 1981; Ph. Gleeson, « Un bréviaire languedocien du début du XIIIe siècle, le bréviaire de saint Dominique », in: *Liturgie et musique du IXe au XIVe siècle* (Cahiers de Fanjeaux, 17), Toulouse 1982.

De cantu Ordinis

Quoad cantum Ordinis attinet, studia tantum peculiaria indicantur, scilicet: bibliogr., H. Hüeschen, « Dominikaner », in: M. F. Blume (ed.), *Die Musik in Geschichte und Gegenwart*, t. 3, Bärenreiter 1952, coll. 644-652.

V. Laporte, « Précis historique et descriptif du Rit Dominicain », ASOP 13, 1917-1918, pp. 213-231, 272-296; P. Bonhomme, *La musique grégorienne. Codex archétype du Bx Humbert de Romans* (Thèse présentée à l'Institut pontifical de musique sacrée), Roma 1934; D. Delalande, *Vers la version authentique du Graduel grégorien. Le Graduel des Prêcheurs*. Recherches sur les sources et la valeur de son texte musical (Bibliothèque d'histoire dominicaine, 2), Paris 1949; A. Dirks, « Note su un Graduale domenicano fra i codici della Biblioteca Oliveriana », in *Studia Oliveriana* 19-20, 1971-1972, pp. 28-32; Id., « De tribus libris ... », *cit.*, AFP 49, 1979, pp. 5-37; « De evolutione ... », *cit.*, AFP 50, 1980, pp. 5-21; H. Be-

CKER, « Peregrinus Coloniensis O.P. ... », *cit.*, AFP 49, 1979, pp. 39-77 [bibliogr. 73-77].

Editiones recentiores: *Antiphonarium S.O.P. pro diurnis Horis*, ed. M.-S. Gillet, Romæ 1933; *Matutinum seu Antiphonarium S.O.P. pro nocturnis Horis majorum solemnitatum*, ed. M.-S. Gillet, Romæ 1936; *Processionarium juxta Ritum S.O.P.*, ed. E. Suarez, Romæ 1949; *Graduale juxta Ritum S.O.P.*, ed. E. Suarez, Romæ 1950; *Cantus Passionis D.N.J.C. secundum Matthæum et secundum Joannem*, juxta notam Processionarii S.O.P., Romæ 1953; *Completorii libellus juxta Ritum S.O.P.*, ed. M. Browne, Romæ 1957; *Missale iuxta Ritum Ordinis Prædicatorum*, ed. A. Fernández, Romæ 1965; *Tonorum communium iuxta Ritum O.P. Regulæ*, ed. A. Fernández, Romæ 1965; *Officium Hebdomadæ Sanctæ iuxta Ritum Ordinis Prædicatorum*, ed. A. Fernández, Romæ 1965; Antiphonarium S.O.P. pro diurnis Horis [1933], *Index alphabeticus*, Romæ 1977.

De Cultu Passionis D.N.I.C.

Sequela Christi ab initio Ordinis Prædicatorum fratres induxit ad peculiarem notam servandam in devotione Passionis Salvatoris nostri.

S. Dominicus: « Procedite et cogitemus de Salvatore nostro » (*Acta canonizationis*, n. 41, MOPH 16, p. 161). Vide etiam: IORDANI DE SAXONIA, *Libellus*, n. 13, n. 104 « Vir evangelicus », *ibid.*, pp. 32-33, 75. *Legendæ*: P. FERRANDI, n. 11, pp. 216-217; CONSTANTINI URBEVETANI, n. 61, pp. 329-330; HUMBERTI DE ROMANS, n. 9 « Christi discipulus », n. 60, pp. 376, 415-418. — *I^ae Constitutiones O.P.*, II, 31: « ... sicut viri evangelici, sui sequentes vestigia Salvatoris, cum Deo vel de Deo secum vel proximis loquendo » (ed. A. H. Thomas, n. 353; LCO, n. 1 § II). M.-H. VICAIRE, *Histoire de S. Dominique*, t. II, Paris 1957, pp. 355 sqq.; ID., *Dominique et ses Prêcheurs*, Paris-Fribourg 1977 [2], pp. 166-169 et 256-259.

Ex honore religioso Passioni Domini oblato veneratio vulnerum Salvatoris per Fratres illustrata provenit: cf. G. DE FRACHETO, *Vitæ Fratrum* (MOPH 16, pp. 155-158, 217, 223, 312, etc.); S. THOMAS DE AQUINO, *Summa Theologiæ* III^a, qq. 46-50 (II^a-II^ae, q. 82, a. 3 ad 2; vide etiam, in-

fra pp. 565-567) et, inter multiplices meditationes Fratrum vel Sororum Ordinis, cf. B. Henricum Seuze, Ioannem Tauler, S. Catharinam Senensem, S. Catharinam de' Ricci, Ludovicum de Granáda, Ludovicum Chardon, Henricum-Dominicum Lacordaire.

Vide: R. DEVAS, « On the history of mental prayer in the Order of St. Dominic », *The Irish Ecclesiastical Record* 16, 1920, pp. 177-193; A. WALZ, « De devotione Cordi Iesu in Ordine Prædicatorum a sæculo XIII ad sæculum XVII exhibita notulæ », ASOP 17, 1926, pp. 624-648; ID., *De veneratione divini Cordis Iesu in Ordine Prædicatorum*, Roma 1937 [2]; P. PHILIPPE, « L'oraison dominicaine au XIII[e] siècle », *Supplément de la Vie spirituelle* IV, 1948, pp. 424-454; A. WALZ, « Dominikanische Herz Jesu-Auffassung », in: *Cor Jesu. Commentationes in litteras encyclicas « Haurietis aquas »*, II, Roma 1959, pp. 51-95; ID., *Compendium ..., cit.*, pp. 189, 191-192, 416-417, 580-581; D. ABBRESCIA, « Preghiera nella prima generazione domenicana », *Rivista di Ascetica e Mistica* 6, 1961, pp. 407-437; ID., « La preghiera domenicana », in: R. BOCCASSINO (ed.), *La preghiera*, vol. II, Milano-Roma 1967, pp. 507-550; « Frères Prêcheurs » (art.), *Dictionnaire de Spiritualité*, vol. 5, Paris 1964, coll. 1422-1524.

A. GIGNAC (*Le sanctoral dominicain et les origines de la liturgie dominicaine*, Paris: Institut Supérieur de Liturgie, « pro manuscripto », 1959) probat sæculo XIII Missam votivam de S. Cruce quam plurimum a fratribus adhibitam esse.

INDICATIONES QUÆDAM PRO CELEBRATIONIBUS LITURGICIS IN ORDINE PRÆDICATORUM *

PRÆNOTANDA

1. Cum Ritum Romanum instauratum Ordo Prædicatorum adoptasset, quædam elementa Ritus proprii retinenda censuit, quibus ad libitum communitates fratrum vel monialium et sororum uti possent [1].

Insuper identidem libri Liturgiæ Romanæ instauratas consuetudines particulares appellant.

Ex hoc necessarium visum est usus nostros renovandos esse ut melius hodiernis condicionibus componi possint [2] attentis genuinis circumstantiis vitæ nostræ generis et morum, quibus præcipue cum vocatione nostra propria consentire possimus [3].

2. Structura conventualis et diversitas communitatum, in quibus nostra liturgia assolet celebrari, nos sollicitant ut ad determinatos ritus animum intendamus quo aptiore modo et harmonice spiritus nostri Ordinis in Liturgia exprimatur.

Hac ratione indicationes quæ sequuntur communitatibus fratrum, monialium et sororum Ordinis proponuntur ut suggestiones et orientationes generales ad rectam applicationem normarum novorum librorum Liturgiæ Romanæ pro nostra propria situatione.

Quas orientationes postea recognoscere poterunt auctoritates Ordinis necnon interpretari sive pro toto Ordine sive pro diversis Provinciis vel Fœderationibus monialium vel Congregationibus sororum.

* Textus huius Documenti, utpote iuris particularis Ordinis, nonnisi a Capitulo generali (a. 1974) approbatus fuit et eiusdem iussu publici iuris fit ut omnes Provinciæ O.P. eo uti possint (cf. ACG 1974, n. 172).

[1] Cf. ACG 1968, n. 58; ACG 1971, n. 135.

[2] Cf. CONC. VAT. II, Decret. De accommodata renovatione vitæ religiosæ *Perfectæ caritatis*, 28 oct. 1965, n. 3 (AAS 58, 1966, p. 703).

[3] Cf. PAULUS VI, Adhort. Apost. *Evangelica testificatio*. 29 iunii 1971, n. 33 (AAS 63, 1971, p. 515).

I. Observationes generales

De indole propria cœtus liturgici in nostris ecclesiis

3. Cœtus, qui in nostris ecclesiis adunatur ad liturgiam celebrandam, indolem quodammodo propriam habet. Hic una cum communitatibus nostris, quæ ad celebrationem Eucharistiæ et Horarum [4] tenentur, ceteri fideles, qui casu adsunt, congregantur. Omnes, sive communitates sive ceteri fideles, actionem liturgicam participare vocantur pleniore modo unusquisque suo munere fungens [5].

De dispositione communitatis et loci

4. Quamvis obligatio liturgica communitatem afficiat et non locum celebrationis [6], tamen attendendum erit, secundum diversas celebrationes, ut communitas fratrum vel sororum oret, locis et partibus dispositis.

Modus orandi iuxta quem fratres sunt conversi non ad altare, sed ad invicem [7], modo opportuno significat præsentiam Christi in ecclesia orante (Mt 18, 20) et symbolum pulchrum continet vitæ contemplativæ et dimensionis eschatologicæ communitatis [8].

Quæ in huiusmodi dispositionibus danda sunt, præ oculis accurate habeatur cum de sacris ædificiis disponendis vel instituendis agatur, nec non de diversis celebrationibus, attente etiam requisitis communicatione et participatione christifidelium in liturgia conventuali.

[4] Cf. LCO, n. 58; LCM, nn. 81, 85.

[5] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 28 (AAS 56, 1964, p. 107; EDIL, n. 28).

[6] Cf. IGLH, n. 262; LCO, n. 61 § III: « Quando iusta de causa Liturgia Horarum in choro celebrari nequit, alio in loco apto persolvatur, specialiter ita ut fideles orationi liturgicæ Fratrum active participare possint » (cf. ACG 1980, n. 188, p. 99).

[7] Cf. *Cæremoniale iuxta Ritum S.O.P.*, ed. V. Jandel, Mechliniæ 1869, nn. 469-477, præs. n. 472; *Missale O.P.*, ed. A. Fernández, Romæ 1965, p. 104, n. 5.

[8] Cf. Humbertus de Romans, *Opera de vita regulari*, vol. II, ed. J.-J. Berthier, Romæ 1889, p. 84.

De diversis muneribus

5. Munus præsidentiæ ac cetera munera in celebrationibus exercenda a libris Liturgiæ instauratæ determinantur.

Præ oculis etiam habenda erunt usus et consuetudines nostri Ordinis quatenus conformia ipsi naturæ rerum et normis hodiernæ Liturgiæ.

6. Sub responsabilitate Prioris communitatis, animatio vitæ liturgicæ ac recta eius exsecutio ab ipso committitur fratri magis competenti in actione liturgica et cantu exercendis [9].

7. In seligendis iis qui varia munera in actionibus liturgicis exercere debent, ad illorum veram aptitudinem attendatur, præsertim in celebrationibus sollemnibus, potius quam ad consuetudines et ad antiquitatem in Ordine [10].

Invigilandum tamen erit ut omnia membra communitatis necnon fideles actuose celebrationibus participare valeant.

Debita præparatio communitatis in cæremoniis et in cantu, tempore opportuno, non omittetur; non neglectis, pro opportunitate, aliquibus monitionibus inter actionem liturgicam [11].

« *Sollemnitas progressiva* »

8. Celebratio conventualis Liturgiæ ex se postulat ut titulo qualitatis nuncupetur et summe convenit ut in cantu fiat [12].

[9] Cf. LCO, n. 330; LCM, n. 244; IGMR, nn. 69, 73.

[10] Cf. SRC, Instr. *De Musica sacra et sacra liturgia*, 3 sept. 1958, n. 95 (AAS 50, 1958, p. 656); SRC et « Consilium », Instr. de musica in sacra liturgia *Musicam sacram*, 5 mart. 1967, nn. 5, 8, 11 (AAS 59, 1967, pp. 301, 303; EDIL, nn. 737, 740, 743).

[11] Cf. SRC et « Consilium », Instr. ad exsecutionem Constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam *Inter Œcumenici*, 26 sept. 1964, n. 13 (AAS 56, 1964, p. 880; EDIL, n. 211); Id., Instr. *Musicam sacram*, n. 5; IGMR, nn. 21, 73.

[12] Cf. SRC, Instr. *De Musica sacra et sacra liturgia*, 3 sept. 1958, n. 35; SRC et « Consilium », Instr. *Musicam sacram*, 5 mart. 1967, nn. 5, 11.

Cum fructu tamen quandoque principium « progressivæ sollemnitatis » adhibendum erit tam pro cantu quam pro ceteris aspectibus variarum actionum liturgicarum [13]. Hoc modo quævis communitas, attentis suis concretis possibilitatibus, rythmo vitæ conventualis necnon temporum liturgicorum, annitetur ut accedat ad modum vivendi, per experientiam, vitam liturgicam, ita ut et Dominum glorificet et vitam spiritualem membrorum communitatis apto modo nutriat.

De modo se habendi in celebratione

9. Celebratio communitaria secum habet gestus ac varios corporis habitus ad fovendum auditum Verbi Dei et pleniorem participationem mentis et corporis in oratione communi et in actionibus liturgicis.

Decursu temporis in huiusmodi habitibus de quibus supra quædam opportunæ aptationes fuerunt et certo in futuro erunt. Notandum est tamen saltem aliquos gestus vel dispositiones corporales semper necessaria esse in celebratione, ut plane serventur eorum harmonia et virtus (cf. supra, n. 4).

Dignæ sunt quæ laudentur investigationes nonnullæ quæ hac in re prosequantur, non omissa fidelium participatione, pro opportunitate, in huiusmodi significata specie orationis.

10. Ad fovendam harmoniam in celebrationibus quædam dantur indicationes generales:

a) Fratres celebrationes liturgicas participent in vestitu a libris liturgicis præscripto vel aptissimo ad conditiones locorum; pro Liturgia Horarum habitum Ordinis habitualiter deferant vel vestem celebrationi vere aptam.

b) Pro ingressu vel egressu e loco celebrationis servetur usus locorum, salutato altari vel imagine Salvatoris ab omnibus sive singulariter sive simul.

c) In choro et in celebrationibus communitatis fratres inter se ordinantur modo Ordinis [14], ita tamen ut illi, a quibus aliquod munus adimplendum est, loco apto stent, et ut cantus totius communitatis facilis fiat.

[13] Cf. IGMR, n. 19; IGLH, n. 273; LCO, n. 65; LCM, n. 88.
[14] Cf. LCO, n. 266; LCM, Ord. 10.

II. Celebratio Missæ conventualis

Indicationes generales

11. Missa conventualis, centrum liturgiæ communitatis [15], secundum spiritum et rubricas celebretur, quæ *Institutio generalis Missalis Romani* et *Ordo Missæ* proponunt.

Quamvis Missa conventualis nullam specialem formam celebrationis præ se ferat [16], notandæ sunt tamen quædam particularitates ex dispositione chorali provenientes.

12. In communitatibus in quibus perplures concelebrant, caveatur ut uniter procedatur, præsertim cum agatur de liturgia verbi.

Ut incipit liturgia eucharistica, si opportunum videtur et si circumstantiæ locorum et personarum id permittunt, nihil impedit quin fratres non celebrantes necnon christifideles qui intersint ad presbyterium accedere possint.

De actibus communitatis

13. Hic modus opportune ordinatur considerando usus loci et circumstantiarum, attentis indicationibus quæ sequuntur.

14. De regula fratres stent conversi ad celebrantem vel ad altare:

a) in variis dialogis cum celebrante;

b) ad orationes (excepto si, secundum usum localem, fit inclinatio profunda);

c) ad orationem universalem;

d) ad totam vel ad partem Precis eucharisticæ;

e) ad Pater noster et ad orationes sequentes.

In benedictione finali fratres possunt inclinationem facere vel, pro opportunitate, recti stare.

15. Diversæ partes textuum quæ a choro vel ab omnibus præsentibus in quantum huiusmodi cantantur, persolventur stando vel sedendo, prout casus fert.

[15] Cf. LCO, n. 59; LCM, n. 82.
[16] Cf. IGMR, n. 76.

16. In lectionibus et ad homiliam omnes sedent. Durante Evangelio omnes stant conversi ad illum qui Evangelium proclamat [17].

17. Fratres inclinationem profundam [18] faciunt:

a) ante altare, in initio et in fine celebrationis, si non adest in tabernaculo Ss.mum Sacramentum;

b) pro opportunitate, in doxologiis hymnorum vel canticorum in lingua vernacula;

c) si placet, ad orationes et ad eorum conclusiones;

d) pro opportunitate, ante receptionem Communionis eucharisticæ.

18. Si tabernaculum cum Ss.mo Sacramento adest in presbyterio, sacerdos et ministri faciunt genuflexionem ante et post Missam [19].

19. Fratres genua flectunt:

a) ad Precem eucharisticam, secundum usum locorum;

b) pro opportunitate, in feriis Quadragesimæ et in diebus pænitentiæ ad orationes et ad eorum conclusiones;

c) in Credo ad verba « Et incarnátus est » etc., in festis Annuntiationis et Nativitatis Domini [20].

20. Alii gestus a Conferentiis Episcopalibus propositi [21] vel a communitate in usum accepti melius significationem Missæ conventualis exprimere possunt; v.g. in actu pænitentiali, in præparatione oblatorum, in Pater noster vel in offerenda pace.

[17] Cf. *Ordinarium iuxta Ritum S.O.F.P.* [1256], ed. L. Theissling, Romæ 1921, p. 238; *Cæremoniale S.O.P.*, ed. V. Jandel, Mechliniæ 1869, n. 701; *Missale O.P.*, ed. A. Fernández, Romæ 1965, n. 10, p. XLVII.

[18] Secundum consuetudines chorales, inclinatio profunda, de qua dictum est in Missali Romano (IGMR, n. 234), habitualiter talis esse debet ut manus super genua poni possint.

[19] Cf. IGMR, nn. 84, 233.

[20] Cf. *ibid.*, n. 98.

[21] Cf. *ibid.*, n. 21.

III. Celebratio Liturgiæ Horarum

De ritibus observandis

21. Celebratio communis et publica Officii Divini fit iuxta ritus quos *Institutio generalis de Liturgia Horarum* determinat [22] et iuxta consuetudines [23].

Quædam consuetudines propriæ Ordinis et quædam indicationes hic dantur propter eorum valorem et tamquam suggestiones ut Liturgia Horarum in nostris communitatibus admoderate tam numero quam varietati celebretur.

De præsidentia celebrationis

22. Præsidentia Officii incumbit fratri sacerdoti, scilicet hebdomadario, ad hoc designato, vel diacono, si non adest sacerdos. In communitatibus monialium vel sororum celebrationi Liturgiæ Horarum præsidet aliqua soror ad hoc designata vel, pro opportunitate, sacerdos aut diaconus, si adest.

Secundum consuetudinem nostram, Prior vel Priorissa quasdam interventiones facere possunt in celebratione Liturgiæ Horarum et etiam munere præsidentiæ fungi in circumstantiis particularibus.

23. Qui celebrationi præsidet etiam si vestimenta liturgica est indutus [24], inter fratres locum habeat in loco aptiore pro suo munere, nisi præsentia populi vel sollemnitas diei ad sedem in presbyterio eius locum assignare suadeat.

24. Præter attributiones quas enumerat *Institutio generalis de Liturgia Horarum* [25], aliæ tribui possunt præsidenti, in parvis communitatibus, v.g. legere lectiones, præsertim si sint breves.

[22] Cf. IGLH, nn. 253-284.
[23] Cf. *ibid.*, n. 265.
[24] Cf. *ibid.*, n. 255.
[25] Cf. IGLH, nn. 256, 257.

De aliis muneribus in celebratione Officii

25. Hymnorum, antiphonarum, psalmorum vel aliorum cantuum inchoatio a cantore seu cantoribus fiat, vel in suo loco vel, diebus sollemnibus, in medio chori.

26. Quando fieri potest, psalmus invitatorius, responsoria, preces et versicula ministris particularibus tribuentur, qui ea dicent sive in suo loco sive, pro opportunitate, in medio chori.

27. Qui munere lectoris fungitur lectiones profert vel in loco apto, vel, — si textus brevis est, — in suo loco inter fratres.

De celebrationibus sub specie festiva

28. In ornatu nostrarum ecclesiarum et ipsius chori attendendum est ad principia quæ *Institutio generalis Missalis Romani* continet [26] et ad consuetudines Ordinis [27].

29. In præcipuis Horis de more candelæ altaris accenduntur et Tempore paschali, scilicet a die sancto Paschæ usque Pentecosten, cereus paschalis.

30. Dum canticum evangelicum editur, ad Laudes matutinas et Vesperas, altare et deinde etiam sacerdos, fratres et populus incensari possunt [28]. Si magis consonum videtur, potest in istis celebrationibus incensum in medio chori uri.

Modi se habendi et gestus communitatis

31. Sicut in Missa conventuali, modus se habendi fratrum ad melius regulabitur iuxta circumstantias personarum et locorum et attendendo ad ea quæ sequuntur.

[26] Cf. *ibid.*, nn. 253-280.

[27] Cf. LCO, n. 65; LCM, n. 90. — Cf. etiam primævam legislationem Ordinis ubi exprimitur mens S. Dominici de ædificiis « ita quod nec ipsi expensis graventur nec alii sæculares vel religiosi in nostris sumptuosis ædificiis scandalizentur » (G. MEERSSEMANN, *L'architecture dominicaine au XIIIe siècle*, AFP 16, 1946, p. 146).

[28] Cf. IGLH, n. 261: *Cæremoniale S.O.P.*, ed. V. Jandel, Mechliniæ 1869, nn. 1106-1115.

32. Fratres stent versi ad altare vel ad imaginem Salvatoris:

a) ad versiculum introductorium in singulis Horis et ad psalmum invitatorium;

b) ad preces et ad orationem dominicam, si opportunum videatur;

c) ad orationem diei et ad eius conclusionem, nisi fiat inclinatio profunda.

33. Chorus stet contra chorum:

a) ad hymnos;

b) ad cantica evangelica;

c) ad preces et ad orationem dominicam, nisi fratres sint versi ad altare vel ad imaginem Salvatoris.

34. Ad psalmos et ad alia cantica chorus sedet vel stat prout casus fert. Omnes devote se inclinant in doxologiis.

35. Omnes sedentes auscultant lectiones, præterquam ad sollemnem proclamationem Evangelii. Ad responsoria quæ sequuntur fratres modo magis idoneo se habeant.

36. Inclinatio profunda fiat:

a) ad altare, si in tabernaculo non adest Ss.mum Sacramentum, in ingressu chori et in egressu;

b) ad Glória Patri et ad doxologias versiculi introductorii in singulis Horis, et etiam psalmorum et canticorum sacræ Scripturæ;

c) ad conclusiones hymnorum vel canticorum in lingua vernacula, si de vera doxologia agitur;

d) si placet, ad orationem diei et ad eius conclusionem nisi fratres sint versi ad altare vel ad imaginem Salvatoris;

e) si placet ad benedictionem in fine Horarum.

37. Si adest tabernaculum cum Ss.mo Sacramento in presbyterio fratres genua flectant in ingressu chori et in egressu.

38. Fratres genua flexi manere possunt:

a) ad examen conscientiæ in Completorio;

b) pro opportunitate, in feriis Quadragesimæ vel in diebus pænitentiæ ad orationem diei et ad eius conclusionem;

c) ad Salve Regína, si cantatur, in initio et ad verba « Eia ergo Advocáta nostra » usque ad « osténde ».

Pro opportunitate, fratres in quibusdam occasionibus possunt etiam prostrationem facere.

39. Omnes se signant signo crucis in initio Horarum, ad verba: Deus, in adiutórium.

Signo crucis os sibi signant in principio Invitatorii, cum dicitur Dómine, lábia mea apéries.

40. Alii gestus quos Provinciæ vel Communitates iam expertæ sunt, adhiberi possunt, dummodo ad genuinum sensum et statum peculiarem diversarum partium Officii respondere, cum chorali celebratione consentire, eique stimulos exprimendos admovere possint.

IV. De aliis celebrationibus

Indicationes generales

41. In omnibus actionibus liturgicis normæ et indicationes observentur quæ in libris Liturgiæ Romanæ inveniuntur, attentis communitatis participatione magis idonea et eius harmonizatione cum participatione populi.

Quædam consuetudines antiqui Ritus Ordinis servari possunt, dummodo spiritui conveniant Liturgiæ instauratæ et unicuique parti celebrationis.

De cultu mysterii Eucharistici extra Missam

42. Pro cultu mysterii Eucharistici extra Missam serventur præscriptiones in Rituali Romano instaurato contentæ [29].

[29] Cf. *De sacra Communione et de Cultu mysterii Eucharistici extra Missam*, ed. typica, 1973.

De processionibus

43. Ubi fiunt processiones serventur normæ librorum liturgicorum et etiam, in quibusdam casibus, consuetudines propriæ Ordinis.

Iter sequendum, et stationes, si quæ sint, determinentur iuxta condiciones locorum; attendendum tamen erit ut clara appareat significatio ipsius processionis.

De diversis precibus in vita communitatis

44. Pro ceteris precibus nostræ vitæ communitariæ [30] consuetudines nostræ serventur, attentis spiritu liturgiæ instauratæ et præsentis documenti indicationibus.

[30] Cf. LCO, nn. 7, 11, 69; LCM, nn. 61, 76.

ADNOTATIONES COMPLEMENTARES

ADNOTATIONES COMPLEMENTARES

DE CELEBRATIONUM NOSTRARUM LITURGICARUM SIGNIFICATIONE *

Procemium

1. Introductio generalis admonuit quomodo, iuxta liturgiam instauratam, *Proprium Officiorum O.P.* ad maximum adhibet, præsertim pro Familia Dominicana, possibilitates ab *Institutione Generali de Liturgia Horarum* prolatas [1].

2. Hæ Adnotationes complementares ad aspectus pertinent strictius cum celebratione eiusque structura coniunctos, variis consideratis experientiis precationis nostrarum Communitatum.

Itaque communitates auxilium invenire poterunt ad quærendum id quod est melius potius quam id quod est novum, et in rebus novis ea quæ nobis referunt thesauros pietatis christianæ [2].

3. His ideo orientationibus facilius intellegemus quomodo sana perscrutatione modorum quibus Liturgia exprimitur sive gestis sive symbolis sive verbis, oratio Ecclesiæ est oratio cœtus peculiaris hic et nunc [3] coadunati qui sibi conscius est cultum « in spiritu et veritate » celebrare in communione cum omnibus liturgicis cœtibus in unica Ecclesia, toto orbe diffusa [4].

* Index siglorum et abbreviationum invenitur infra, p. 23.

[1] Cf. supra « Introductio », præsertim nn. 1 sqq., pp. XXXI sqq.

[2] Cf. PAULUS VI, *Allocutio ad Sodales et Peritos « Consilii »*, 13 oct. 1966, EDIL, n. 682, in fine.

[3] Cf. supra « Introductio », n. 80, p. LXIII et notam.

[4] Cf. « Consilium », *Epistula ad Præsides Conferentiarum Episcoporum de quibusdam quæstionibus circa Liturgiam instaurandam*, 21 iun. 1967, n. 5 (EDIL, n. 980). — Vide etiam SC, nn. 26, 84-85, 90; IGLH, nn. 20, 24.

S. AUGUSTINUS, « Facta est vobis hæc ecclesia, sed vos magis estis ecclesia » (*Sermo* 359, 9, PL 39, 1597). « Omnes

4. Ad significationem liturgicam sive verbi sive musicæ sive cantus sive gestus sive ritus hæ pertinent Adnotationes complementares [5].

Iure autem servato, Provinciæ aliquando conficere poterunt aptationes magis proprias Liturgiæ Horarum — Moniales etiam adaptationem Officii Divini iuxta Ritum Romanum efficere possunt ita ut celebratio plene respondere possit structuræ vitæ ipsius contemplativæ dominicanæ [6].

I
VITA LITURGICA COMMUNITATUM

A) Celebratio Officii

Signa liturgica, res et cœtus

5. Hoc in Proprio adaptando vel adhibendo semper memorari oportet Liturgiam esse celebrationem et actionem. Relationem ideo implicat concretam ad cœtum, ad personas, ad locos necnon ad tempora. Summopere innititur symbolis, actis qui valorem signi induunt, quorum ope contactus cum mystério Christi statuitur in oratione. Sed inter celebrationem externam et eius realitatem eadem est relatio ac inter signum sacramentale et rem sacramento significatam [7]. Ultra obiectivam relationem inter gestum et id quod significare debet, requiritur etiam quod scienter ipsa relatio intendatur et quod vel ipsa significatio gestus percipiatur. Itaque haberi poterit « liturgia vera », id est « liturgia quæ sit capax intus operandi, *rem* propriam in animis fidelium

ergo unanimiter et concorditer vivite, et honorate in vobis Deum invicem, cuius templa facti estis » (*Regula B. Augustini*, LCO, p. 4).

[5] Cf. Paulus VI, *Allocutio ad Sodales ..., cit.*, EDIL, n. 683.

[6] SCCD, Notificatio. *De Liturgia Horarum pro quibusdam Communitatibus religiosis*, 6 aug. 1972, *Notitiæ* 8, 1972, pp. 254-258 [ASOP 31, 1973, pp. 102-105]; vide etiam LCM s.v. « Contemplatio », « Liturgia », « Officium Divinum ».

[7] Cf. SC, nn. 2, 7, 33, 34, 59, 60, 122. — S. Thomas de Aquino, *Summa Theologiæ* III^{a}, q. 60, a. 2 et a. 4; q. 62, a. 5; q. 63, a. 6; II^{a}-II^{æ}, q. 81, a. 1 et a. 2; *De veritate*, q. 27, a. 4.

producendi, capax quæ personali modo in conscientia hominum recipiatur ... Liturgia quæ consummari possit in cordibus hominum »[8].

6. Communitates nostræ cum ad Officium Divinum celebrandum se congregant, sciant se esse congregationes liturgicas quæ in sua indole diversæ sunt a qualibet alia adunatione Communitatis et habitum spiritualem respondentem adoptare debent, ut revera sint « Ecclesia orans ». Participatio enim nostra spiritualis magni momenti est[9] ad vim definiendam orationis quæ valere unice non potest « ex opere operantis Ecclesiæ »[10]. Item meminisse iuvat nos simul testificari mysteria dum ipsa publice et communiter celebramus.

Indicationes quædam pro cœtibus nostris liturgicis

7. Cœtus, qui in nostris ecclesiis coadunantur ad liturgiam celebrandam, indolem quodammodo propriam induunt. Ceteros quoque fideles qui forte adsunt cum Communitatibus nostris, quæ ad celebrationem Eucharistiæ et Horarum tenentur, in unum congregant.

In documento quod inscribitur *Indicationes quædam pro celebrationibus liturgicis*[11] sicut et in Introductione Supplemento O.P. ad Missale Romanum, Ordo noster indicationes præbet quæ his specificis adiunctis respon-

[8] Y. Congar, *Sacerdoce et laïcat*, Paris 1962, p. 166: « Une liturgie "réelle" est une liturgie apte à être intériorisée, à produire vraiment sa *res* dans l'âme du peuple fidèle, à être reçue et personnalisée dans la conscience des hommes ... une liturgie qui puisse réellement se consommer dans le cœur des hommes ». — S. Thomas de Aquino, *Summa Theologiæ* II[a]-II[ae], q. 83, a. 14.

[9] Cf. ACG 1971, n. 128, pp. 75-78; ACG 1973, n. 166, pp. 103-105; ACG 1980, n. 52, 3 et 4, pp. 37-38.

S. Hippolytus, *Trad. Apost.* 35: « Festinet autem et ad ecclesiam ubi floret spiritus ». — *Regula B. Augustini:* « Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde quod profertur in ore » (LCO, p. 4). — Humbertus de Romans, *Opera de vita regulari*, vol. I, ed. J.-J. Berthier, Romæ 1888, pp. 184-186.

[10] Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei et hominum*, 20 nov. 1947, AAS 39, 1947, p. 532. — Vide S. Thomas de Aquino, *Summa Theologiæ* II[a]-II[ae], q. 83, a. 12; III[a], q. 82, a. 6 et infra, notam 21.

[11] Cf. ACG 1974, n. 172. Vide ICLOP, nn. 2, 3, 8, 11, 21.

dent et favere intendunt celebrationi liturgicæ quæ spiritum et veritatem vitæ nostræ evangelicæ adæquate exprimant [12].

8. Ut vel anni liturgici cursus, mysteriorum Redemptionis celebratio et Sanctorum cultus, formationem pleniorem, spiritualem et corporalem, credentium ab Ecclesia exoptatam [13] perficiant, maxime convenit ut secundum ipsam traditionem nostram, vita Communitatum et tempora liturgica mutuo inter se connectantur.

Inde, novis modis ac regularibus consuetudinibus convenienter aptatis, optandum est per anni circulum symbolice significare in celebrationibus liturgicis — attentis concretis possibilitatibus — connexionem inter vitam Communitatis, mysterium salutis et Sanctorum celebrationem. Ita Fratres nostri, Moniales et Sorores, etsi parva sit Communitas adunata, præsentibus fidelibus vel non, omni opere nitantur ut celebratio liturgiæ plene spiritui et veritati vitæ nostræ evangelicæ respondeat [14].

9. « Ordo » generalis Officii Divini et « Calendarium » liturgicum [15] Communitatibus amplam seligendi, variandi componendique elementa facultatem concedunt, ita ut etsi Liturgiam Horarum Ritus Romani noster adoptavit Ordo, in unoquoque sodalium cœtu elementis propriæ traditionis liturgicæ frui possit et Proprium adhibere multas afferens possibilitates.

10. Quando Communitas in congregationem liturgicam ad Officium Divinum celebrandum se constituit, ut propriam accipit orationem obiective determinatam sive quoad formam externam sive quoad ea quæ continet.

[12] Cf. ACG 1974, n. 171; ASOP 43, 1977, p. 134 — HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera* ..., I, pp. 167-169.

[13] Cf. SC, nn. 102-105; SRC, Instr. *Inter Œcumenici*, 26 sept. 1964, n. 14, 38 (EDIL, nn. 212, 236); CONC. VAT. II, Decret. De accommodata renovatione vitæ religiosæ *Perfectæ caritatis*, 28 oct. 1965, nn. 2, 3, 6, 7, 9, 15 (AAS 58, 1966, pp. 703-706, 709).

[14] Cf. supra, notam 12 et « Introductio generalis », n. 8, p. XXXIV; n. 85, p. LXVI.

[15] Cf. supra « Introductio generalis », nn. 3 sqq., pp. XXXII sqq.

Igitur, postquam celebratio initium cepit, cœtus liturgicus servet textus prius libere selectos et formam obiective determinatam [16].

Hæc omnia quæ minime opponuntur responsabilitati Capituli conventualis quoad animationem liturgicam [17], neque spatio pro variis actoribus vel momentis celebrationis præviso [18], qualitatem constituunt orationis liturgicæ regularis ad quam *Liber Constitutionum et Ordinationum* nos invitat. Quinimmo omnia hæc respondent auspicio Ordinis roborandi æquilibrium structurale vitæ nostræ religiosæ et apostolicæ [19].

Munera et Officii elementa

11. Liturgia Horarum a Communitate aliqua Ordinis celebrata non est simpliciter adiectio ad orationes privatas. « Centrum et cor totius vitæ nostræ, principium unitatis, fons prædicationis et medium in quo mysterium salutis contemplamur » [20], oratio liturgica constituit ex fratribus pro ipsa coadunatis « Ecclesiam orantem ».

Huius ministerii orationis quod ab Ecclesia accepimus [21] quodque cum universo populo Dei participa-

[16] Cf. IGLH, n. 33; IOANNES PAULUS II, Epist. ad universos Ecclesiæ Episcopos de SS. Eucharistiæ mysterio et cultu *Dominicæ Cenæ*, 24 febr. 1980, cap. 12 (AAS 72, 1980, pp. 142-146); SCSCD, Instr. De quibusdam normis circa cultum mysterii Eucharistici *Inæstimabile donum*, 3 apr. 1980 (AAS 72, 1980, pp. 331-333, 340-343). — HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera ...*, I, pp. 188-189.

[17] Cf. ACG 1971, n. 130, p. 78; ORDO PRÆDICATORUM, *Directorium pro celebrationibus liturgicis*, Roma 1979, n. 2, p. 7.

[18] Cf. IGMR, nn. 7-23, 24-57, præsertim n. 11, 313-341; IGLH, nn. 34, 47, 49, 112, 188, 193, 246-252, 261, etc.

[19] Cf. ACG 1980, n. 52, pp. 37-38; LCO, nn. 1, 57-65.

[20] ACG 1980, n. 52, 4, p. 38. — Vide CONC. VAT. II, SC, n. 10; ID., Decr. de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum Ordinis*, n. 5 et 13 (AAS 58, 1966, pp. 997-999; EDIL, nn. 549-552); LCO, nn. 1 § IV, 57; LCM, nn. 80-82; IGLH, nn. 18, 19; MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom., *cit.*, nn. 3-9, pp. X-XV; « Introductio generalis », n. 85, p. LXVI. — « Sermo ad Fratres », ACG 1962, pp. 30-31; ACG 1971, n. 128, pp. 76-78.

[21] Cf. SC, nn. 86, 90, 95, 96 [*ibid.*, n. 33]; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 5; IGLH, nn. 29-32; MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom., *cit.*, nn. 6-7, pp. XII-XIV et notas.

S. THOMAS DE AQUINO. *Super Sent. IV*. d. 15. q. 4. a. 1, 3, resp.; a. 2; *Summa Theologiæ* II^a-II^{ae}, q. 83, a. 12 [III^a, q. 22, a. 4; q. 64, a. 2, ad 3].

mus [22], membra Communitatis et ceteri fideles sunt actores.

Rationibus autem practicæ executionis sed etiam structuræ ecclesialis, quia liturgia est actio organica [23], specificæ dantur functiones: præsidis, lectoris, cantoris, psalmistæ, scholæ, etc. Sed congregatio ipsa, fratres et ceteri fideles, actores sunt celebrationis Officii, sive in unum sive in duos choros alternantes cantum psalmorum et canticorum exsequentes, vel cantum aut lecturas auscultantes et respondentes.

12. Varia elementa efficiunt ut Liturgia Horarum evadat « colloquium inter Deum et hominem ». Ex his autem aliqua sunt necessaria, ita ut numquam deesse possint, et stabili ordine disponuntur: hymni, psalmodia, lecturæ, intercessiones [24].

Alia autem, minoris momenti (v.g. acclamationes initiales vel finales, versus, responsoria, salutationes, antiphonæ) accedunt ad dimensionem communitariam celebrationis Officii patefaciendam et eius sensum plenius penetrandum.

13. Sine dubio, etiam elementa minoris momenti magnopere conferunt ad totam precationem in ambitu mysterii temporis vel festi liturgici vel horæ celebratæ collocandam. Exinde caute vigilandum est ne, ex inconsiderato desiderio ad simpliciores et essentiales formas redeundi, talia elementa omittantur. Celebratio enim de facto pauperior evadet.

Principium « progressivæ sollemnitatis », pluries evocatum a novis libris liturgicis necnon et ab Ordinis orientationibus [25], applicatur non tantum ad diversos ritus sed etiam ad usum textuum huius Proprii. Cuius

[22] Cf. SC, nn. 84, 85, 87, 90, 100; IGLH, nn. 22, 23, 27, 28, 32, 40; LCO, n. 58 [cf. nn. 124-130]; ICLOP, nn. 3, 4, 9, 12, 30; ACG 1977, n. 166, p. 104; ACG 1980, n. 188, pp. 99-100. — LCM, n. 1 § II et V.

[23] Cf. SC, nn. 26-30, 33; IGMR, n. 58; IGLH, nn. 20-27, 253-266; ICLOP, nn. 3-10, 11-12, 21-26.

[24] Cf. IGLH, n. 33. — ACG 1971, n. 128, p. 77; ACG 1980, n. 53, b), p. 38.

[25] Cf. IGMR, n. 19; IGLH, n. 273; LCO, n. 65; LCM, n. 88; ICLOP, n. 8.

enim ipsa varietas et diversitas tam in simplicioribus quam in sollemnioribus celebrationibus magnum fructum afferet et omnes Horas Officii rhythmo ac dynamismo exornabit.

Res intima mysterii et signa exteriora Officii

14. Communitatis membra ad Officium Divinum participant se ipsis totis, corpore scilicet et anima. Locorum dispositio, ædis ecclesiæ speciosa simplicitas [26], habitus et gestus corporis, vox ipsa esse debent signa devotionis interioris qua communitas, sub ductu Spiritus Sancti et ex propria plena participatione, conscia et activa, Christi mysterium exprimit [27].

Elementa externa Officii eo magis efficacia sunt signa, quod rem spiritualem ab ipsis significatam attingere permittunt. Quod ut verificetur, oportet ut celebratio ad mysterii rem sit aperta, intellegibilis evadat et, ex intrinseco animata, periculum ritualismi vacui et inanis multiloquii repellens, signis liturgicis vim pleniorem tribuat symbolicam.

15. Silentium, totius observantiæ præsidium [28], simul ac atmosphæra studii et orationis quam communitates et fratres custodire satagunt, ad æquilibrium, pacem ac serenitatem animorum summopere confert [29]. Hæc elementa necnon generosa pœnitentia etiam corporalis, assidue expostulata pro quotidiana conversione

[26] Cf. LCM, n. 90 [LCO, n. 65]; ICLOP, nn. 4, 28 et notam. Vide etiam ACG 1958, n. 217, p. 94.

[27] Cf. supra, notam 7. — « Corpore et anima unus, homo per ipsam suam corporalem condicionem elementa mundi materialis in se colligit, ita ut, per ipsum, fastigium suum attingant et ad liberam creatoris laudem vocem attollant (cf. Dan 3, 57-90) ... Ipsa igitur dignitas hominis postulat ut Deum glorificet in corpore suo (cf. 1 Cor 6, 20) », Conc. Vat. II, Const. pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et Spes*, n. 14 (AAS 58, 1966, p. 1035).

S. Thomas de Aquino, *De potentia*, q. 5, a. 10, ad 5 (et corpus); *Summa Theologiæ* II^{a}-II^{ae}, q. 81, a. 7; q. 82; q. 84, a. 2 et a. 3; Humbertus de Romans, *Opera* ..., II, pp. 160-178.

[28] Cf. LCO, n. 46; LCM, n. 52 § II; ACG 1980, n. 52, 2 et 3, p. 37.

[29] Cf. ACG 1980, n. 52, 3, p. 37. — Humbertus de Romans, *Opera* ..., II, p. 107.

ad Evangelium [30], et colloquium intimum cum Christo, vitare permittent pericula celebrationis exanimatæ Officii Divini [31] et dimensioni contemplativæ vitæ religiosæ favebunt virtute cotidie renovata [32].

16. More tradito, celebratio choralis Liturgiæ Horarum secum fert gestus ac varios corporis habitus de quibus supra [33] dictum est quomodo fovere debeant auditum verbi Dei et pleniorem participationem, mentis scilicet et corporis, ad orationem communem et ad actiones liturgicas [34].

Usque ad hoc tempus, Ordo noster proprio Cæremoniali fruitus est pluribus variisque elementis compositio [35]. Nunc Institutionem Missalis Romani et Liturgiæ Horarum sequens, mores suos sedulo consideravit Communitatibus orientationes generales præbens atque formam gestuum choralium proponens libris novis liturgicis appropriatam et etiam melius aptabilem [36].

Sicut suo loco commemoratum est, Indicationes istæ ab unaquaque Communitate explicari et appropriari de-

[30] Cf. Mc 1, 15. — PAULUS VI, Const. Apost. *Pœnitemini et credite Evangelio*, 17 febr. 1966, II et III (AAS 58, 1966, pp. 181-183; EDIL, nn. 614-625); *Regula B. Augustini* (LCO, pp. 4-5); LCO, nn. 1 § VII, 52 § II, 105 § III; LCM, nn. 1 § V, 40 § II, 67, 111.

[31] Cf. Mt 6, 6; SC, nn. 11, 12; IGLH, n. 9. — LCO, n. 66; LCM, nn. 80, 93; ACG 1980, n. 52, 2 et 3, p. 37.

[32] PAULUS VI, *Homilia in IX SS. Concilii sessione*, 7 dec. 1965, *Constitutiones, Decreta, Declarationes*, Typis Polyglottis Vaticanis 1966, p. 1065: « Utique Deus est ... noster Creator, nostra veritas, nostra felicitas; adeo ut homo, cum mentem et cor suum in Deo defigere nititur, contemplationi vacando, actum animi sui eliciat, qui omnium nobilissimus ac perfectissimus est habendus. — SCRIS, Doc. *La dimensione contemplativa della vita religiosa* (Plenaria, marzo 1980), *Informationes SCRIS*, suppl. 1980, pp. 34-35 [ASOP 45, 1981, pp. 49-50].

HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera* ..., I, pp. 184-186; II, pp. 31-34; S. THOMAS DE AQUINO, *De perfectione spiritualis vitæ*, cap. 17, ed. Leon. [14, in fine]; *Summa Theologiæ* II[a]-II[ae], q. 188, a. 6. — MO Á. FERNÁNDEZ, Litt. prom. *Universo Ordini nostro*, 12 nov. 1962, in ACG 1962, pp. XV-XVIII, XXVII-XXX; ID., *Litteræ occasione novarum LCO*, in LCO, pp. V-XV.

[33] Cf. nn. 5, 7, 11, 14.

[34] Cf. ICLOP, n. 9. — HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera* ..., II, pp. 160-178.

[35] Cf. VLOP, pp. 268-287.

[36] Cf. Commentarium et bibliographia in ASOP 43, 1977, pp. 260-273; *Notitiæ* 14, 1978, pp. 464-479.

bent, situationibus localibus attente consideratis [37]. Itaque, etsi indicationes cœtui vel tempori liturgico consonæ adhibentur, vitabuntur tamen celebrationes quæ licet fideliter rubricas observent sunt tamen rigidæ, cæremoniosæ, momentum humanum gestuum adulterantes [38].

17. Signa igitur ab Ordine proposita vel in Communitatibus usitata (v.g. lux, tus, gestus corporis, ornamenta, etc.) promoveri debent interiore spiritus infusione, qui eorum significationem percipiat [39].

Studio autem creationis animationisque nisu, habitus corporis et chori authentica signa humana erunt et ideo signa efficacia quibus cœtus liturgicus, fide radicatus et iucunde fruens variis mediis quibus Sanctus Spiritus utitur hodie [40], participationem exprimet memoriali mysterii Christi etiam in Officio Divino, quod sicut Eucharistia « sacrificium spirituale » vocari meretur [41].

Centrum et cor totius vitæ nostræ

18. Arcta coniunctio et actio reciproca vitæ apostolicæ et celebrationis Officii Divini rhythmum, modos et amplitudinem habet varia, iuxta communitates Fratrum, Monialium vel Sororum.

Sicut Eucharistia cui intime coniungitur, Officium non solum commemorat sed etiam præsentem efficit historiam salutis cuius Christus est principium, centrum et finis [42].

[37] Cf. ICLOP, nn. 2, 9, 20, 31, 40.

[38] Cf. IGLH, n. 279. — ACG 1965, n. 276, p. 123; ACG 1974, n. 166, p. 105.

[39] Cf. ICLOP, nn. 9, 20.

[40] Cf. ACG 1971, n. 128, pp. 75-76; ACG 1974, n. 166, pp. 103-104; ACG 1980, n. 52, 3, p. 37.

[41] Cf. IGLH, n. 12; Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 5 (AAS 58, 1966, pp. 997-998; EDIL, nn. 549-552); Ioannes Paulus II, Epist. *Dominicæ Cenæ*, capp. 2 et 3 (AAS 72, 1980, pp. 115-119; *Notitiæ* 16, 1980, pp. 126-130).

[42] Cf. SC, nn. 5, 83; Conc. Vat. II, Const. dogmatica de divina Revelatione *Dei Verbum*, n. 4 (AAS 58, 1966, pp. 818-819); IGLH, n. 12. — Io 5, 36; 17, 4; Gal 4, 4; Eph 1, 10; 1 Tim 6, 14; Tit 2, 13; Hebr 1, 1-2.

Vide: S. Ioannes Damascenus, *De fide orthodoxa* III, 15 et 19 (PG 94, 1060 et 1080); S. Thomas de Aquino, *Summa Theologiæ* III[a], q. 48, a. 6; q. 56, a. 1.

Itaque celebratio Horarum non est quantitas materialis temporis orationi consecrati vel tantum sanctificatio spatiorum temporis cuiusque diei, sed communio quoque est momentis istis (kairoi) Christi [43] et huic *horæ* [44] qua Dominus ex hoc mundo ad Patrem transiit [45], promissionem salutis consummans.

Officium, quod ante omnia contactum efficit magis magisque vivacem cum Deo iam in Communitate præsenti [46], in Iesu Christi vita omnes actiones operationesque nostras assumit [47] in eius mysterio paschali nos implicans.

19. Hac in dimensione paschali Liturgiæ Horarum, iuxta rhythmum dierum, hebdomadarum et anni, necnon in cultu Sanctorum, unaquæque communitas, frater vel soror, conditionibus suis peculiaribus, ad illud Iesu Christi præceptum attendit, quod est « orate sine intermissione » [48] quod ut exigentia propriæ experientiæ religiosæ est tenendum [49].

Ita in Liturgia, quæ semper ut vera et sollemnis celebratio apud nos consideratur [50], etsi parva sit communitas adunata, aliquid perficitur quod pertinet ad essentiam nostræ vocationis apostolicæ, id est in uno actu spirituali laudem Dei et necessitates hominum proclamare atque symbolum unitatis fratrum veræ communioni coniungere [51] itaque pervenire « in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi » [52].

[43] Mt 16, 18; Io 7, 6. 8. HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera* ..., I, p. 157.
[44] Io 2, 4; 7, 30.
[45] Cf. Io 13, 1.
[46] Mt 18, 19-20; ICLOP, n. 4: « Modus orandi iuxta quem Fratres sunt conversi non ad altare, sed ad invicem [...], modo opportuno significat præsentiam Christi in ecclesia orante (Mt 18, 20) et symbolum pulchrum continet vitæ contemplativæ et dimensionis eschatologicæ communitatis ... ». HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera* ..., I, pp. 75-79; pp. 84, 103-104.
[47] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei* .., AAS 39, 1947, p. 574.
[48] Cf. Lc 18, 1; 11, 5-13; Rom 12, 12; Eph 6, 18; 1 Th 5, 17.
[49] Cf. LCO, nn. 57, 66; LCM, nn. 80, 93-94; ACG 1971, n. 128, p. 77; ACG 1980, n. 52, 2, p. 37.
[50] Cf. ACG 1971, n. 128, p. 76. — VLOP, pp. 115-120.
[51] ACG 1980, n. 52, 4, p. 38; *ibid.*, n. 76, pp. 47-50.
[52] Cf. Eph 4, 13.

B) Cantus Officii et repertorium Proprii

Musicæ modulatio et qualitas expressionis Officii

20. Inter signa et media quæ cœtum quendam in congregationem orantem constituunt et colloquium cum Deo adiuvant, locus præcipuus spectat arti musicæ, quæ minime habenda est ut ornamentum extrinsecum ad orationem accedens [53]. Ipsa enim est potius elementum valde efficax divinæ laudis.

Celebratio conventualis liturgiæ ex se ipsa postulat qualitatem [54] et illam veram sollemnitatem quæ « potius quam ex ornatiore forma cantus et magnificentiæ cæremoniarum apparatu, ex digna et religiosa celebratione » pendet, « quæ rationem habeat integritatis ipsius actionis liturgicæ, seu exsecutionis omnium eius partium, iuxta propriam earum naturam » [55].

Ornatior forma cantus optanda quidem est quia cantus est « indicium plenioris sollemnitatis » atque « exprimit profundiorem unionem cordium in laudibus Dei persolvendis » [56]. Præterea cantus melius emergere facit plenitudinem sensus verbi Dei. Cantus, postremo, profluens « ex profunditate animæ orantis atque Deum laudantis » [57], vim peculiarem tribuit responsioni hoc Dei verbo provocatæ.

[53] Cf. IGLH, n. 279. — SC, nn. 112-121, et etiam nn. 7, 28, 37, 54; EDIL, pp. 113, 115, 246, 275, 367, 421, 783, 874.

[54] Cf. ICLOP, n. 8. — IGLH, nn. 24, 40, 268, 270, et infra, notam 55.

[55] SRC et « Consilium », Instr. de musica in sacra Liturgia *Musicam sacram* [MS], 5 martii 1967, n. 11 (AAS 59, 1967, p. 303; EDIL, n. 743); bibliogr., EDIL, p. 275.

[56] IGLH, n. 268. — S. Augustinus, « ... cantare amantis est » (*Sermo* 336, 1, PL 38, 1472); *Enarrationes in Psalmos*, Ps 64, 3 (PL 36, 774) et Ps 48, 10 (PL 36, 563).

[57] IGLH, n. 270.

Humbertus de Romans, « Felices effectus isti, et felix illa iubilatio quæ duritiam cordis resolvit, quæ terrenam mentem elevat, quæ tristitiam sæculi depellit, quæ ad susceptionem divinæ benedictionis viam præparat, ... Deum delectat, militantem Ecclesiam triumphanti assimilat ... » (*Opera* ... I, p. 188). — S. Thomas de Aquino, *Summa Theologiæ*, II^{a}-II^{ae}, q. 83, a. 12; q. 91, a. 2 [q. 83, a. 12 ad 2].

21. Celebratio igitur Officii Divini in cantu, quæ valde commendatur [58], melius perficietur iuxta diversitates vel possibilitates Communitatum nostrarum, si principium « sollemnitatis progressivæ » [59] instauretur. In ordinandis celebrationibus cuiusque communitatis, attendendum erit ad rerum adiuncta iuxta situationes reales, scilicet præsentiam unius vel plurium cantorum, vel animatoris tantum qui cantus simplices dirigere valeat, vel animatoris qui celebrationem sine cantu dirigat.

22. Nostri temporis investigationes circa modum cantandi, dicendi vel, iuxta circumstantias, proferendi psalmos vel alios textus liturgicos, ostendunt varias et subtiles possibilitates quæ in hoc genere exsistere possunt. Tales enim sunt ut, etiam si communitas sit parva, ac vix cantare possit, hanc veram sollemnitatem, de qua supra diximus [60], fovere possint.

Ita evenit ut linguis vernaculis, aliquæ formæ proclamationis vel lectionis textus cum instrumentis musicis subtus comitantibus celebrationi liturgicæ harmonice accommodari possint. Hoc autem possibilitatem variandi et novandi recitationem Officii præbere poterit.

23. Memorari semper oportet musicam vel cantum in liturgia non assumi ad æstheticam auditionem parandam. Inservire e contrario debent colloquio cum Deo et Dei verbo quibus afferre valent vim novam ad orationem exprimendam.

In quacumque forma, musica est medium quo textus liturgici melius intellegantur et oratio communitatis roboretur [61].

[58] Cf. IGLH, nn. 267-284. — *Regula B. Augustini* (LCO, p. 4); LCO, n. 65; LCM, n. 88, Ord. 3; ICLOP, n. 8. — VLOP, pp. 255-267.

[59] Cf. supra, notam 25.

[60] Cf. textum, n. 20. — Vide etiam, IGLH, n. 273: « ... Per hanc maiorem variandi copiam laus publica Ecclesiæ frequentius quam antea in cantu peragi ac multimode variis accommodari adiunctis poterit, et spes non modica affulget fore ut novæ viæ novæque formæ inveniantur pro nostra ætate, sicut semper factum est in vita Ecclesiæ ».

[61] Cf. IGLH, nn. 270, 273.

Cantus gregorianus et aliæ formæ cantus

24. In omnibus formis cantus, præterito tempore elaboratis, cantus gregorianus principem habet locum utpote magis aptus qui præbeat verbis latina lingua prolatis intensitatem orationis [62].

Ut iam dictum est [63] et mox dicetur, una cum labore translationis Proprii, efficaciter adlaborari oportet, iuxta characterem præcipuum uniuscuiusque idiomatis [64], ad inveniendos vel creandos cantus, et Provinciis Ordinis occasiones offerendas ut Communitates nostræ animentur [65] compositionibus qualitate et simplicitate bene præditis.

25. Hac tamen in editione latina, elementa in cantu persæpe præbentur pro totalitate Proprii nostri et temporibus magis typicis anni liturgici.

Pleraque elementa ex libris nostris liturgicis deprompta sunt, examine critico, sive litterario sive musicali, considerata. Hæc critica selectio præbere intendit optima quæque repertorii nostri gregoriani nunc quoque cogniti et adhibiti a Communitatibus nostris, prætermittens, contra, elementa minoris valoris.

[62] Cf. MS, n. 50 (EDIL, n. 782); SC, n. 116 (*ibid.*, n. 116). *Graduale simplex in usum minorum Ecclesiarum*, ed. typ. altera, Typis Polyglottis Vaticanis 1975, « Prænotanda », pp. VI-XII (EDIL, nn. 1009-1026); *Graduale sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Abbatia S. Petri de Solesmis 1974, « Prænotanda », pp. 7-12 (= EDIL, nn. 2832-2859); *Graduale triplex*, Solesmis 1979.

SCCD, « Communicatio de cantu gregoriano adhibendo ["Iubilate Deo"] », ASOP 41, 1974, pp. 434-436; IOANNES PAULUS II, Epist. *Iubilari feliciter*, 25 maii 1980, *Notitiæ* 16, 1980, pp. 363-365.

[63] Cf. supra « Introductio generalis », nn. 72 sqq., pp. LX sqq.

[64] Cf. MS, nn. 54-61 (EDIL, nn. 786-793).

[65] De animatione ac formatione liturgica, præsertim in Ordine, vide: LCO, nn. 124, 126, 187, 220 § I; LCM, n. 103 § I; ICLOP, nn. 6, 8; O.F.P., *Ratio studiorum generalis*, ed. V. de Couesnongle, Romæ 1975, nn. 42-46, et in n. 138 § I, 1°; — Bibliogr. « De institutione liturgica [O.P.] », ASOP 44, 1980, pp. 246-248.

HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera ...*, II, pp. 221-222, 227-228, 238-245, 360 sqq. [Appendix, pp. 530-531]; VLOP, pp. 121-131.

Aliqua ex his elementis, præsertim ea quæ in editione V. Jandel inveniuntur, iuxta exigentias hodiernas musicologiæ gregorianæ transcribi indigent.

26. Ordo cantus Officii Proprii O.P. faciliorem reddet usum librorum nostrorum et cantum gregorianum Proprii. Sed iam nunc hoc possibile evadit utendo referentiis in hac editione indicatis et Indice Antiphonarii [66].

Attendendum præcipue est ad principium « æquivalentiæ » in Liturgia Horarum promulgatum [67], necnon liceitatem utendi nostris libris cantu ornatis, mutatis mutandis: *Antiphonario O.P.* (1933), *Officio Hebdomadæ Sanctæ O.P.* (1965), *Tonorum communium iuxta Ritum O.P. regulis* (1965), et responsoriis prolixioribus [68].

27. Oportet ut selectio quædam cantuum et orationum maioris momenti in historia liturgiæ dominicanæ [69] edatur. Quod efficiet ut non solum hæc elementa oblivioni non tradantur neque pereant sed etiam ut in variis regionibus dominicanis creationes promoveantur vel selectiones pro festis nostris et temporibus liturgicis incrementum habeant.

Cantus typici et repertoria linguis vernaculis

28. Pluries in Introductione opportunitas evocata est edendi, in editionibus linguis vernaculis, compositiones (hymnos, antiphonas, responsoria, etc.) proprias vel vere appropriatas celebrationibus Sanctorum Ordinis nostri.

Præterea, editio hæc typica latina [70] indicat et indicabit cantus præcipuos traditionis nostræ pro aliquibus festis et temporibus. In labore igitur aptationis vel creationis considerare oportebit formularia nostra ad celebrationem choralem liturgiæ intendere.

[66] Romæ: Ad S. Sabinæ, 1977.

[67] Cf. IGLH, n. 274: « ... In Officio cantato, si deest melodia pro antiphona proposita, sumatur alia antiphona ex iis quæ sunt in repertorio, dummodo apta sit ad normam nn. 113, 121-125 ».

[68] Cf. ACG 1974, n. 171: « De quibusdam elementis peculiaribus Ritus nostri », nn. 23, 24, 25; SCSCD, Decret. Prot. CD 671/76, 25 iulii 1977 (ASOP 43, 1977, p. 140).

[69] ACG 1980, n. 60, p. 41. — Vide supra, n. 24, p. 15.

[70] Cf. « Introductio generalis », nn. 61 sqq., pp. LVI sqq. Appendicem III et Supplementa I et II, infra, pp. 651, 673, 687.

29. In melodiis seligendis, genera litteraria, sollemnitas diei, capacitates cœtus liturgici necnon diversitas munerum in celebratione liturgica consideranda sunt [71].

Qualitati textuali et musicali repertorii consulendum erit, quin principium æquivalentiæ [72] neglegatur. Commemorari etiam oportet nihil impedire « quominus in una eademque celebratione partes aliæ alia lingua canantur » [73]. Cantus gregorianus tamen percolatur et iustus locus ipsi tribuatur [74].

II

DE USU ET APTATIONIBUS AD DIVERSAS COMMUNITATES

30. Ut Proprium Ordinis orationis nostræ vim augescat et alimentum fiat « renovationis vitæ dominicanæ propter contactum magis directum cum illis qui exemplaria nostra et intercessores in sequela sancti Dominici sunt » [75], plene recipiatur necesse est a quavis Communitate [76].

Eius usus efficit ut Proprium finem suum attingat ut liber liturgicus qui celebrationi et communioni inserviat.

Celebratio omnibus patens

31. Pro Officii Divini plena celebratione, Communitatibus præsto sunt indicationes, necnon plurimæ suggestiones pastorales vel practicæ, in copiosis tum Ecclesiæ tum Ordinis documentis, quorum plures in Litteris promulgationis et in ipso huius Proprii cursu memorati sunt [77].

[71] Cf. MS, nn. 13-26; IGLH, nn. 23, 253; ICLOP, n. 7. — Vide etiam HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera* ..., II, pp. 240-241.
[72] Cf. IGLH, n. 274 et supra, notam 66.
[73] IGLH, n. 276: « Nihil ... impedit quominus in una eademque celebratione partes aliæ alia lingua canantur ».
[74] Cf. LCM, Ord. n. 3: « ... Cantum gregorianum tamen percolant quem Ecclesia liturgiæ Romanæ proprium agnoscit » (ASOP 40, 1972, p. 438).
[75] ACG 1977, n. 61, p. 41.
[76] Cf. « Introductio generalis », n. 14, p. XXXVI, n. 80, p. LXIII.
[77] Cf. supra, pp. 4 sqq.

Momentum eorum signanter apparet pro ipsa oratione rite præparanda, pro diversis rerum adiunctis præ oculis habendis, necnon et pro Liturgia ipsa ordinanda iuxta formam regularem et contemplativam vitæ nostræ [78].

32. Iteratis vicibus memorat hoc Proprium vitam nostram dominicanam esse apostolicam, et hoc influxum in vitam nostram liturgicam inde ab initio habuisse [79].

33. Officium Divinum, utpote « communis oratio Ecclesiæ » patere oportet omnibus iis qui discere desiderant « præprimis in actione liturgica Deum Patrem in spiritu et veritate adorare » [80]. Communitates tamen nostræ, in observandis « signis temporum » semper attentæ, non satis habebunt perspicere mediante « publico cultu et oratione omnes homines attingere et ad totius mundi salutem non paulum conferre » [81] sed etiam vivide testificare debebunt orationem, ex Dei verbo ortam atque iuxta sancti Dominici exemplum vitaliter expressam, semper de novo Christum experiri nos sinere illamque valorem constituere vel ad oculos eorum qui longe sunt et christiano nomine non censentur [82].

[78] Cf. LCO, nn. 1, 39-41, 57, 83: LCM, nn. 1, 3, 40, 52, 81, 103, 109; ACG 1977, n. 46 (pp. 35-38); ACG 1980, nn. 48-49 (pp. 34-38), n. 76 (pp. 47-50).

Vide etiam notam 32, in fine. — MO A. FERNÁNDEZ, « Sermo Magistri Ordinis in fine Capituli dictus [24 oct. 1968] », ACG 1968, pp. 91-92; ID., Litteræ occasione VIII Centenarii nativitatis S. Dominici *Iniens annus*, 30 apr. 1970, ASOP 39, 1970, pp. 544-548; MO V. DE COUESNONGLE, *Le courage du futur*. Messages aux Dominicains (Problèmes de vie religieuse, 41), Paris 1980, pp. 47-50, 64-66, 78-82, 89-90, 127-131, 141-147.

[79] De fidelium participatione ad celebrationes nostras, cf. LCO, n. 58; ICLOP, nn. 3, 4, 9, 12, 23, 30; ut Ecclesiæ Ordinis sint centra prædicationis, vitæ liturgicæ, apostolatus, cf. LCO, n. 126; de simplicitate et sobrietate nostrarum celebrationum, cf. LCO, n. 65; de Liturgia relate ad vitam apostolicam, cf. « Introductio generalis », notam 104, p. LXI.

[80] IGLH, n. 27.

[81] *Ibid.*

[82] Cf. ACG 1974, n. 166, p. 104; ACG 1977, n. 15, pp. 171-174; ACG 1980, n. 17, pp. 16-23.

34. Liturgica congregatio ex natura sua est aliis aperta. Quod principium diversimode in praxim ducitur, pro cœtuum Ordinis diversitate [83], neque de se implicat munus pastorale [84], nisi relate ad ipsam participationem actuosam illorum qui nostris celebrationibus adsunt.

35. Diversæ quæstiones exinde oriuntur de Officii organizatione quo facilior ceteris fidelibus reddatur accessus; de loco celebrationis [85]; de concretis participationis modalitatibus, attentis quidem locorum amplitudine atque illa simplicitate ac sobrietate, quæ peculiaria sunt nostrarum celebrationum [86].

36. Si rerum adiuncta id suadeant, participatio nostra in celebratione liturgica parœciarum (vel aliarum portionum ecclesialium) opportuna haberi poterit, absque eo quod neglegatur id quod de relatione dictum est inter liturgiam et vitam dominicanam. Attendenda insuper erit habitudo ad Ecclesiam localem [87] et vel ipsa charismatum diversitas intra ambitum eiusdem Familiæ Dominicanæ.

[83] Cf. LCO, n. 1 § IX. — SCRIS, Instr. De vita contemplativa et de monialium clausura *Venite seorsum*, 15 aug. 1969 (AAS 61, 1979, pp. 674-690: elementa Liturgiæ, EDIL, nn. 1948-1953).

[84] PAULUS VI, Litteræ Summi Pontificis ad Capitulum generale *Inclitus Ordo Fratrum Prædicatorum*, 30 iun. 1965 (in ACG, p. IV). — Cf. LCO, nn. 1 § VII, 26 § I, 52, 106 § I, 115, 127, 128.

[85] Cf. ICLOP, n. 4, præsertim notam 6 (supra, p. LXXVI).

[86] Cf. LCO, n. 65, et supra, notam 79.

[87] Cf. SRC, Instructio de cultu mysterii eucharistici *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967 (AAS 59, 1967, pp. 539-573; ASOP 38, 1968, pp. 386-412; EDIL, nn. 899-965, bibliogr., p. 320); SCE, Directorium de pastorali ministerio Episcoporum, 22 febr. 1973 (EDIL, nn. 2991-3007); SCRIS et SCE, Notæ directivæ pro mutuis relationibus inter Episcopos et Religiosos in Ecclesia *Mutuæ relationes*, 14 maii 1978 (AAS 70, 1978, pp. 473-506).

Liturgica Communitatum promotio et locales adaptationes

37. Ad harmonicam rationem assequendam, quæ intercedit Liturgiam inter et Communitatem quæ ipsam persolvit, necnon et ad verbi Dei meditationem fovendam nostramque laudem et intercessionem exprimendam, recursus fiet ad facultates seu suggestiones Introductionis generalis huius Proprii O.P.

Per aptam catechesim Superiores communitatum ceterique liturgiæ responsabiles curent ut fratres ac sorores rite percipiant spirituales divitias et sensum liturgiæ instauratæ [88].

In ratione formationis liturgicæ ac musicæ [89], fratres et sorores initiandi sunt ad huius Proprii contentum et structuram.

38. Semper serta tectaque structura essentiali celebrationis liturgicæ, ad vitandam nimiam uniformitatem in oratione, oportet ut attendatur ad dynamismum et ad multiplices possibilitates quæ a libris liturgicis afferuntur in eorum Institutionibus et Prænotandis [90].

39. Conspici item possunt præstantiores optiones, in ipsa Institutione generali vel in hoc Proprio acceptæ, quarum momentum maius evadit pro aliquibus communitatibus Fratrum, sed præsertim Monialium.

Inter huiusmodi optiones indicanda veniunt: adoptio cycli lectionis biblicæ biennalis [91]; usus Lectionarii complementaris patristici vel aliorum Sanctorum [92]; ce-

[88] Cf. LCO, nn. 7 §§ I et II, 299, 300; LCM, nn. 74, 76, 214, 270; ICLOP, nn. 6, 8; *Adaptationes ad Ordinem Prædicatorum illarum partium Ritualis Romani quæ vocantur « Ordo unctionis infirmorum » et « Ordo exsequiarum »*, nn. 4, 7, 10, 13, 14 (ASOP 43, 1977, pp. 144-146); ACG 1980, n. 58, p. 39.

[89] Cf. supra, notas 65 et 69.

[90] Cf. ACG 1980, n. 53, b), p. 38. — *Directorium liturgicum O.P.*, ed. 1979, « Prænotanda », pp. 7-26, præsertim pp. 15-18.

[91] Cf. IGLH, nn. 145-152.

[92] *Ibid.*, nn. 167, 162.

lebratio habitualis Officii lectionis sub forma Vigiliæ et psalmodiæ Horarum minorum variatio [93] atque psalmorum partitio alia ac in Liturgia Horarum.

40. Omnia ista, utpote maioris momenti variationes, adæquatam præparationem exigunt, immo, in quibusdam casibus, approbationem et confirmationem a competenti Auctoritate. Attamen iura permanent pro Communitatibus, quæ illis uti cupiunt. Eorum autem usus vitalem valorem habere potest pro Communitatibus nostris, e.g. apud Moniales contemplativas [94].

CONCLUSIO

41. Secundum legitimum pluralismum in quo Ecclesia elementa apta ad Corpus Christi ædificandum agnoscit, omnibus Communitatibus in toto et etiam singillatim hoc *Proprium Officiorum O.P.* Ordo proponit.

Hæ orientationes faciliorem reddunt, quoad orationem et celebrationem, dialogum inter traditionem dominicanam et spirituales tendentias culturæ huius temporis.

42. Biblicæ et patristicæ originis causa, oratio, et insimul Ecclesiæ meditatio, renovationem attingunt spectando ad benedictionem præsertim necnon ad doxologiam [95]. Itaque eucharistica oratio forma præcipua orationis et celebrationis christianæ evadit.

43. Omnis igitur actus et omne liturgicum elementum, sive verbum sive musica sive cantus sive gestus

[93] Cf. SCCD, Notificatio. *De Liturgia Horarum pro quibusdam Communitatibus*, 6 aug. 1972 (*Notitiæ* 8, 1972, pp. 254-258; *ibid.* 10, 1974, pp. 39-40; ASOP 31, 1973, pp. 102-105). — MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom., *cit.*, n. 6, p. XIII.

[94] Cf. IOANNES PAULUS II, Alloc. *De vita contemplativa, regularium sive virorum sive mulierum, intra clausuram ducta, grata Deo Ecclesiæque perutilis*, 7 mart. 1980, nn. 3-4 (AAS 72, 1980, pp. 210-212).

[95] Cf. 1 Cor 14, 16.

et actio ritualis, doxologiæ rationem et vim induens, plene confiteri debet mirabilia Dei quæ pariter in gloria et in passione patefiunt [96].

44. Legitimus Sanctorum et Beatorum Ordinis nostri devotus cultus, quem cordi habendum atque fovendum Constitutiones nos impense incitant [97], exercendus est secundum formas quæ principiis instauratæ liturgiæ respondeant. Exprimi etiam potest et debet extra Officium canonicum [98].

45. Modo magis proprio, Prædicatorum Ordo, prædicatione et ministerio Verbi Domini, iuxta munus suum missionarium et propheticum, dimensionem eucharisticam cuiusque vitæ christianæ vivit. Ita evenit ut, iuxta Apostoli verba, ministerium apostolicum cultus est Deo ipsi tributus [99]: « testis ... mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in evangelio Filii eius » [100].

[96] Cf. S. AMBROSIUS, *Epistula 22,* 13 (PL 16, 1066); S. AUGUSTINUS, *Enarrationes in Ps 140,* 4-6 (LH II, pp. 132-133); Ps. MAXIMUS TAURINENSIS, *Sermo 78* (PL 57, 689-690).

[97] Cf. LCO, n. 67; LCM, n. 96.

[98] Cf. LCO, n. 16.

[99] « Quia igitur tot habet prædicatio prærogativas, et tam magna exempla, et tam acceptum est Domino huiusmodi exercitium, non immerito præ omnibus aliis est isti a viris spiritualibus, et ad hoc sufficientibus, vacandum: immo et necessitas eis incumbit. 1 Cor 9: Væ mihi! si non evangelizavero: necessitas enim incumbit » (HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera* ..., II, p. 434).

[100] Rom 1, 9.

INDEX SIGLORUM

I.

Libri Sacræ Scripturæ

Abd	Liber Abdiæ prophetæ
Act	Actus Apostolorum
Ag	Liber Aggæi prophetæ
Am	Liber Amos prophetæ
Ap	Apocalypsis beati Ioannis apostoli
Bar	Liber Baruch prophetæ
Cant	Canticum canticorum
1 et 2 Chr	Libri I et II Chronicorum (= I et II Paralipomenon)
Col	Epistola beati Pauli apostoli ad Colossenses
1 et 2 Cor	Epistolæ I et II beati Pauli apostoli ad Corinthios
Dan	Liber Danielis prophetæ
Deut	Liber Deuteronomii
Eph	Epistola beati Pauli apostoli ad Ephesios
Esd	Liber Esdræ (= I Esdræ)
Est	Liber Esther
Ex	Liber Exodus
Ez	Liber Ezechielis prophetæ
Gal	Epistola beati Pauli apostoli ad Galatas
Gen	Liber Genesis
Hab	Liber Habacuc prophetæ
Hebr	Epistola ad Hebræos
Iac	Epistola beati Iacobi apostoli
Ier	Liber Ieremiæ prophetæ
Io	Evangelium secundum Ioannem
1, 2 et 3 Io	Epistolæ I, II et III beati Ioannis apostoli
Iob	Liber Iob
Ioel	Liber Ioelis prophetæ
Ion	Liber Ionæ prophetæ
Ios	Liber Iosue
Is	Liber Isaiæ prophetæ
Iud	Epistola beati Iudæ apostoli
Iudic	Liber Iudicum
Iudt	Liber Iudith
Lam	Lamentationes (= Threni)
Lc	Evangelium secundum Lucam

Lev	Liber Leviticus
1 et 2 Mąc	Libri I et II Machabæorum
Mal	Liber Malachiæ prophetæ
Mc	Evangelium secundum Marcum
Mic	Liber Michææ prophetæ
Mt	Evangelium secundum Matthæum
Nah	Liber Nahum prophetæ
Neh	Liber Nehemiæ (= II Esdræ)
Num	Liber Numeri
Os	Liber Osee prophetæ
1 et 2 Petr	Epistolæ I et II beati Petri apostoli
Phil	Epistola beati Pauli apostoli ad Philippenses
Phm	Epistola beati Pauli apostoli ad Philemonem
Prov	Liber Proverbiorum
Ps	Liber Psalmorum
Qoh	Liber Qohelet (= Ecclesiastes)
1 et 2 Reg	Libri I et II Regum (= III et IV Regum)
Rom	Epistola beati Pauli apostoli ad Romanos
Rut	Liber Ruth
1 et 2 Sam	Libri I et II Samuelis (= I et II Regum)
Sap	Liber Sapientiæ
Sir	Liber Siracidæ (Ben Sira = Ecclesiasticus)
Soph	Liber Sophoniæ prophetæ
1 et 2 Th	Epistolæ I et II beati Pauli apostoli ad Thessalonicenses
1 et 2 Tim	Epistolæ I et II beati Pauli apostoli ad Timotheum
Tit	Epistola beati Pauli apostoli ad Titum
Tob	Liber Tobiæ
Zac	Liber Zachariæ prophetæ

II.

Scripta Patrum et Pontificum necnon Auctorum O.P.

AAS	Acta Apostolicæ Sedis (Romæ 1909–).
ACG	Acta Capituli Generalis O.F.P.
AFP	Archivum Fratrum Prædicatorum (Lutetiæ Parisiorum-Romæ 1931–).
ASOP	Analecta Sacri Ordinis Fratrum Prædicatorum (Romæ 1893–).
BAC	Biblioteca de Autores Cristianos (Matriti 1945–).

BOP Bullarium Ordinis Fratrum Prædicatorum, I-VIII (ed. A. Brémond, Romæ 1729-1740).

CSEL Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (Vindobonæ 1866–).

LCM Liber Constitutionum Monialium Ordinis Prædicatorum [1971] (in: ASOP 40, 1972, pp. 385-442).

LCO Liber Constitutionum et Ordinationum Ordinis Fratrum Prædicatorum [1968] (Typis Polyglottis Vaticanis 1969).

MOPH Monumenta Ordinis Fratrum Prædicatorum Historica (Lovanii-Romæ 1896–).

PG Patrologia Græca (Ed. J.-P. Migne, Lutetiæ Parisiorum 1857-1866).

PL Patrologia Latina (Ed. J.-P. Migne, Lutetiæ Parisiorum 1844-1864).

VLOP A.-G. Fuente, La Vida litúrgica en la Orden de Predicadores [estudio en su legislación: 1216-1980], Romæ: Ad S. Sabinæ (coll. « Monumenta Ordinis Fratrum Prædicatorum Historica », Sectio: « Dissertationes Historicæ », vol. XX), 1981.

III.
Libri liturgici

AG Antiphonarium S.O.P., ed. M. Gillet, Romæ 1933 [Add. 1948, 1949 et 1961].

AJ Antiphonarium S.O.P., ed. V. Jandel, I, II, Suppl., Mechliniæ 1862-1863.

Barge Cantus pro benedictionibus SS. Sacramenti in Ordine Fratrum Prædicatorum, Romæ-Tornaci 1909.

BB Breviarium O.P., ed. M. Browne, I et II, Romæ 1962.

GR Graduale Romanum. Abbatia Sancti Petri de Solesmis 1974.

LH Liturgia Horarum iuxta Ritum Romanum. Editio typica, 4 voll. Typis Polyglottis Vaticanis, 1971-1972.

LR Missale Romanum, Lectionarium. Editio typica, 3 voll. Typis Polyglottis Vaticanis, 1970-1972.

LRM Liber Responsorialis iuxta Ritum monasticum, Solesmis 1895.

MG Matutinum seu Antiphonarium S.O.P. pro nocturnis Horis maiorum Sollemnitatum, ed. M. Gillet, Romæ 1936.

MR Missale Romanum. Editio typica altera. Typis Polyglottis Vaticanis, 1975.

OHS Officium Hebdomadæ Sanctæ iuxta Ritum Ordinis Prædicatorum, ed. A. Fernández, Romæ 1965.

IV.
Varia

«Consilium» Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia.

CP SCCD. Instructio *De Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis*, 24 iunii 1970 [AAS 62, 1970, pp. 651-663; *Notitiæ* 6, 1970, pp. 349-370; EDIL, nn. 2093-2143].

CR *Calendarium Romanum*, seu Normæ universales de Anno liturgico et de Calendario, 14 februarii 1969 [*Notitiæ* 5, 1969, pp. 165-176; MR pp. 100-125; EDIL, nn. 1272-1332].

EDIL R. Kaczynski (ed.), *Enchiridion documentorum instaurationis liturgicæ*, I. (1963-1973), Torino 1976.

ICLOP Indicationes quædam pro celebrationibus liturgicis in Ordine Prædicatorum [1974], cf. supra, pp. LXXV-LXXXV.

IGLH Institutio generalis de Liturgia Horarum [in LH I, 1971, pp. 19-92].

IGMR Institutio generalis Missalis Romani [in MR, 1975, pp. 17-92].

LG Sacrosanctum Concilium Œcumenicum Vaticanum II, Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen Gentium*, 21 novembris 1964 [AAS 57, 1965, pp. 5-67; ASOP 37, 1966, pp. 101-163; excerpta in EDIL, nn. 317-345].

MO Magister Ordinis Prædicatorum.

MS SRC, Instructio *De Musica in sacra liturgia*, 5 martii 1967 [AAS 59, 1967, pp. 300-320; *Notitiæ* 3, 1967, pp. 87-105; ASOP 38, 1967, pp. 224-235; EDIL, nn. 733-801].

SC	Sacrosanctum Concilium Œcumenicum Vaticanum II, Constitutio de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 4 decembris 1963 [AAS 56, 1964, pp. 97-134; ASOP 36, 1964, pp. 333-363; EDIL, nn. 1-131].
SCCD	Sacra Congregatio pro Cultu Divino.
SCE	Sacra Congregatio pro Episcopis.
SCRIS	Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis sæcularibus; usque ad 1 martii 1968: Sacra Congregatio de Religiosis.
SCSCD	Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino.
SRC	Sacra Rituum Congregatio.

SIGNORUM EXPLICATIO

[...]	= indicat: vel textus qui ad libitum omitti possunt in lectionibus, brevitati consulendi causa; vel referentias ad libros liturgicos aut ad repertoria melodica pro cantu.
═══	= indicat sectiones alicuius Officii, quæ unice pro gradu liturgico superiori afferuntur.
——	= in ima pagina, finem strophæ psalmicæ indicat.
[***]	= indicat numerum diversorum textuum qui pro seligenda lectione altera traduntur.
[Gl.]	= indicat doxologiam finalem Gloria Patri.

CALENDARIUM ORDINIS PRÆDICATORUM *

IANUARIUS

Ss.mi Nominis Iesu
3 B. Stephanæ Quinzani, virg.
4 B. Zdislavæ de Moravia, matrisf.
7 S. Raimundi de Penyafort, presb. Memoria obligatoria
10 B. Gundisalvi de Amaranto, presb.
11 B. Bernardi Scammacca, presb.
18 S. Margaritæ de Hungaria, virg. Memoria obligatoria
19 B. Andreæ de Peschiera, presb.
22 B. Antonii Della Chiesa, presb.
23 B. Henrici Seuze, presb.
27 B. Marcolini de Forlì, presb.
28 S. Thomæ de Aquino, presb. et Eccl. doct. Festum
29 B. Villanæ de' Botti, matrisf.

FEBRUARIUS

3 Bb. Petri de Ruffìa, Antonii Pavoni, Bartholomæi Cerveri, presb. et mart.
4 S. Catharinæ de' Ricci, virg. Memoria obligatoria
Ante non erit Cinis.
5
7 Anniversarium Patrum et Matrum defunctorum
12 B. Reginaldi de Orléans, presb. Memoria ad libitum
13 B. Iordani de Saxonia, presb. Memoria obligatoria
16 B. Nicolai Paglia, presb.
19 B. Alvari de Cordoba, presb.
20 B. Christophori de Milano, presb.
24 B. Constantii de Fabriano, presb.

* Calendarium particulare pro toto Ordine Prædicatorum et calendarium particulare ad usum Provinciarum O.P. in unam typographicam dispositionem hic colliguntur. Gradus liturgicus indicatur tantum pro celebrationibus quæ ad totum Ordinem pertinent. Pro aliis celebrationibus ad determinationes cuiusque Provinciæ attendendum est.

MARTIUS

10
Post non erit Cinis.
11
22
Ante non erit Pascha.
23
24 In Vigilia Annuntiationis Domini
25 [In Annuntiatione Domini Sollemnitas]

APRILIS

5 S. Vincentii Ferrer, presb. Memoria obligatoria
10 B. Antonii Neyrot, presb. et mart.
13 B. Margaritæ de Città di Castello, virg.
14 B. Petri González, presb.
17 B. Claræ Gambacorta, relig.
B. Mariæ Mancini, relig.
19 B. Isnardi de Chiampo, presb.
B. Sibyllinæ Biscossi, virg.
20 S. Agnetis de Montepulciano, virg. Memoria obligatoria
25
Ultimum Pascha.
26
27 B. Hosannæ de Kotor, virg.
29 S. Catharinæ Senensis, virg. et Eccl. doct. Festum
30 S. Pii V, papæ Memoria obligatoria
Ante non erit Ascensus.

MAIUS

D. N. Iesu Christi patientis
4 B. Æmiliæ Bicchieri, virg.
7 B. Alberti de Bergamo, patrisf.
8 Patrocinium B. Mariæ Virginis
10 S. Antonini de Firenze, ep. Memoria obligatoria
Ante non venit Ignis.
11
12 B. Ioannæ de Portugallia, virg.

13 B. Imeldæ Lambertini, virg.
15 B. Ægidii de Våozela, presb.
B. Andreæ Abellon, presb.
19 B. Francisci Coll Guitart, presb.
21 B. Columbæ de Rieti, virg.
Ante non erit Corpus et Sanguis.
22
24 Translatio S. P. Dominici, presb. Memoria obligatoria
27 B. Andreæ Franchi, ep.
28 B. Mariæ Bartholomææ Bagnesi, virg.
29 Bb. Guillelmi Arnaud et Soc., mart.
30 B. Iacobi Salomoni, presb.

IUNIUS

2 Bb. Sadoc et Soc., mart.
3
Post non erit Ascensus.
4 S. Petri de Verona, presb. et mart. Memoria obligatoria
8 Bb. Dianæ et Cæciliæ, virg. Memoria ad libitum
10 B. Ioannis Dominici, ep. Memoria ad libitum
12 B. Stephani Bandelli, presb.
13
Post non venit Ignis.
14
18 B. Hosannæ de Mantova, virg.
20 B. Margaritæ Ebner, virg.
23 B. Innocentii V, papæ

IULIUS

7 B. Benedicti XI, papæ
8 B. Hadriani Fortescue, patrisf. mart.
9 Ss. Ioannis de Köln, presb. et Soc., mart. Memoria obligatoria
13 B. Iacobi de Varazze, ep.
17 B. Ceslai de Polonia, presb. Memoria ad libitum
22 [S. Mariæ Magdalenæ Memoria obligatoria]
24 B. Ioannæ de Orvieto, virg.
B. Augustini de Biella, presb.

AUGUSTUS

2	B. Ioannæ, matris S. P. Dominici	Memoria ad libitum
3	B. Augustini Kazotic, ep.	
8	S. P. DOMINICI, presb.	Sollemnitas
9	B. Ioannis de Salerno, presb.	
14	B. Aimonis Taparelli, presb.	
15	[In Assumptione Beatæ Mariæ Virginis	Sollemnitas]
17	S. Hyacinthi de Polonia, presb.	Memoria obligatoria
18	B. Mannis, presb., fratris S. P. Dominici	Memoria ad libitum
19	B. Iordani de Pisa, presb.	
23	S. Rosæ de Lima, virg.	Memoria obligatoria
26	B. Iacobi de Bevagna, presb.	
28	S. AUGUSTINI, ep. et Eccl. doct.	Festum

SEPTEMBER

2	B. Gualæ de Bergamo, ep.	
4	B. Catharinæ de Racconigi, virg.	
5	Anniversarium Familiarium et Benefactorum defunctorum O. N.	
6	B. Bertrandi de Garrigue, presb.	
18	S. Ioannis Macias, relig.	Memoria obligatoria
20	B. Marci de Modena, presb.	
	B. Francisci de Posadas, presb.	
24	B. Dalmatii Moner, presb.	
28	B. Laurentii de Ripafratta, presb.	

OCTOBER

3	B. Dominici Spadafora, presb.	
4	S. P. FRANCISCI ASSISIENSIS, diaconi	Festum
5	B. Raimundi a Capua, presb.	Memoria ad libitum
6	B. Bartholomæi Longo, sodalis laici	
7	B. MARIÆ VIRGINIS A ROSARIO	Festum
8	B. Ambrosii Sansedoni, presb.	
	B. Matthæi Carreri, presb.	
9	S. Ludovici Bertrán, presb.	Memoria obligatoria
11	B. Iacobi de Ulm, relig.	
13	B. Magdalenæ Panatieri, virg.	

21 B. Petri de Città di Castello, presb.
22 ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ — Sollemnitas
25 B. Petri Geremia, presb.
26 B. Damiani de Finalborgo, presb.
27 B. Bartholomæi de Vicenza, ep.
30 B. Benvenutæ Boiani, virg.

NOVEMBER

1 [Omnium Sanctorum — Sollemnitas]
3 S. MARTINI DE PORRES, relig. — Festum
5 B. Simonis Ballacchi, relig.
6 Bb. Ignatii Delgado, ep., Francisci de Capillas, Alfonsi Navarrete, presb. et Soc., mart. in Oriente — Memoria obligatoria
7 OMNIUM SANCTORUM ORDINIS PRÆDICATORUM — Festum
8 ANNIVERSARIUM OMNIUM FRATRUM ET SORORUM DEFUNCTORUM O.P.
14 B. Ioannis Liccio, presb.
B. Luciæ de Narni, virg.
15 S. ALBERTI MAGNI, ep. et Eccl. doct. — Festum
19 B. Iacobi Benfatti, ep.
24 B. Margaritæ de Savoia, matrisf., relig.

DECEMBER

1 B. Ioannis de Vercelli, presb.
8 [In Conceptione Immaculata B. Mariæ Virginis — Sollemnitas]
16 B. Sebastiani Maggi, presb.
22 Anniversarium approbationis Ordinis nostri
24 In Vigilia Nativitatis Domini
25 [In Nativitate Domini — Sollemnitas]

PROPRIUM DE SANCTIS

IANUARIUS

Die 3 ianuarii

B. STEPHANÆ QUINZANI, VIRGINIS

Orta est die 7 septembris 1457 Orzinuovi prope Brixiam [Brescia] in Italia. Agricolarum filia, agros cum parentibus coluit. Laicis sodalibus Ordinis cooptata est anno 1489. In Christi passionum contemplatione assidua, cuius stigmata et corde et corpore gessit, quadraginta annorum spatio spiritus ariditatem experta est, sensus privationis amoris et devotionis atque dubiorum et tentationum cruciatus fortiter sustinens. Simul vero pauperum ac pacis servitio impense se dedit. Obiit die 2 ianuarii 1530 Soncini apud Cremonam, in monasterio ab ipsa ædificato et diu prudenti consilio recto. Cultum ei ab immemorabili præstitum, Benedictus XIV die 14 decembris 1740 confirmavit.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátam Stéphanam Christi passiónis consórtem effecísti, præsta quæsumus, ut, eius intercessióne et exémplo, imágini Fílii tui confórmes fíeri mereámur. Qui tecum.

Die 4 ianuarii

B. ZDISLAVÆ DE MORAVIA, MATRISFAMILIAS

Orta est Křižanov in Moravia [Cecoslovachia] anno circiter 1220. Gallo, principi de familia Lemberk matrimonio iuncta, quattuor susceptos liberos studiose educavit. Habitu Ordinis suscepto, fervens S. Dominici discipula effecta est Fratrumque Prædicatorum propagationem in Bohemia promovit atque a viro suo duorum conventuum ædificationem impetravit. Familiaribus enitens virtutibus in pauperum servitio se totam impendit, nihil de domesticis curis remittens.

Iablonæ obiit anno 1252. Eius cultus die 28 augusti 1907 a S. Pio X approbatus est.

De Communi sanctarum mulierum: pro iis quæ opera misericordiæ exercuerunt, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátam Zdíslavam per offícia coniugális vitæ et ópera caritátis viam perfectiónis percúrrere docuísti, eius intercessióne concéde ut cunctæ famíliæ iúgiter renovéntur et christianárum virtútum flóreant testimónio. Per Dóminum.

Die 7 ianuarii

S. RAIMUNDI DE PENYAFORT, PRESBYTERI

Memoria obligatoria

Ortus est Penyafort in Catalaunia [Hispania] prope Barcinonam, anno c. 1175. Inter summos ætatis suæ theologiæ et iuris canonici magistros extitit. Presbyter barcinonensis ecclesiæ Ordinem amplexus est a. 1222. Doctrina et morum suavitate præditus zelo in efformandis presbyteris ad futurum ministerium enituit pro quibus « Summam » doctrinæ conscripsit pastorali sapientia refertam. A confessionibus Gregorii IX, Romæ degens, Romanorum Pontificum decretales eiusdem iussu primus in unum collegit (a. 1234). Tertius post Iordanum de Saxonia electus Magister Ordinis (a. 1238) post duos annos sponte munus dimisit et in Catalauniam reversus est.

Præsul Ordinis apostolum se præbuit audacia plenum. Corde habuit apostolatum apud Iudæos, et missionibus in partibus Africæ septentrionalis favit tum Fratrum Beatæ Mariæ Virginis a Mercede tum aliorum Mendicantium, valde sollicitus de dialogo cum Islam: ad hoc missionarios proficiscentes ut discerent linguam arabicam et Coranum incitabat. Obiit Barcinonæ die 6 ianuarii 1275 fere centenarius. A Clemente VIII, die 29 aprilis 1601 inter sanctos adscriptus est.

De Communi pastorum (LH I, 1101), præter sequentia:

Ad Officium lectionis

Hymnus

Adhibetur textus congruus vel sequens:

Sacra Raimúndi venerémur omnes
gesta, quæ toto résonant in orbe:
et chorus noster réferat canóro
cármine laudes.

Ille, qui claris méritis refértus
duxit in terris sine labe vitam,
cælico lætus iubilánte cœtu
sídera scandit.

Doctor et virgo dúplici coróna
fulget in cælis: sed amóre plenus,
quotquot hic languent míseri fidéles,
réspicit omnes.

Laus, honor, virtus Dómino perénnis,
qui, Deus simplex paritérque trinus,
nostra, Raimúndi précibus, remíttat
crímina vitæ.

Sicubi gradu festi celebratur:

℣. Revéla, Dómine, óculos meos.

℟. Et considerábo mirabília de lege tua.

Lectio prior

De libro Proverbiórum 4, 1-13. 20-23

Tene disciplinam, ne dimittas eam

Audíte, fílii, disciplínam patris et atténdite, ut sciátis prudéntiam; quóniam doctrínam bonam tríbuam vobis, legem meam ne derelinquátis. Nam et ego fílius fui patris mei, tenéllus et unigénitus coram matre mea; et docébat me atque dicébat: « Su-

scípiat verba mea cor tuum, custódi præcépta mea et vives. Pósside sapiéntiam, pósside prudéntiam, ne obliviscáris neque declínes a verbis oris mei. Ne dimíttas eam, et custódiet te, dílige eam, et servábit te.

Princípium sapiéntiæ: pósside sapiéntiam, et in omni possessióne tua acquíre prudéntiam. Arripe illam, et exaltábit te, glorificáberis ab ea, cum eam fúeris amplexátus. Dabit cápiti tuo diadéma grátiæ, et coróna ínclita próteget te ».

Audi, fili mi, et súscipe verba mea, ut multiplicéntur tibi anni vitæ. Viam sapiéntiæ monstrávi tibi; duxi te per sémitas æquitátis, quas cum ingréssus fúeris, non arctabúntur gressus tui, et currens non habébis offendículum. Tene disciplínam, nec laxes; custódi illam, quia ipsa est vita tua.

Fili mi, auscúlta sermónes meos et ad elóquia mea inclína aurem tuam; ne recédant ab óculis tuis, custódi ea in médio cordis tui: vita enim sunt inveniéntibus ea et univérsæ carni sánitas. Omni custódia serva cor tuum, quia ex ipso vita procédit.

RESPONSORIUM Ps 18, 8. 9; Rom 13, 8. 10

℟. Lex Dómini immaculáta, refíciens ánimam; testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis. * Præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

℣. Qui díligit próximum, legem implévit; plenitúdo legis est diléctio. * Præcéptum.

Vel, præsertim in cantu:
Prov 23, 26; 1, 9; cf. 5, 1; 4, 20

℟. Præbe, fili, cor tuum mihi, et óculi tui vias meas custódiant. * Ut addátur grátia cápiti tuo.

℣. Atténde, fili mi, sapiéntiam meam, et ad elóquium meum inclína aurem tuam. * Ut addátur.

LECTIO ALTERA [**]

Ex Epístola sancti Raimúndi presbýteri
(MOPH 6, 2, Romæ 1901, pp. 84-85)

Deus dilectionis et pacis corda vestra pacificet

Si omnes qui pie volunt vívere in Christo, persecutiónem passúros prædicátor veritátis, non méntiens, vere dixit, nullus, ut árbitror, ab hac generalitáte excípitur, nisi qui *sóbrie, iuste et pie vívere in hoc sæculo* aut néglegit aut non novit.

Vos autem absit ut in eórum número computémini, quorum donus pacátæ sunt et quiétæ, secúræ, et non est virga Dómini super eos, qui ducunt in bono dies suos et in puncto ad inférna descéndent. Vestra vero púritas ac píetas hoc merétur, et éxigit, ut, quia accépti estis Deo et grati, ideóque usque ad sinceritátem pleníssimam crebris tunsiónibus vestra púritas expurgétur. Quod si duplicátur intérdum aut triplicátur super vos gládius, et hoc ipsum omne gáudium et amóris indícium existimári opórtet.

Gládius ex utráque parte acútus sunt foris pugnæ intúsque timóres; iste duplicátur aut triplicátur intérius, cum spíritus ille cállidus cum dolo atque blandíciis corda íntima inquiétat; et hæc quidem bellándi génera satis háctenus didicístis, alióquin ad illam pulchritúdinem pacis ac tranquillitátis intérnæ fúerat impossíbile pervenire. Duplicátur autem extérius et triplicátur gládius, cum sine causa egréditur persecútio ecclesiástica circa spiritália, ubi gravióra sunt vúlnera máxime ab amícis.

Hæc est illa desiderábilis et beáta crux Christi, quam ille vere virílis Andréas gaudénti ánimo suscépit, in qua sola vas electiónis ásserit gloriándum.

Aspícite ítaque in auctórem fídei et conservatórem Iesum, qui innocentíssime passus est et a suis, atque cum scelerátis est deputátus; et, cálicem Dómini Iesu quam præclárum bibéntes, ágite grátias Dómino, bonórum ómnium largitóri.

Parátus sum et ero, cooperánte Dei grátia, vobis in omni tribulatióne assístere et vobíscum bíbere, quidquid vobis a Dómino fúerit propinátum. Cum autem præsens fúero, plénius pótero quæ circa vos sunt cognóscere et efficácius et secúrius adiuváre.

Sit ígitur in Deo cor vestrum, nec accommodétis cor ómnibus quæ dicúntur. Ipse autem Deus dilectiónis et pacis corda vestra pacíficet et iter vestrum accéleret, ut in abscóndito faciéi suæ a conturbatióne hóminum ínterim vos abscóndat, donec ad illam plenitúdinem introdúxerit et transplantáverit, ubi sedébitis æternáliter in pulchritúdine pacis et tabernáculis fidúciæ et in réquie opuléntiæ.

RESPONSORIUM

℟. Edóctus viam Dómini, doctor erat honorábilis univérsæ plebi: * Et stupébant omnes super prudéntia et respónsis eius.

℣. Príncipes ab ore eius pendébant et faciébant illíus cuncta consílio. * Et stupébant.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Inítium sapiéntiæ, ut in Appendice, 651.

Vel alia:

Ex Collatiónibus Mare historiárum fratris Ioánnis Colónna presbýteri coævi

(Raymundiana: MOPH 6, 1, Romæ 1898, pp. 5-7)

Vir maximæ perfectionis
et zelator religionis permaximus

Cláruit sub pontífice Gregório Nono frater Raimúndus de Pennafórti, génere catalánus, tértius Ordinis Prædicatórum Magíster. Hic, ante ingréssum Ordinis fuit excéllens doctor in iure canónico, in quo rexit Bonóniæ multis annis.

Postquam hábitum sanctæ religiónis assúmpsit, propter sui prudéntiam, sciéntiam et sanctitátem assúmptus est in sócium a dómino Ioánne de Abbátis villa, cardináli legáto in Hispánia. Deínde rédiens ad cúriam factus est familiaríssimus et consiliárius secrétus dómino Gregório Nono papæ, et cappellánus et pænitentiárius eius et « expedítor petitiónum páuperum ». Póstmodum, de eius mandáto, compilávit Decretáles in uno volúmine quæ hódie sunt in usu, cum ántea essent in quáttuor volúmina distínctæ.

Sed sicut vir sanctus et religiósus erat, ita sancte se hábuit et prudénter in cúria, per ómnia sui Ordinis servans humilitátem et omnímodam honestátem; quia vix fuit unquam de curiálibus áliquis de eúntibus et redeúntibus ab illa cúria, qui de ipso bona non díceret et ipsum, ut erat, virum sanctíssimum reputáret.

Cuius sanctitátem consíderans Summus Póntifex vóluit eum ad archiepiscopátum promovére; qui tam constánter quadam sancta religióne réstitit, quod Papa coáctus sit revocáre coactiónem quam céperat, videns eius contráriam voluntátem.

Hic, licet cum difficultáte, obténta a Papa licéntia, de cúria Romána recéssit; qui cum in convéntu Barcinónæ angélicam vitam dúceret, eléctus est in Magístrum Ordinis; qui vix ad illud recipiéndum indúci pótuit. Erat autem vir máximæ perfectiónis et zelátor religiónis permáximus, volens étiam ut in mínimis rigor Ordinis servarétur.

Hic est qui compilávit Summam de cásibus, toti Ecclésiæ pernecessáriam, circa consília salútis animárum. Per eius étiam diligéntiam constitutiónes nostræ redáctæ sunt ad formam débitam, sub certis distinctiónibus et títulis, in qua sunt hódie, quæ sub multa confusióne ántea habebántur.

Cum per duos annos Ordinem rexísset, videns sibi vires de cétero ad supportándos labóres non

suppétere, apud Bonóniam, ad eius magnam instántiam diffinitóres eius cessióni consensérunt. Qui póstmodum ad Provínciam suam rédiens, in vita páriter et in morte miráculis clarens, in convéntu Barcinonénsi vitam finívit.

RESPONSORIUM Cf. Tit 2, 7-8

℟. Caput creátus Ordinis, morum illústre spéculum, verbo, vita prælúxit frátribus, * Exémplum bonórum óperum.

℣. Non éxtulit se inter fratres, sed fuit in illis quasi unus ex ipsis. * Exémplum bonórum óperum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Sacra Raimúndi venerémur omnes
gesta quæ toto résonant in orbe,
cuius ætérnæ fuit univérsis
cura salútis.

Ordinis magnum récolens Paréntem,
atque divíno stúdio replétus
nítitur sanctam similémque Patri
dúcere vitam.

Ipse doctrína meritísque clarus,
prædicans verbo simul atque factis,
duxit errántes ad ovíle Christi,
míraque gessit.

Sparsa summórum moniménta Patrum
cólligit mira studiósus arte:
quæque sunt prisci sacra digna cedro
dógmata iuris.

Doctor et virgo dúplici coróna
fulget in cælis: sed amóre plenus,
quotquot hic languent míseri fidéles,
réspicit omnes.

Laus, honor, virtus Dómino perénnis,
qui, Deus simplex paritérque trinus,
nostra, Raimúndi précibus, remíttat
crímina vitæ.

LECTIO BREVIS Gal 5, 13-14. 16-18

Vos in libertátem vocáti estis, fratres; tantum ne libertátem in occasiónem detis carnis, sed per caritátem Spíritus servíte ínvicem. Omnis enim lex in uno sermóne implétur; in hoc: Díliges próximum tuum sicut te ipsum. Spíritu ambuláte et concupiscéntiam carnis ne perfecéritis. Caro enim concupíscit advérsus spíritum, spíritus autem advérsus carnem; hæc enim ínvicem adversántur, ut non, quæcúmque vultis, illa faciátis. Quod si Spíritu ducímini, non estis sub lege.

RESPONSORIUM BREVE

℟. In hoc cognóscent omnes, * Quia mei estis discípuli. In hoc.

℣. Si dilectiónem habuéritis ad ínvicem. * Quia mei estis discípuli. Glória Patri. In hoc.

Ad Benedictus, ant. Vinctos liberávit de manu inimicórum et edúxit pérditos de via iniquitátis, ut dirígerent pedes suos in viam pacis.

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio

Omnípotens piíssime Pater, qui beáti Raimúndi exémplis et doctrínis tuæ legis plenitúdinem in dilectióne caritátis osténdis, tuum in nobis Spíritum

cleménter infúnde, ut corda nostra ea dilectióne potiántur qua in libertátem filiórum tuórum veráciter proficiámus. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas.

Sicubi gradu festi celebratur:

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS 1 Io 3, 23-24

Hoc est mandátum Dei, ut credámus nómini Fílii eius Iesu Christi et diligámus altérutrum, sicut dedit mandátum nobis. Et qui servat mandáta eius, in ipso manet, et ipse in eo; et in hoc cognóscimus quóniam manet in nobis, ex Spíritu, quem nobis dedit.

℣. Elégit Dóminus servum suum.
℟. Páscere Iacob hereditátem suam.

Ad Sextam

LECTIO BREVIS 1 Io 3, 18-19a. 22b

Non diligámus verbo nec lingua sed ópere et veritáte. In hoc cognoscémus quóniam ex veritáte sumus, quóniam mandáta eius custodímus et ea, quæ sunt plácita coram eo, fácimus.

℣. Non erubésco Evangélium.
℟. Virtus enim Dei est in salútem.

Ad Nonam

LECTIO BREVIS Iac 1, 22.25

Estóte factóres verbi et non auditóres tantum falléntes vosmetípsos. Qui autem perspéxerit in lege perfécta libertátis et permánserit, non audítor

oblivióSus factus sed factor óperis, hic beátus in facto suo erit.

℣. Nisi Dóminus ædificáverit domum.
℟. In vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

Hymnus

Adhibetur textus congruus vel sequens:

Pulchra, quæ mundus peritúra pandit,
fórtiter spernens, inhiánsque cælo,
Prædicatórum iúbilans adívit
claustra Raimúndus.

Ordinis magnum récolens Paréntem,
atque divíno stúdio replétus,
nítitur sanctam similémque Patri
dúcere vitam.

Non satis linguæ póterunt referre
cordis ardóres, quibus ipse terram
réspuens, summo cupiébat æstu
prǽmia cæli.

Sæpius corpus lácerans flagéllis,
pérvigil custos ánimi pudíci,
tactus ingénti pietáte flebat
crímina mundi.

Ipse doctrína meritísque clarus,
prædicans verbo simul atque factis,
duxit errántes ad ovíle Christi,
míraque gessit.

Annuat nobis, húmiles precámur,
unus et trinus sine fine Rector;
cuius illústres cánimus triúmphos,
facta sequámur.

LECTIO BREVIS 1 Io 2, 3-6

In hoc cognóscimus quóniam nóvimus eum: si mandáta eius servémus. Qui dicit: « Novi eum », et mandáta eius non servat, mendax est, et in isto véritas non est; qui autem servat verbum eius, vere in hoc cáritas Dei consummáta est. In hoc cognóscimus quóniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manére, debet, sicut ille ambulávit, et ipse ambuláre.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Super te, Ierúsalem, * Constítui custódes. Super te.

℣. Die ac nocte non tacébunt prædicáre Evangélium Dómini. * Constítui custódes. Glória Patri. Super te.

Ad Magnificat, ant. Doctrínæ suæ rádiis illustrávit sedéntes in errórum ténebris: et caritátis ardóre vinctos in mendicitáte et ferro redémit.

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio

Deus, qui beátum Raimúndum presbýterum insígnis in peccatóres misericórdiæ virtúte decorásti, eius nobis intercessióne concéde, ut, a peccáti servitúte solúti, quæ tibi sunt plácita líberis méntibus exsequámur. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas.

Die 10 ianuarii

B. GUNDISALVI DE AMARANTO, PRESBYTERI

Tagilde [in Portugallia] exeunte s. XII natus primum parochus fuit, deinde 14 annos in peragrandis atque invisendis Terræ Sanctæ ac Romæ sacrariis impendit. Ad propria reversus at minis ac fustibus receptus, eremiticam vi-

tam elegit. Demum Prædicatorum Ordinem amplexus est. Exacto religionis tirocinio licentiam obtinuit redeundi Amaranthum in pristinum solitarium locum, comitante alio fratre, ibique reliquæ vitæ tempus inter divinorum contemplationem et circumstantis populi evangelizationem partivit, exercitationibus asceticis insistens. Amaranthi, anno, ut tradunt, 1259 obiit. Clemens X, die 10 iulii 1671, eius Missam et Officium concessit.

De Communi sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beáti Gundisálvi mentem sancti tui nóminis amóre mirabíliter inflammásti, tibíque in solitúdine illi servíre tribuísti, eius nobis interventióne concéde ut, eódem ducti spíritu, semper te cogitémus, et quæ tibi grata sunt, inflammáto stúdio faciámus. Per Dóminum.

Die 11 ianuarii

B. BERNARDI SCAMMACCA, PRESBYTERI

Bernardus, antea Antonius, Catanæ in Sicilia [Italia] anno 1430 e nobilibus parentibus natus est. Post levem iuventutem, gravi prostratus vulnere in singulari certamine accepto, divina gratia permotus, inter Fratres Prædicatores ascribi voluit anno 1452. Uni Deo adhærens flagranti caritate dignisque pænitentiæ fructibus Christo Crucifixo, cuius Passionem singulari pietate coluit, se conformare studuit. Misericordia in proximos enituit, egenos præsertim et ægrotos, pro quibus magnum nosocomium adhuc existens extruendum curavit, nobilium concivium sumptibus, quod ipse dum viveret prudenter rexit. Restaurandæ vitæ regulari præpositus, huic operi totum se dedit. Prædicator ardens multos cives ad Deum adduxit. Obiit Catanæ, die 11 ianuarii 1487. Leo XII, die 8 martii 1825, eius cultum ratum habuit et confirmavit.

De Communi sanctorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Bernárdum in viam conversiónis et evangélicæ perfectiónis traduxísti, præsta quǽsumus, ut, eius intercessióne et exémplo, peccáta nostra defléntes, ad te puris méntibus convertámur. Per Dóminum.

Die 18 ianuarii

S. MARGARITÆ DE HUNGARIA, VIRGINIS

Memoria obligatoria

Filia Belæ IV, Hungarorum regis, et Mariæ Láscaris, filiæ imperatoris Constantinopolitani, Margarita antequam nasceretur (1242) a parentibus Deo oblata fuit pro patriæ liberatione. Ante annum ætatis quartum credita est ad Vesprimienses sanctimoniales Ordinis Prædicatorum. Adhuc duodennis Budæ, in novo monasterio pro ipsa a rege ædificato, religiosa professione in manibus Magistri Humberti de Romans emissa, mira alacritate profecit ac totaliter Christo Crucifixo se mancipavit.

Monasticæ asceseos ac misericordiæ operibus insistens, zelo pro pace instauranda et invictæ fortitudini in denuntiandis iniustitiis magnam suavitatem erga sorores coniunxit, quibus humillima præstare servitia cupiebat. Erga Eucharisticum mysterium et Redemptoris passionem mira flagrans caritate, in Spiritum Sanctum et B. V. Mariam pietate enituit, propitiationis victima exstans pro suæ gentis liberatione a Tartarorum incursionibus. Obiit die 18 ianuarii 1270 et a Pio XII inter sanctas relata est die 19 novembris 1943. Eius sepulcrum sæculo XVII disparuit.

De Communi virginum (LH III, 1474), vel sanctarum mulierum: pro religiosis (1539) præter sequentia:

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Textus congruus, vel Hac margaríta Pánnonis, ut ad Laudes matutinas, 54.

Sicubi gradu festi celebratur:

℣. Notas mihi fecísti vias vitæ.
℟. Adimplébis me lætítia cum vultu tuo.

LECTIO PRIOR

De Epístola beáti Pauli apóstoli
ad Philippénses 3, 8-21

Propter Christum omnia detrimentum feci

Fratres: Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntiam sciéntiæ Christi Iesu Dómini mei, propter quem ómnia detriméntum feci et árbitror ut stércora, ut Christum lucri fáciam et invéniar in illo non habens meam iustítiam, quæ ex Lege est, sed illam, quæ per fidem est Christi, quæ ex Deo est iustítia in fide, ad cognoscéndum illum et virtútem resurrectiónis eius et communiónem passiónum illíus, confórmans me morti eius, si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis. Non quod iam accéperim aut iam perféctus sim, pérsequor autem si umquam comprehéndam, sicut et comprehénsus sum a Christo Iesu.

Fratres, ego me non árbitror comprehendísse; unum autem, quæ quidem retro sunt, oblivíscens, ad ea vero, quæ ante sunt, exténdens me ad destinátum pérsequor, ad bravíum supérnæ vocatiónis Dei in Christo Iesu.

Quicúmque ergo perfécti, hoc sentiámus; et si quid áliter sápitis, et hoc vobis Deus revelábit; verúmtamen, ad quod pervenímus, in eódem ambulémus.

Coimitatóres mei estóte, fratres, et observáte eos, qui ita ámbulant, sicut habétis formam nos. Multi enim ámbulant, quos sæpe dicébam vobis, nunc autem et flens dico, inimícos crucis Christi, quorum finis intéritus, quorum deus venter et glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Noster enim municipátus in cælis est, unde étiam Salvatórem exspectámus Dóminum Iesum Christum, qui transfigurábit corpus humilitátis nostræ confórme fíeri córpori glóriæ suæ secúndum operatiónem, qua possit étiam subícere sibi ómnia.

RESPONSORIUM Phil 3, 8

℟. Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Christi Iesu Dómini mei, * Propter quem ómnia detriméntum feci, ut eum lucrifáciam.
℣. Regna mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Iesu Christi. * Propter quem.

LECTIO ALTERA [**]

E Lítteris canonizatiónis Pii papæ Décimi secúndi (AAS 36, 1944, pp. 33-40)

Virginum Sponso consecrata Regi ipsi martyrum impigre studuit assimilari

[E régia Arpadénsium Hungárica família, quæ sola uno eodémque tértio décimo sæculo quáttuor quidem álias præcláras vitæ sanctitáte féminas Ecclésiæ Dei génuit, vidélicet sanctam Elísabeth, beátam Agnétem Pragénsem, eius sobrínam, et Belæ Quarti regis fílias Cunecúndem et Ioléntam, quarum cultus ab Apostólica Sede confirmátus est, oríginem duxit Margaríta.

Ex piis paréntibus Bela Quarto, Hungarórum rege, et María Láscaris regína, nata est. Concéptam prolem genitóres pro regni liberatióne suáque salúte, quasi piáculum quoddam, si fília nascerétur, eam Deo consecrárunt; eorúmque preces et vota exaudíta sunt. Parens óptima, promíssi et benefícii memor, eam ad Vesprimiénse sanctimoniálium monastérium Ordinis sancti Domínici, ante annum ætátis quartum dedúxit, ut ab ipsa iam ténera ætáte reguláribus imbuerétur consuetudínibus et Deo áptius servíret.]

Crucis [ibi] discípula ex corde effécta, domúmque régiam prorsus oblíta, Margaríta dócili obœdientíque ánimo ita flóruit, ut moniáles tenérrima eam dilectióne prosequeréntur; atque præter ætátem, angé-

licam in Iesum Christum ac Deíparam Vírginem pietátem colébat; ingénuos osténdit mores animíque candórem.

Quare, rex pater eius, ut secúrius efficaciúsque sibi suóque regno divínum auxílium conciliáret, in Danúbii ínsula ad Beatíssimæ Vírginis Maríæ honórem quoddam monastérium ædificávit, in quo nedum pias sacras vírgines collocándas curávit, sed suam étiam fíliam, Margarítam, « quam inter álios suos líberos eo tenerióri amplexabátur afféctu, quo certióra piæ et Deo plácitæ conversatiónis in ea primórdia cernébat ».

Interim honésti cuiúsdam Polóniæ príncipis recusátis núptiis, duodénnis vota sollémnia coram venerábili Magístro Ordinis Humbérto nuncupávit. Adhuc autem a Bohémiæ rege, sério expetíta, ut suam Divíno Sponso fidem datam totis víribus intáctam serváret, ad illam et quamvis áliam occasiónem importúnæ sponsálium instántiæ auferéndam, se Christo palam desponsátam pródere vóluit, et sacrum cápitis velámen enixe postulávit et ab Archiepíscopo Strigoniénsi máximo cum gáudio obtínuit.

Vírginum Spónso ita consecráta, mundi suíque contémptu et carnis maceratióne, Regi ipsi mártyrum ímpigre stúduit assimilári. Detérrimis semper amícta véstibus, abiectísque munéribus ínhians, vérrere domum, sordes abstérgere, paráre cibos et gravi sæpe póndere onerári in delíciis hábuit. Ægrótis soróribus et ancíllis ipsis, quarum aliquándo morbo ínfici céteræ timérent, tali inserviébat caritáte et abiectiónis desidério, ut grávia cuncta et ínfima offícia erga ipsas sibi únice arrogáret.

Passiónis mystéria cum singúltu recolébat, et martýrii æstu flagrábat. Coram Christo Iesu velis eucharísticis abscóndito, aut ad crucem depícto, libéntius cor suum effúndens, ubíque tamen et fere sine intermissióne orábat, præscríptæ divínæ laudi íntegrum

non raro addens psaltérium, ad Deum Patrem oratiónes, vel ad Paráclitum Spíritum, aut dilectíssimæ sibi Dei Parénti Vírgini salutatiónes.

Ut omnipoténtis Dei iram placáret suǽque genti divínam conciliáret cleméntiam, « ubérius ipsa flebat suúmque corpus macerábat ieiúniis, vestíta cilício, quasi ómnium tam iníque circa Deum agéntium lugens peccáta et oppressórum deflens calamitátes tótaque précibus apud Deum instábat, ut déxtera suæ poténtiæ, defénderet innocéntes sanctámque matrem Ecclésiam, suo pretióso sánguine congregátam, Dóminus Iesus Christus ».

Porro Margaríta actiónem suam non coércuit tantum intra incensíssimas ad Deum precatiónes et duríssimam pœniténtiam, verum étiam, apostólico zelo inflammáta et heróica fortitúdine roboráta, non dubitávit apertíssime exprobráre iniquitátem a quocúmque, altíssima étiam auctoritáte aut dignitáte insigníto, patrátam.

Tértia vice propósitas sibi núptias íllico Margaríta recusávit, líbere respóndens serváre velle virginitátem suam Dómino Iesu Christo. Et Divínus hic Sponsus, fidélis semper et generósior qui in fámulæ suæ corde dulcem fécerat mansiónem, eam supérnis donis ubérrime cumulávit, passiónis suæ sóciam atque consolatiónis et potestátis consórtem réddidit vivéntem páriter et post mortem.

Responsorium

℟. Beáta Margaríta indúta est víscera misericórdiæ, benignitátem et humilitátem, * Omnibus ómnia facta est, nec videbátur fília regis.

℣. Caritáte et humilitáte nulli sorórum secúnda apparébat. * Omnibus ómnia.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Exístimo ómnia ut supra, 50 vel ut in Appendice, 651.

Vel alia:

Ex Sermóne fratris Ioánnis Tauler presbýteri in Ascensióne Dómini

(Sermo 4: Opera omnia, t. 2, ed. A. Tralin, Paris 1911, pp. 440-443)

Pax vera in perturbationibus

Quicúmque vere cupit Deum Redemptórem Dóminum Iesum Christum imitári tollat humíliter æquo ánimo crucem internórum et externórum dolórum iustórum vel iniustórum, et, sic onerátus, lætus ambulábit, sequens Dóminum suum. Nullo álio modo pervenítur ubi Christus nos antecédit.

Non pauci profécto sunt qui testes Dómini fíeri cúpiunt in pace, dúmmodo ómnia cupiditáti suæ consentánea sint. Voluntárie sancti fíeri volunt, sed sine labóre, sine tædio, sine tribulatióne, sine detriménto. Deum enim cognóscere áppetunt, illum sápere, illum sentíre sed absit amaritúdo. Si ergo débeant laboráre, si íncidant in amaritúdinem, in mærórem, in ténebras, in árduas tentatiónes, si Deus se abscóndat et intérius exteriúsque destituátur solámen, statim evanéscunt consília sua bona. Non veri testes sunt, testes quos requírit Salvátor.

Quis pacem non quærit, quis pace frui ubíque non vult, quidquid agit? Atqui huiúsmodi pacis stúdium pénitus abiciéndum est. Labóribus autem non mediócribus conténdere debémus ut pacem in omni témpore étiam in adversitátibus teneámus. Inde pax vera, stábilis, tuta oriénda est. Profécto decéptio enim sunt cuncta ália quæ quærimus aut dilígimus. Sin áliter studémus quantumcúmque póssumus lætítiam in tristítia serváre, tranquillitátem in perturbatiónibus, simplicitátem in multiplicatiónibus, iucunditátem in moléstiis, tunc veri testes érimus Dei et Dómini nostri Iesu Christi.

Tálibus discípulis Christus ipse, vivens et a mórtuis resúrgens, pacem dicébat. Illi autem in hac vita numquam pacem extérnam invenérunt; sed pax essentiális data est eis, pax vera in perturbatiónibus, beatitúdo in contuméliis, vita in morte. Gaudébant et exsultábant cum hómines illos ódio habérent, in concíliis tráderent et cápite damnárent. Tales veri testes Dei.

RESPONSORIUM 2 Cor 4, 11; 10a; Col 1, 24

℟. Semper nos qui vívimus in mortem trádimur propter Iesum, * Ut et vita Iesu manifestétur in carne nostra mortáli.

℣. Adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea pro córpore eius, quod est Ecclésia. * Ut et vita Iesu.

Oratio ut ad Laudes matutinas vel ad Vesperas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Adhibetur textus congruus vel sequens:

Hac margaríta Pánnonis
ornáta tellus géstiat,
patrísque Guzman ádsonet
lætánter ordo pláusibus.

Periclitánte pátria,
sacris Deo recéssibus
piaculáris hóstia
dicánda, voto expóscitur.

Recépta claustris, ócculit
ortum decúsque régium,
et corpus insons hórridis
flagris faméque mácerat.

Amóre Christi férvida,
inhæret ipsi iúgiter,
eiúsque membris ímpigra
servíre tendit lánguidis.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
in sempitérna sæcula.

LECTIO BREVIS Col 3, 12-13

Indúite vos sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, patiéntiam, supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis si quis advérsus áliquem habet querélam; sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Tibi dixit cor meum: * Quæsívi vultum tuum. Tibi dixit.

℣. Vultum tuum, Dómine, requíram. * Quæsívi vultum tuum. Glória Patri. Tibi dixit.

Ad Benedictus, ant. Exhibeámus córpora nostra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem: semper mortificatiónem Iesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Iesu manifestétur in corpóribus nostris.

Preces congruæ vel de Communi virginum.

Oratio

Deus, qui beátam Margarítam vírginem, Spíritus Sancti operánte virtúte, abnegatiónis grátia claréscere voluísti, præsta nobis ut, voluntáti tuæ numquam obsisténtes, quæ tibi sunt plácita fidéliter impleámus. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas.

Sicubi gradu festi celebratur:

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS Rom 6, 8. 11

Si mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum eo; existimáte vos mórtuos quidem esse peccáto, vivéntes autem Deo in Christo Iesu.

℣. Beáti immaculáti in via.
℟. Qui ámbulant in lege Dómini.

Ad Sextam

LECTIO BREVIS Eph 4, 23-24

Renovámini spíritu mentis vestræ et indúite novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in iustítia et sanctitáte veritátis.

℣. Cor meum et caro mea.
℟. Exsultavérunt in Deum vivum.

Ad Nonam

LECTIO BREVIS Ap 19, 6-7

Audívi quasi vocem turbæ magnæ et sicut vocem aquárum multárum et sicut vocem tonítruum dicéntium: allelúia, quóniam regnávit Dóminus, Deus noster omnípotens. Gaudeámus et exsultémus et demus glóriam ei, quia venérunt núptiæ Agni, et uxor eius præparávit se.

℣. Invéni quem díligit ánima mea.
℟. Ténui eum nec dimíttam.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

HYMNUS

Textus congruus, vel Hac margaríta Pánnonis, ut ad Laudes matutinas, 54.

LECTIO BREVIS Rom 6, 4b-6a

Quemádmodum suscitátus est Christus a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis eius, sed et resurrectiónis érimus; hoc sciéntes quia vetus homo noster simul crucifíxus est.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Exsultábo et lætábor * In misericórdia tua. Exsultábo.

℣. Quóniam respexísti humilitátem meam. * In misericórdia tua. Glória Patri. Exsultábo.

Ad Magnificat, ant. Margaríta nunc cum Christo in glória appáret, cuius vita erat cum ipso abscóndita in Deo.

Preces congruæ vel de Communi virginum.

Oratio

Deus, virginitátis amátor et custos, cuius múnere fámula tua Margaríta illíus decórem mérito bonórum óperum sociávit, concéde quæsumus, ut mentis integritátem spíritu salutáris pæniténtiæ restauráre possímus. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas.

Die 19 ianuarii

B. ANDREÆ DE PESCHIERA, PRESBYTERI

Piscariæ, in Italia, natus est anno 1400 ex honestis parentibus de Benaci lacu [lago di Garda]. Habitum Ordinis sumpsit in conventu Brixiensi [Brescia] Congregationis Lom-

bardiæ, tempore quo regularis disciplina beati Antonii ab Ecclesia maxime floruit, et studia perfecit in conventu florentino S. Marci. Sacerdotio insignitus totam vitam in prædicatione transegit. Locus eius apostolatus fuit præcipue Vallis Tellina, regio illa aspera et frigida Italiæ septentrionalis, quam sanctus Dominicus evangelizaverat extremis vitæ suæ annis. Pedibus totam regionem percurrit spatio 45 annorum ex pauco vivens, apud pauperes pernoctans, super sarmenta semper dormiens, apostolicæ caritatis zelo sibi concilians omnium animos. Mortuus est die 18 ianuarii 1485, senes 85 annorum in conventu Morbiniensi [Morbegno] quem ædificandum curaverat. Eius cultum Pius VII die 26 septembris 1820 confirmavit.

De Communi pastorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Andréam apostólico spíritu perfudísti fac nos, eius imitatióne, ita verbo et exémplo profícere, ut úberem fructum inde referre valeámus. Per Dóminum.

Die 22 ianuarii

B. ANTONII DELLA CHIESA, PRESBYTERI

Natus est e nobili genere Della Chiesa in oppido S. Germani in Pedemontio [Italia] anno 1394. Habitum Ordinis induit in conventu Vercellensi a. 1417. Prioris officio auctus, in variis Ordinis conventibus, Comi, Savonæ, Florentiæ, Bononiæ, Genuæ, multum adlaboravit, Magistro generali Bartholomæo Texier approbante, ad vitam regularem restituendam. Reliquit memoriam prioris affabilis qui humanam fragilitatem indulgentia prosequebatur et firmitate emendabat. Labore atque pænitentia confectus obiit die 22 ianuarii a. 1459 ætatis suæ fere 65 annorum, in conventu Comensi. Cultus ab immemorabili illi tributus a Pio VII, die 15 maii 1819, Officio et Missa auctus est. Cuius corpus Sancti Germani colitur.

De Communi pastorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Antónium divíno amóre inflammásti, eius intercessióne nobis præsta ut, eódem caritátis igne succénsi, ipsíus proficiámus fídei consórtio dignóque servítio. Per Dóminum.

Die 23 ianuarii

B. HENRICI SEUZE, PRESBYTERI

Celeberrima et suavis figura huius beati cum magistro Eckhart et Ioanne Tauler eminet inter præcellentes magistros scholæ dominicanæ spiritualitatis « a mysticis rhenanis » nuncupatæ. Henricus, divinæ Sapientiæ cultor ac dominicæ Passionis amantissimus, ortum habuit prope Constantiam in Germania, exeunte probabiliter XIII sæculo, a patre nobili et irreligioso atque a piissima matre e familia Seuze, cuius nomen accepit. Adulescens 13 annorum ingressus est Ordinem S. Dominici in conventu Constantiensi. Natura tenerus et amans, quinquennium in religione remissius vixit, sed divinæ gratiæ lumine perfusus ac mysticis muneribus cumulatus, austera vivendi ratione enituit, adversitatibus et calumniis patienter ac tacite toleratis.

Libros scripsit, quam plurimum a fidelibus dilectos, claræ famæ in historia spiritualium litterarum, qui adhuc vitam spiritualem afficiunt. Mystica eius opera — quorum quædam vulgari sermone conscripta — continuo diligi ac typis edi compertum est, illud in primis quod inscribitur *Horologium Sapientiæ* in quo ipse exspoliationem a sensibilibus et unionem cum Deo per contemplationem perfectionum et passionum Christi prædicat. Humilitate et caritate refulgens, cælestibus donis illustratus, amore Iesu, cuius nomen in pectore sibi insculpsit, flagrans, Ulmæ piissime obiit die 25 ianuarii 1366. A Gregorio XVI eius cultus confirmatus fuit die 22 aprilis 1831. Cuius sepulcrum sæculo XVI, dissidiis religionis sævientibus, dirutum fuit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Epístulis beáti Henríci Seuze presbýteri

(Ep. 28: ed. K. Bihlmeyer, Heinrich Seuse, Deutsche Schriften, Stuttgart 1907, pp. 486-488.494)

Testamentum caritatis sive Regula caritatis

Sanctificétur nomen Dei in vobis, ut aquam hauriátis in gáudio de vulnéribus Christi! Divína cáritas, pax vera, profúnda humílitas quæ de corde fidéli Iesu prófluit, gaudiósa oblívio sui in societáte digníssimi Fílii Dei et Vírginis! Hæc est mihi orátio domínica ad vos in Christo Iesu valefáciendos.

Bene sciátis, filíoli, talem in bonis opéribus ánimum, tale ante Deum opus. Habeátis ígitur óperum varietátem, animórum autem unitátem. Grátia vero in témpore et glória in æternitáte magis pro ánimo in manus Dei commísso dantur quam in ópere extrínsecus perfécto, quamvis magnum et sanctum videátur.

Virtútes omnes quas potéstis cólite, nolíte tamen in illis fidúciam pónere vestram, sed in Christo solo.

Corda vestra ad eum in cæléstem pátriam convertátis, hanc autem quasi dulce exílium, non per sensum sed per ardéntem desidérium, habeátis, voluntátem Dei exspectántes, eius honórem zeléntes. Gáudium, labórem, ærúmnas, prosperitátem, honórem, iucunditátem, ignomíniam, calúmniam, ómnia de manu eius suscípite. Sub pédibus eius primo prosternámini, vosmetípsos humum tam totáliter et perfécte proiciéntes ut nemo vos magis abícere iam possit. De honóre Dómini nostri gaudéte, ad eum anheláte, eum dilígite, nullam delectatiónem vobismetípsis quæréntes. In eo confídite, caritátem autem ipsi ne desinátis profitéri.

Hoc vobis, dilectíssimi, a Deo suscípite et a me mísero peccatóre, qui totus amícus sum vestri. Quid

autem? peccáta vestra nonne confitéri vultis? « Ita, libénter, frater dilécte ». Ne peccáta aliórum confiteámini. Quem imitári non vultis, ne iudicáre quidem, sed per intelléctum humilitátis in vobismetípsis iudícium ómnium hóminum inveníre debétis.

Deúmne sentíre vultis? Cum vobismetípsis díscite intimitátem. Novúmne lumen novámque Dei grátiam accípere vultis? Dona eius agnóscere díscite, et propter omne bonum grátias ágere, quod ab eo accípitis.

Vultísne in Deo vívere et Deum in vobis, in témpore et in æternitáte, vívere? Vobismetípsis mori díscite, quia excélsa vita ánimæ in moriénte morte naturális voluntátis est abscóndita. Quæ mors in gáudio et in dolóre, et in omni re a nobis elécta, ubi gáudium et dolórem cárpere valeámus, facit ut Christum nudum et spoliátum nudi et spoliáti sequámur.

Régula brevis hæc est, quod a temporálibus diligénter vobis separándum est. Imágines creaturárum sapiénter castificáte. Ad cælum cum Christo sine ambiguitáte elevámini. Natúram vestram fórtiter cum discretióne moderámini. Dulces in humilitáte estóte, et omnem veritátem agnóscere valébitis. Nihil ámplius in præséntia. Valéte!

RESPONSORIUM Cant 8, 7

℟. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, * Neque flúmina óbruent eam.

℣. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. * Neque flúmina.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Nos prædicámus Christum, et hunc crucifíxum: Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam.

Vel, præsertim in cantu: Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui Beátum Henrícum in Fílii tui sequélam vocásti et córporis mortificatióne mirábilem effecísti, concéde ut Christum crucifíxum sectántes, perpétua eius consolatióne fruámur. Qui tecum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Animam meam diréxi ad sapiéntiam, et in purificatióne invéni eam: dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam, et in ipsa laudábo eum.

Vel, præsertim in cantu: Omnis sapiéntia a Dómino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 27 ianuarii

B. MARCOLINI DE FORLÌ, PRESBYTERI

Forolivii [Forlì] in Italia anno 1317 natus, Ordinem Prædicatorum adulescens ingressus est. Silentii ac solitudinis amore, divinæ contemplationis dono et in Deiparam Virginem devotione enituit. Contemptus a fratribus, qui respuebant reformationem Raimundi a Capua, humilis Marcolinus longam vitam egit in patrio cœnobio Foroliviensi, sacris ministeriis et caritatis operibus deditus. Ad ipsum, magnæ orationis virum ac pauperum amicissimum, plurimi se conferebant, afflicti præsertim et ægri, quos peramanter adiuvabat et solabatur. Mira simplicitate, innocentia et caritate fulgens, supernis charismatibus cumulatus, obiit octogenarius die 24 ianuarii 1397. Benedictus XIV cultum ei tributum, die 9 maii 1750 confirmavit.

De Communi sanctorum virorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, cui humílium et mansuetórum semper plácuit deprecátio, præsta quæsumus ut, Beáti Marcolíni vestígia sectántes, vere mites et húmiles corde efficiámur et facílius tua dona capiámus. Per Dóminum.

Die 28 ianuarii

S. THOMÆ DE AQUINO, PRESBYTERI ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Festum

In castello Roccasecca [Italia] natus est a. 1225. A prima iuventute Ordinem Prædicatorum elegit Neapoli (a. 1244) contra suorum voluntatem. Ad principaliora studiorum centra illius temporis accedens (Coloniam, Parisios, Romam, Neapolim), vitæ innocentia et præclara in regularibus observantiis fidelitate summopere enituit. Munus Ordini proprium, idest verbi Dei ministerium in voluntaria paupertate, in eo formam induit diuturni laboris theologici: veritatis studiose investigandæ, peramanter contemplandæ aliisque tradendæ. Proprias itaque vires totaliter in servitium veritatis impendit, ipsam assequendi cupidus, undique provenientem amplectens, illamque aliis participandi desiderio flagrans. Humilitate ac humanissima conversatione prænitens, magister extitit sacræ doctrinæ excelsus atque evangelicæ veritatis gratiosus prædicator. Plura, divina et humana sapientia referta, tradidit quæ arctissimam cohærentiam inter divinam revelationem et humanæ rationis inventa pulchre commonstrant.

Christo Salvatori devotissimus, signanter in Crucis passione et in Eucharistiæ mysterio — quod liturgicis compositionibus extulit — filiali quoque erga Deiparam Virginem Mariam pietate flagravit. Obiit Fossæ Novæ [Fossanova], die 7 martii 1274, cum ad Lugdunense Concilium iter faceret. A Ioanne XXII, die 18 iulii 1323 in sanctorum numerum relatus fuit. A S. Pio V, die 11 aprilis 1567 quintus Latinæ Ecclesiæ Doctor declaratus est. A Leone XIII, die 4 augusti 1880, omnium Universitatum et Scholarum catholicarum Patronus proclamatus fuit. Eius festum, attentis liturgiae instauratæ rationibus, hodierna celebratur die in qua translatio ipsius corporis Tolosam recolitur.

Sicubi gradu sollemnitatis celebratur, ad I Vesperas, omnia ut ad Vesperas (78) cum psalmis et cantico de Communi pastorum (LH III, 1432).

Ad Invitatorium

Ant. Fontem sapiéntiæ, Dóminum, veníte, adorémus.

Vel, præsertim in cantu: Adsunt doctóris cælici Thomæ festa sollémnia: * Devotióne súpplici laudes promat Ecclésia.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Thoma, perénne Ecclésiæ
lumen decúsque prænitens,
in lucra verte grátiæ
quæ pángimus præcónia.

Tu corde mundo ac símplici,
tu luce mentis única
Deum beátus céteris
vidísti abúnde clárius.

Supérna tu mystéria
scrutátus alto acúmine,
quam magna largus sæculis
das veritátis pábula!

Quæ recta mens intróspicit,
quæ nuntiávit Spíritus,
scriptis refúndis lúcidis,
Christi probátus láudibus.

Silens, modéstus, ínnocens,
Dei fruens consórtio,
fulgóre sol ut vívidus
inter magístros émicas.

Sit Trinitáti glória,
quam, te favénte, fídimus
et nos vidére in sæcula
semper novántes cántica.

PSALMODIA

Sumitur ad libitum alia vel alia series antiphonarum ex iis quæ hic proponuntur: Series A, ex Scripturis Sacris præsertim deprompta; Series B, dicta et sapientiam Sancti referens.

Antiphona 1

Ser. A Dómine, ante te omne desidérium meum et gémitus meus a te non est abscónditus.

Ser. B Divínus amor facit totum hóminem in Deum téndere sine vacillatióne.

Psalmus 39, 2-14. 17-18
Mirabilia Dei in Ecclesia

Concelebrant homines universalem Salvatorem Christum, vereque demonstrant ii, qui per fidem in Christum salvati sunt, novum se canticum suscepisse, et hymnum qui illum deceat (S. Cyrillus Alexandrinus).

I

Exspéctans exspectávi Dóminum, *
et inténdit mihi.
Et exaudívit clamórem meum, *
et edúxit me de lacu miséria et de luto fæcis;
et státuit super petram pedes meos, *
et firmávit gressus meos.
Et immísit in os meum cánticum novum, *
carmen Deo nostro.

Vidébunt multi et timébunt, *
et sperábunt in Dómino.
Beátus vir qui pósuit Dóminum spem suam, *
et non respéxit supérbos
et declinántes in mendácium.
Multa fecísti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua, †
et cogitatiónes tuas pro nobis; *
non est qui símilis sit tibi.

Si nuntiáre et éloqui volúero, *
multiplicabúntur super número.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti, *
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti, *
tunc dixi: « Ecce vénio.
In volúmine libri scriptum est de me *
fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui, *
et lex tua in præcórdiis meis ».

Series A: Ant. Dómine, ante te omne desidérium meum et gémitus meus a te non est abscónditus.

Series B: Ant. Divínus amor facit totum hóminem in Deum téndere sine vacillatióne.

Antiphona 2

Ser. A Quia postulásti tibi sapiéntiam: ecce feci tibi secúndum sermónes tuos, et dedi tibi cor sápiens et intéllegens, dicit Dóminus.

Ser. B Amor Dei est infúndens et creans bonitátem in rebus.

II

Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna; *
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti.
Iustítiam tuam non abscóndi in corde meo, *
veritátem tuam et salutáre tuum dixi.
Non abscóndi misericórdiam tuam *
et veritátem tuam ab ecclésia magna.

Tu autem, Dómine,
ne prohíbeas miseratiónes tuas a me; *
misericórdia tua et véritas tua
semper suscípiant me.
Quóniam circumdedérunt me mala,
quorum non est número, †
comprehendérunt me iniquitátes meæ, *
et non pótui vidére.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei, *
et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me; *
Dómine, ad adiuvándum me festína.
Exsúltent et læténtur in te omnes quæréntes te, *
et dicant semper: « Magnificétur Dóminus »
qui díligunt salutáre tuum.
Ego autem egénus et pauper sum; *
Dóminus sollícitus est mei.
Adiútor meus et liberátor meus tu es; *
Deus meus, ne tardáveris.

Series A: Ant. Quia postulásti tibi sapiéntiam: ecce feci tibi secúndum sermónes tuos, et dedi tibi cor sápiens et intéllegens, dicit Dóminus.

Series B: Ant. Amor Dei est infúndens et creans bonitátem in rebus.

[Oratio super psalmum, 632].

Antiphona 3

Ser. A Quod perspéximus de verbo vitæ, annuntiámus vobis, ut et vos communiónem habeátis nobíscum.

Ser. B Habitátio Dei agnósci non potest nisi per experiéntiam; nam verbis explicári non potest.

Psalmus 26, 1-9

Dominus illuminatio mea et salus mea

In secreto ubi solus audis, tibi dixit cor meum: Quæsivi non a te aliquod extra te præmium, sed vultum tuum (S. Augustinus).

Dóminus illumináti mea et salus mea, *
quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, *
a quo trepidábo?
Dum apprópiant super me nocéntes, *
ut edant carnes meas;

qui tríbulant me et inimíci mei, *
ipsi infirmáti sunt et cecidérunt.
Si consístant advérsum me castra, *
non timébit cor meum;
si exsúrgat advérsum me prœlium, *
in hoc ego sperábo.

Unum pétii a Dómino, hoc requíram: *
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ,
ut vídeam voluptátem Dómini, *
et vísitem templum eius.

Quóniam occultábit me in tentório suo,
in die malórum. †
Abscóndet me in abscóndito tabernáculi sui, *
in petra exaltábit me.
Et nunc exaltátur caput meum *
super inimícos meos in circúitu meo.
Immolábo in tabernáculo eius hóstias vociferatiónis, *
cantábo et psalmum dicam Dómino.

Series A: Ant. Quod perspéximus de verbo vitæ, annuntiámus vobis, ut et vos communiónem habeátis nobíscum.

Series B: Ant. Habitátio Dei agnósci non potest nisi per experiéntiam; nam verbis explicári non potest.

[Oratio super psalmum, 633].

℣. Dómine, apud te est fons vitæ.

℟. Et in lúmine tuo vidébimus lumen.

LECTIO PRIOR

De libro Sirácidæ 39, 1b-14

Sapiens peritus Scripturarum

Sapiéntiam ómnium antiquórum exquíret sápiens et in prophetíis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit et in versútias parabolárum

simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret et in abscónditis parabolárum conversábitur.

In médio magnatórum ministrábit et in conspéctu príncipum apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet; bona enim et mala in homínibus tentábit.

Cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne et pro delíctis suis deprecábitur.

Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intellegéntiæ replébitur. Ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ et in oratióne confitébitur Dómino. Et ipse díriget consílium et disciplínam et in abscónditis suis considerábit. Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ et in lege testaménti Dómini gloriábitur.

Collaudábunt multi sapiéntiam eius, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória eius, et nomen eius requirétur a generatióne in generatiónem; sapiéntiam eius enarrábunt gentes, et laudem eius enuntiábit ecclésia.

RESPONSORIUM Sir 24, 46. 47

℟. Doctrínam quasi prophetíam effúndam et relínquam illam quæréntibus sapiéntiam. * Usque in ævum sanctum.

℣. Vidéte quóniam non soli mihi laborávi sed ómnibus exquiréntibus veritátem. * Usque.

Vel, præsertim in cantu: Sap 9, 10. 4

℟. Emítte, Dómine, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret. * Ut sciam quid accéptum sit coram te omni témpore.

℣. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. * Ut sciam.

LECTIO ALTERA [***]

Ex Collatiónibus sancti Thomæ de Aquíno presbýteri
(In duo præcepta caritatis et decem legis præcepta: Opuscula theologica 4, Ed. Leonina)

Lex divini amoris regula omnium actuum humanorum

Maniféstum est quod non omnes possunt sciéntiæ insudáre et proptérea a Christo data est lex brevis, ut ab ómnibus posset sciri, et nullus propter ignorántiam possit ab eius observántia excusári. Et haec est lex divíni amóris: *Verbum breviátum fáciet Dóminus super terram.*

Hæc lex autem debet esse régula ómnium áctuum humanórum. Sicut enim vidémus in artificiálibus, tunc unumquódque opus bonum et rectum dícitur quando régulæ coæquátur; sic étiam quódlibet humánum opus rectum est et virtuósum quando régulæ divínæ dilectiónis concórdat; quando vero a régula caritátis discórdat, tunc non est rectum nec bonum neque perféctum.

Hæc lex, scílicet divíni amóris, quáttuor éfficit in hómine valde desiderabília. Primo causat in eo spirituálem vitam. Maniféstum est enim quod naturáliter amátum est in amánte. Et ídeo qui Deum díligit ipsum in se habet: *Qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo.* Natúra étiam amóris est quod amántem in amátum transfórmat. Si autem Deum dilígimus divíni effícimur: *Qui adhæret Deo unus spíritus est.* Sicut Augustínus dicit: « Sicut ánima est vita córporis, ita Deus est vita ánimæ ». Sic étiam ánima hunc operátur virtuóse et perfécte quando per caritátem operátur, per quam Deus hábitat in ea; absque caritáte vero non operátur: *Qui non díligit, manet in morte.* Si quis autem habet ómnia dona Spíritus Sancti absque caritáte, non habet vitam. Sive enim sit grátia linguárum, sive sit donum fídei, sive quidquid áliud ut donum prophetíæ, sine caritáte vitam non tríbuunt. Si enim corpus mórtuum

induátur auro et lapídibus pretiósis, nihilóminus mórtuum manet.

Secúndum vero est divinórum mandatórum observántia. Dicit enim Gregórius quod cáritas non est otiósa; si enim est magna operátur, si vero non operátur non est ibi cáritas. Vidémus enim amántem propter amátum magna et difficília operári, et proptérea dicit Dóminus: *Si quis díligit me, sermónem meum servábit.* Qui mandátum et legem divínæ dilectiónis servat, totam legem implet.

Tértium quod facit cáritas est præsídium contra advérsa. Habénti enim caritátem nulla advérsa nocent, immo in utilitátem convertúntur: *Diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum;* immo étiam advérsa et difficília suávia vidéntur amánti, sicut et apud nos maniféste vidémus.

Quartum vero est quod ad felicitátem perdúcit; solum enim caritátem habéntibus ætérna beatitúdo promíttitur. Omnia enimália absque caritáte insufficiéntia sunt. Et sciéndum quod solum secúndum differéntiam caritátis est differéntia beatitúdinis et non secúndum áliquam áliam virtútem. Multi magis abstinéntes fuérunt quam Apóstoli sed ipsi in beatitúdine omnes álios excéllunt propter excelléntiam caritátis.

[Sicut ex dictis iam maniféstum est quáttuor éfficit cáritas. Primo enim éfficit peccatórum remissiónem. Et hoc maniféste vidémus ex nobis. Si enim áliquis áliquem offéndit et ipsum póstea íntime díligat, propter dilectiónem sibi offénsa laxátur. Et hoc máxime maniféstat Magdalénæ exémplum de qua dicit Dóminus: *Dimíssa sunt ei peccáta multa.* Sed quare? subdit: *Quóniam diléxit multum.* Sed forte dicet áliquis: súfficit ergo cáritas ad delénda peccáta et non est necessária pæniténtia. Sed considerándum quod nullus vere díligit qui non vere pæniitet.

Item causat cordis illuminatiónem. Sicut enim dicit Iob: *Omnes invólvimur ténebris;* frequénter

enim nescímus quid agéndum vel quid desiderándum, sed cáritas docet ómnia necessária ad salútem: *Unctio eius docet vos de ómnibus.* Et hoc est quia ubi cáritas ibi Spíritus Sanctus qui ómnia novit, qui dedúcet nos *in viam rectam.* Item éfficit in hómine perféctam lætítiam. Item éfficit étiam pacem perféctam. Item facit cáritas hóminem magnæ dignitátis. Cáritas enim de servo facit líberum et amícum. Cáritas facit non solum líberos, sed étiam fílios, ut scílicet fílii Dei nominémur et simus: *Ipse Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quod sumus fílii Dei. Si autem fílii, et herédes: herédes quidem Dei, coherédes autem Christi.* Licet ómnia dona sint a Patre lúminum, istud tamen donum, scílicet caritátis, ómnia ália dona superexcéllit. Omnia enim ália sine caritáte et Spíritu Sancto habéntur, cum caritáte vero necessário Spíritus Sanctus habétur.]

RESPONSORIUM

℟. De excélsis Fons sapiéntiæ sancto Thomæ infúdit cópiam, tanquam flumen claræ sciéntiæ: qui suscéptam refúdit grátiam, dum fluéntis summæ perítiæ. * Rigat totam sanctam Ecclésiam.

℣. Stilus brevis, grata facúndia: celsa, clara, firma senténtia. * Rigat totam.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Super salútem, ut in Appendice, 652.

Vel alia:

Ex Opúsculis theológicis sancti Thomæ de Aquíno presbýteri

(De rationibus fidei, Ed. Leonina, t. 40, Romæ 1969, pp. 56 sqq.)

Quod stultum est Dei sapientius est hominibus

Christus páuperes paréntes elégit et tamen virtúte perféctos, ne quis de sola carnis nobilitáte et parén-

tum divítiis gloriétur, páuperem vitam gessit, ut divítias docéret contémnere, privátus absque dignitáte vixit, ut hómines ab inordináto appetítu honórum revocáret, labórem, famem, sitim et córporis flagélla sustínuit, ne hómines voluptátibus et delíciis intênti propter asperitátes huius vitæ retraheréntur a bono virtútis.

Ad extrémum sustínuit mortem, ne propter mortis timórem áliquis veritátem deséreret, et ne áliquis pro veritáte vituperábilem mortem formidáret, exprobratíssimum genus mortis elégit, scílicet mortis crucis. Sic ergo convéniens fuit Fílium Dei hóminem factum mortem pati, ut sui exémplo hómines provocáret ad virtútem, ut sic verum sit quod Petrus dicit: *Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum ut sequámini vestígia eius.*

Si enim vixísset in mundo dives, potens et in áliqua magna dignitáte constitútus, credi potuísset quod eius doctrína et mirácula favóre hóminum et potestáte humána fuíssent recépta, et ídeo ut maniféstum fíeret opus divínæ virtútis, ómnia abiécta et infírma in mundo elégit: páuperem matrem, vitam ínopem, discípulos et núntios idiótas, reprobári et condemnári étiam usque ad mortem a magnátibus mundi, ut manifésto apparéret quod suscéptio miraculórum eius atque doctrínæ non fuit humánæ poténtiæ sed divínæ.

Est autem circa hoc áliud considerándum quod secúndum eándem ratiónem providéntiæ qua in se ipso Dei Fílius homo factus infírma pati vóluit, étiam suos discípulos, quos humánæ salútis minístros instítuit, vóluit esse in mundo abiéctos, unde non elégit litterátos et nóbiles sed illitterátos et ignóbiles, páuperes scílicet piscatóres. Et eos mittens ad salútem hóminum procurándam iussit paupertátem serváre, persecutiónes et oppróbria pati et mortem étiam pro veritáte subíre, ne eórum prædicátio ad áliquid terrénum cómmodum compósita viderétur,

et ut salus mundi non ascriberétur humánæ sapiéntiæ aut virtúti sed solum divínæ; unde nec in eis défuit virtus divína mirabília óperans, qui tamen secúndum mundum videbántur abiécti.

Hoc autem erat necessárium reparatióni humánæ, ut hómines díscerent non de se ipsis supérbe confídere sed de Deo, hoc enim ad perfectiónem humánæ iustítiæ requíritur ut homo totáliter se Deo subíciat, a quo étiam ómnia bona cónsequi speret adipiscénda et adépta recognóscat.

RESPONSORIUM 2 Tim 4, 8; 1, 12

℟. Repósita est mihi coróna iustítiæ, quam reddet mihi Dóminus * In illum diem iustus iudex.

℣. Scio cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre. * In illum.

Vel alia:

Ex Collatiónibus sancti Thomæ de Aquíno presbýteri

(Collatio 6 super *Credo in Deum*)

Nullum virtutis exemplum abest a cruce

[LH III 1094]

Ad Officium vigiliæ

Pro celebratione Vigiliæ protractæ hic adduntur cantica et Evangelium proprium ut in Appendice, 642.

HYMNUS Te Deum.

Oratio

Deus, qui beátum Thomam sanctitátis zelo ac sacræ doctrínæ stúdio conspícuum effecísti, da nobis quæsumus, et quæ dócuit intelléctu conspícere et quæ gessit imitatióne complére. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas, 77.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

Splendor o perpes, Patris atque Verbum,
cuncta quod mundi bona condidísti,
en tibi laudis modulámur hymnum,
lucis et auctor.

Qui tuis Sponsam rádiis micáre
atque vis pasci dape veritátis,
sidus ingénti rútilum dedísti
lúmine Thomam.

Purus hic vivens animóque castus,
sic gradu certo per acúta mentis
fertur, ut vere videátur ire
Angeli ad instar.

Tam domus nostræ nitet hic sodális
luna quam ridens super astra fulget,
ac decus nobis simul est corúscum
fórmaque vitæ.

Unde miréntes pretiósa quanta
hic tulit doctor venerándus orbi,
eius optámus précibus fovéri,
dógmate duci,

Ut tibi, Patri parilíque Amóri,
Christe, cum Thoma sócii per ævum,
glóriam, verus ubi Sol renídes,
usque canámus.

Psalmodia

Homines Veteris Testamenti cantabant vetera cantica, omnes homines novæ legis cantant canticum novum quod novus homo Christus attulit. Novus populus nova cantat (S. Thomas de Aquino).

Ant. 1. Ego sitiénti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis; et ero illi Deus, et ille erit mihi fílius.

Psalmi et canticum de dominica hebd. I.

Ant. 2 Lætificávit Ecclésiam in opéribus suis, et in sæculum memória eius in benedictióne est.

Ant. 3 Cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecátus est.

LECTIO BREVIS 1 Cor 2, 6-10a

Sapiéntiam lóquimur inter perféctos, sapiéntiam vero non huius sæculi neque príncipum huius sæculi, qui destruúntur, sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sæcula in glóriam nostram, quam nemo príncipum huius sæculi cognóvit; si enim cognovíssent, numquam Dóminum glóriæ crucifixíssent. Sed sicut scriptum est: « Quod óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum ». Nobis autem revelávit Deus per Spíritum suum.

RESPONSORIUM BREVE

℟. In médio Ecclésiæ * Apéruit os eius. In médio.
℣. Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus. * Apéruit os eius. Glória Patri. In médio.

Ad Benedictus, ant. Benedíctus Dóminus, pro cuius amóre beátus Thomas stúduit, vigilávit et laborávit.

Vel, præsertim in cantu: Collaudétur Christus, Rex glóriæ, qui per Thomam lumen Ecclésiæ mundum replet doctrína grátiæ.

PRECES

Laudes dicámus Christo Dómino, qui Ecclésiam suam sancti Thomæ doctrínis et méritis illustráre dignátus est:

Tu splendor Patris, tu spes perénnis ómnium.

Dómine qui dixísti: Ego sum via et véritas et vita,
— laus tibi sit, qui sequácem tuum Thomam
strénuum fecísti veritátis investigatórem
et vitæ perféctæ prosecutórem.

Dómine qui dixísti: Qui facit veritátem, venit ad lucem,
— laus tibi sit ex innúmeris per orbem hóminibus,
qui secúndum percéptam sibi veritátem
ágere nitúntur.

Verbum per quod facta sunt ómnia,
— laus tibi pro intelléctu hómini colláto,
quo et Deum cognóscere váleat
et mundum sibi subígere.

Lumen de lúmine et splendor patérnæ glóriæ,
— laus tibi sit ex illórum stúdio,
qui magis in dies te cognóscere sátagunt,
ut et frátribus notum fáciant.

[Fratres, nos conditióne servi grátia facti sumus fílii Dei, quare eum invocáre audémus, dicéntes:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, qui beátum Thomam sapiéntiæ tuæ præcónem, ac sanctitátis vitæ exémplar Ecclésiæ tuæ próvide tribuísti, illíus méritis et exémplo, te nobis iúgiter concéde et veráciter quærere, et super ómnia dilígere. Per Dóminum.

Vel ut ad Officium lectionis, 74.
[Formula benedictionis, 84].

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS 1 Petr 3, 15-16a

Dóminum Christum sanctificáte in córdibus vestris, paráti semper ad defensiónem omni poscénti

vos ratiónem de ea, quæ in vobis est spe, sed cum mansuetúdine et timóre, consciéntiam habéntes bonam.

℣. Viam veritátis elégi.
℟. Adhæsi testimóniis tuis, Dómine.

Ad Sextam

LECTIO BREVIS Iac 1, 5-6

Si quis vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter et non impróperat, et dábitur ei. Póstulet autem in fide, nihil hæsitans; qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumfértur.

℣. In corde eius requiévit sapiéntia.
℟. Et prudéntia in sermóne oris illíus.

Ad Nonam

LECTIO BREVIS Iac 3, 17-18

Quæ desúrsum est sapiéntia primum quidem pudíca est, deínde pacífica, modésta, suadíbilis, plena misericórdia et frúctibus bonis, non iúdicans, sine simulatióne; fructus autem iustítiæ in pace seminátur faciéntibus pacem.

℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus.
℟. Et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

HYMNUS

Thoma, te méritis láudibus ámbiunt
qui te conspíciunt númine cælico
sæclis propósitum, lúmine ut áfferas
divo fonte salúbriter.

Morum mundíties te quoque prædicat
quem puris símilem præstitit Angelis,
ac vultum Dómini nunc sine término
largítur tibi límpidum.

Non te divítiæ, prædia, stémmata
obléctant: húmilis per crucis áspera
tu Christum séqueris, nisu in ómnibus
eius quærere glóriam.

Humáni géneris qui decus énites,
mundo restítuas íntegra dógmata,
da castis hómines áctibus hæreant,
Christi iússaque díligant.

Sint laudis Tríadi cántica iúgiter,
quæ te mirífícis compsit honóribus,
quæ donet sócios nos tibi pérfrui
pacis múnere pérpetis.

PSALMODIA

Sumitur ad libitum alia vel alia series antiphonarum ex iis quæ hic proponuntur: Series A, ex Scripturis Sacris præsertim deprompta; Series B, gregoriano cantu ornata.

Antiphona 1

Ser. A Secúndum grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sápiens architéctus fundaméntum pósui; álius autem superædíficat.

Ser. B Candor est lucis ætérnæ et spéculum sine mácula.

Psalmus 126

Dominus est qui ædificat

Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere (Io 15, 5).

Nisi Dóminus ædificáverit domum, *
in vanum labórant qui ædíficant eam.
Nisi Dóminus custodíerit civitátem, *
frustra vígilat qui custódit eam. —

Vanum est vobis ante lucem súrgere, †
et sero quiéscere, et manducáre panem labóris. *
Verúmtamen dabit ipse diléctis suis duplícia.

Ecce heréditas Dómini, fílii, *
merces fructus ventris.
Sicut sagíttæ in manu poténtis, *
ita fílii iuventútis.

Beátus vir qui implévit pháretram suam ex ipsis, *
non confundétur,
cum loquétur inimícis suis in porta.

Series A: Ant. Secúndum grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sápiens architéctus fundaméntum pósui: álius autem superædíficat.

Series B: Ant. Candor est lucis ætérnæ et spéculum sine mácula.

[Oratio super psalmum, 633].

Antiphona 2

Ser. A Fructus lucis est in omni bonitáte et iustítia et veritáte.

Ser. B Non est invéntus símilis illi qui conserváret legem Excélsi.

Psalmus 110
Memoriam fecit mirabilium suorum

Salvatoris opera in œconomia salutis docent novum populum simul gratias agere de salute sua (S. Athanasius).

Confitébor Dómino in toto corde meo, *
in consílio iustórum et congregatióne.

Magna ópera Dómini, *
exquirénda ómnibus qui cúpiunt ea.
Decor et magnificéntia opus eius, *
et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, *
miséricors et miserátor Dóminus.
Escam dedit timéntibus se; *
memor erit in sæculum testaménti sui.

Virtútem óperum suórum annuntiávit pópulo suo, †
ut det illis hereditátem géntium; *
ópera mánuum eius véritas et iudícium.
Fidélia ómnia mandáta eius, †
confirmáta in sæculum sæculi, *
facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo, *
mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum et terríbile nomen eius; *
inítium sapiéntiæ timor Dómini,
intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; *
laudátio eius manet in sæculum sæculi.

Series A: Ant. Fructus lucis est in omni bonitáte et iustítia et veritáte.

Series B: Ant. Non est invéntus símilis illi qui conserváret legem Excélsi.

[Oratio super psalmum, 633].

Antiphona 3

Ser. A Deus, qui dixit: « De ténebris lux splendéscat », ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Iesu Christi.

Ser. B Sapiéntia ædificávit sibi domum, míscuit vinum et pósuit mensam, allelúia.

Canticum Col 1, 12-20
Sors sanctorum in lumine

Grátias agámus Deo Patri, *
qui dignos nos fecit
in partem sortis sanctórum in lúmine,
qui erípuit nos de potestáte tenebrárum *
et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ,

in quo habémus redemptiónem
per sánguinem eius, *
remissiónem peccatórum.

Qui est imágo Dei invisíbilis, *
primogénitus omnis creatúræ;
quóniam in ipso cóndita sunt univérsa †
in cælis et in terra, *
visibília et invisibília,
sive throni sive dominatiónes *
sive principátus sive potestátes:

ómnia per ipsum et in ipso creáta sunt, †
et ipse est ante omnes, *
et ómnia in ipso constant.

Et ipse est caput córporis Ecclésiæ, †
qui est princípium, primogénitus ex mórtuis, *
ut sit in ómnibus ipse primátum tenens;

quia in ipso complácuit
omnem plenitúdinem inhabitáre, *
et per eum reconciliáre ómnia in ipsum,
pacíficans per sánguinem crucis eius *
sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt.

Series A: Ant. Deus, qui dixit: « De ténebris lux splendéscat », ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Iesu Christi.

Series B: Ant. Sapiéntia ædificávit sibi domum; míscuit vinum et pósuit mensam, allelúia.

[Oratio super canticum, 633].

LECTIO BREVIS 1 Cor 12, 8-11

Alíi quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ, alíi autem sermo sciéntiæ secúndum eúndem Spíritum, álteri fides in eódem Spíritu, alíi donatiónes sanitátum in uno Spíritu, alíi operatiónes virtútum, alíi prophetátio, alíi discrétio spirítuum, alíi génera

linguárum, alíi interpretátio linguárum; haec autem ómnia operátur unus et idem Spíritus, dívidens síngulis, prout vult.

Responsorium breve

℟. Sapiéntiam eius, * Enarrábunt gentes. Sapiéntiam.

℣. Et laudem eius enuntiábit Ecclésia. * Enarrábunt gentes. Glória Patri. Sapiéntiam eius.

Ad Magnificat, ant. Dedit ei Deus sapiéntiam multam nimis, quam sine fictióne dídicit et sine invídia communicávit.

Vel, præsertim in cantu: In médio Ecclésiæ apéruit os eius, et implévit eum spíritu sapiéntiæ et intelléctus.

Preces

Deum, in quo ténebræ non sunt ullæ, enixe rogémus, ut rádio suæ lucis mentes hóminum illustráre et dirígere non désinat:
Sit splendor Dómini super nos.

Creátor ineffábilis, qui mundum disposuísti
in mensúra et póndere et número,
— da scientiárum et ártium cultóribus diligéntiam te quæréntem, sapiéntiam te inveniéntem, ingénium te patefáciens.

Deus in quo vívimus et movémur et sumus,
— da cunctis géntibus,
ut te quæréndo propínquum attréctent
et invéniant.

Qui fámulum tuum Thomam corde fecísti húmilem
et ánimo magnum,
— símiles, quæsumus, fac omnes
quibus offícium incúmbit
ut fídei veritátes mundo commúnicent.

Qui síngulis nobis cor fecísti irrequiétum donec requiéscat in te,
— per sémitas tuas duc nos quo téndimus, ad lucem quam inhábitas.

Deum, quem multi cæcutiéntes in vita quæsiérunt, et ántequam clare invenírent decessérunt:
— concéde benígnus et ipsis partem cum sanctis in lúmine.

[Petitiónes nostras concludámus a Patre postulántes, una cum pane cotidiáno, quæ vitæ ætérnæ vera sunt aliménta:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, qui beátum Thomam sanctitátis zelo ac sacræ doctrínæ stúdio conspícuum effecísti, da nobis, quæsumus, et quæ dócuit intelléctu conspícere, et quæ gessit imitatióne complére. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas, 77.

Benedictio finalis

Benedícat vos Deus et qui beáto Thomæ dedit scrutáre profúnda ipsíus, vobis concédat ipsum dilígere in veritáte.
℟. Amen.

Die 29 ianuarii

B. VILLANÆ DE' BOTTI, MATRISFAMILIAS

Florentiæ in Italia orta anno 1332, a ditissimo patre negotiatore, adulescentiam facilem ac mutabilem duxit. Rosso Petri Benintendi homini diviti nuptui tradita, primum leviter vixit, festis, conviviis et saltationibus dedita. Tandem, post eventum portentosum, divinæ gratiæ lumine perfusa, pœnitentia ducta, ad fratres Sanctæ Mariæ Novellæ cucurrit ut peccata confiteretur. Inde habitum sororum de

Pænitentia S. Dominici impetravit, novam sub Fratrum Prædicatorum moderatione ingrediens viam. Tum ad studium Sacræ Scripturæ et ad contemplationem Christi Crucifixi intendens, austera vivendi ratione enituit multasque mulieres ad sui imitationem attraxit.

Fervida in Deum et proximos, liberaliter omnia bona sua pauperibus distribuit atque pro ipsis mendicavit etiam in viis Florentiæ. Cælestibus donis a Deo cumulata, obiit die 29 ianuarii 1361. Eius corpus expositum fuit per 37 dies ad venerationem populi in ecclesia Sanctæ Mariæ Novellæ, ibique honorifice sepultum est. Die 27 martii 1824, a Leone XII eius cultus confirmatus fuit.

De Communi sanctarum mulierum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, misericordiárum Pater, qui Beátam Villánam a mundi vanitátibus mirabíliter revocátam, spíritu humilitátis et veræ pæniténtiæ erexísti, ínnova in córdibus nóstris tui amóris afféctum, et præsta ut, eódem spíritu repléti, tibi in novitáte vitæ servíre mereámur. Per Dóminum.

FEBRUARIUS

Die 3 februarii

B. PETRI DE RUFFIA, PRESBYTERI ET MARTYRIS

Petrus in Rodulphiæ castello, vulgo Ruffìa dicto, in Subalpinis [Italia] ortum habuit anno circiter 1320. Ordinem Prædicatorum Saviliani inde a primæva ætate amplexus est. Vitæ austeritate, doctrinæ eminentia, perfectaque sui abnegatione fulgens, vitam apostolicam, in munere inquisitoris contra Valdenses ad mores christianos firmandos transactam, supremum holocaustum pro Christo et fratribus consummavit, ab hæreticis Segusiæ [Susa] in claustro trucidatus, die 2 februarii 1365. Pius IX cultum ei inde a martyrii tempore præstitum, confirmavit die 4 decembris 1856. Eius corpus Taurinum translatum est.

De Communi unius martyris vel pastorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beáto Petro misericórditer tribuísti pro veræ fídei defensióne martýrio coronári, eius méritis et intercessióne concéde, ut fide, quæ per caritátem operátur, tibi iúgiter placére valeámus. Per Dóminum.

Eodem die 3 februarii

B. ANTONII PAVONI, PRESBYTERI ET MARTYRIS

Ortus est, anno circiter 1326, Saviliani in diœcesi Taurinensi [Italia]. In Ordinem Prædicatorum adulescens receptus, post martyrium B. Petri de Ruffìa, iussu Urbani V, inquisitoris generalis munus exercuit. Fidelitatem ad susceptam inquisitoris missionem indesinenti oratione et virtutum exercitio fulciens, invicta constantia gloriosum martyrium explevit Bricherasii, die 9 aprilis 1374. Eius cultus, iam a Gregorio XI in tribus epistolis [a. 1375] testatus, a Pio IX die 4 decembris 1856 confirmatus fuit. Cuius corpus Raconixii [Racconigi] colitur.

De Communi unius martyris vel pastorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui ad unitátem fídei promovéndam Beáto António invíctam ánimi fortitúdinem contulísti, da nobis, quæsumus, ita eius vestígia sectári, ut finem fídei nostræ, salútem animárum reportémus. Per Dóminum.

Eodem die 3 februarii

B. BARTHOLOMÆI CERVERI, PRESBYTERI ET MARTYRIS

Saviliani in Italia circa annum 1420 natus, Ordinem Prædicatorum ingressus est. Divinis litteris adeo studuit ut a. 1452 Taurini doctor renuntiatus simulque in collegium magistrorum universitatis cooptatus fuerit. Theologico magisterio et apostolico ministerio clarus, inquisitoris munere auctus, pro fide tuenda strenue dimicans, diu præclare traditam doctrinam martyrio firmavit, die 21 aprilis 1466. Pius IX, die 22 septembris 1853, cultum approbavit. Cuius corpus Cervére translatum est.

De Communi unius martyris vel pastorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Bartholomæum insígnem fídei propugnatórem effecísti, et martýrii coróna sublimásti, da nobis, eius méritis et exémplo, crucem iúgiter ferre, ut cum ipso glóriæ tuæ mereámur esse partícipes. Per Dóminum.

Die 4 februarii

S. CATHARINÆ DE' RICCI, VIRGINIS

Memoria obligatoria

E nobili stirpe anno 1522 nata Sandrinam nomen accepit. Adhuc puellula, matre orbata, magno incendebatur amore erga Christum Crucifixum. Duodennis monasterium Sancti Vincentii Sororum Tertiæ Regulæ S. P. Dominici in civitate

Prati ingressa est, assumpto nomine Catharina. Sancti Spiritus igne succensa, gloriam Domini indesinenter quærens, reformationem vitæ regularis promovit iuxta inspirationem fratris Hieronymi Savonarola quem grata prosequebatur veneratione. Christi passionem ardenter contuens corde, vivide in carne quoque meruit ferre mystico consortio ac versiculos ex Sacris Scripturis depromptos tradidit pro huiusmodi meditatione promovenda. Bis priorissa, eximia prudentia ac benignitate communitatem gubernavit.

Cælestis Sponsi donis referta, divinæque dilectioni innixa, præclara spiritualis doctrinæ documenta reliquit, epistolis præsertim, quas ad conspicuos etiam et sanctos ætatis suæ viros ac mulieres conscripsit, ut S. Philippum Neri, S. Carolum Borromeo, S. Mariam Magdalenam de' Pazzi. Obiit Prati die 2 februarii 1590. Cœtui beatorum, die 23 novembris 1732, a Clemente XII sollemniter cooptata, a Benedicto XIV inter sanctas adscripta fuit die 29 iunii 1746.

De Communi virginum (LH III, 1474), vel sanctarum mulierum: pro religiosis (1539), præter sequentia:

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Adhibetur textus congruus vel sequens:

O virgo, cui præcórdia
Sanctus perússit Spíritus,
raptóque corde cárneo,
dedit supérno vívere!

Beáta, cui Rex mártyrum
spinas crucémque cóntulit,
et sacra virgináli bus
membris inússit stígmata.

Beáta, quam Rex vírginum,
Alma Parénte prónuba,
plaudénte cæli cúria,
sacro recépit thálamo.

O iam perénni vínculo
coniúncta Regi glóriæ,
fac nos amóris néxibus
iungi Deo per sæcula.

Te, Sponse Iesu vírginum,
castæ Paréntis Unice,
laudent beáti Spíritus
in sæculórum sæcula.

Sicubi gradu festi celebratur:

℣. Diléctus meus mihi et ego illi.
℟. Qui páscitur inter lília.

LECTIO PRIOR

De Cántico Canticórum 2, 10-14; 7, 10-13

Surge, amica mea, et veni

En diléctus meus lóquitur mihi: « Surge, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Iam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit. Flores apparuérunt in terra, tempus putatiónis advénit; vox túrturis audíta est in terra nostra, ficus prótulit grossos suos, víneæ floréntes dedérunt odórem suum: surge, amíca mea, speciósa mea, et veni, colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna abrúpta. Osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis; vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra ».

Guttur tuum sicut vinum óptimum, dignum dilécto meo ad potándum, labiísque et déntibus illíus ad ruminándum. Ego dilécto meo, et ad me appetítus eius. Veni, dilécte mi, egrediámur in agrum, commorémur in villis; mane properábimus ad víneas, vidébimus, si flóruit vínea, si flores aperiúntur, si floruérunt mala púnica: ibi dabo tibi amóres meos.

RESPONSORIUM Cant 8, 6-7; 6, 3

℟. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super brácchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio. * Ego dilécto meo et diléctus meus mihi.

℣. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. * Ego dilécto meo.

LECTIO ALTERA [**]

E Lítteris sanctæ Catharínæ de' Ricci die Domínica Palmárum, 18 aprilis 1554

(Ad Bonaccorsum Bonaccorsi Florentinum: Epistolario, ed. G. Di Agresti, vol. I, Firenze 1973, pp. 331-336)

Trophæum invenimus rubrum et rubicundum quod est Iesus in cruce

In bono máxime ponénda est æmulátio, non invídia ita ut próximum a bono retráhere quis velit ne ipsi antéeat, sed sancta æmulatióne et siti cæléstis fontis veheménter curréndum est, et nullo impediménto alícui paráto, prægredi niténdum est. Oh! si æmulátio hæc in christianórum córdibus exsísteret, quam multi ad optátam palmam pervenírent ad quam nunc tam pauci accúrrunt. Ita ígitur efficiámus, filíole mi caríssime, ut velóciter currámus ac vincámus. Hoc in certámine incáutus non putáberis quemádmodum inconsiderátus iudicátus non fuit infélix ille, immo felix, fur crucifíxus cum Iesu. Nonne ille vidétur tibi mélius certavísse quam turba magna sanctórum patrum qui in limbo iam a sæculis redemptiónem exspectábant? Iste enim puncto témporis tam velóciter cucúrrit ut ómnibus anteíret et primus esse mererétur ad palmam, quam tamen némini ábstulit ex vocátis ad illam.

Nunc vero fili mi dies vívimus quibus curréndum et consisténdum est plus quam consuéscimus. Altitúdinem enim mystérii redemptiónis nobis his in diébus repræsentátam considerántes, quanto magis nobis consisténdum ac perseverándum est!

In primis misericórdiam vidémus quæ vicit iustítiam et mediátrix facta apud ætérnum Patrem ipsum indúxit ut Fílium suum unigénitum mítteret, carnem humánam indúeret pro salúte animárum nostrárum benefícii immémorum; Deum de excélsis in terram traxit, *quem cæli cápere non possunt* in Vírginis úterum clausit, factum de Deo omnipoténte infántem

cum ómnibus miséria ceterórum, de immortáli et impassíbili mortálem ac passíbilem, de divíno humánum, de sapientíssimo quasi insipiéntem coram homínibus factum, de Dómino, cui sérviunt Angeli, servum hóminum factum.

Quisnam ígitur intelléctus hæc consíderans, non mirátur sciens quia hæc ómnia facta sunt ut humána natúra débitum sólveret divínæ Esséntiæ? Et quia natúra nostra débitum sólvere non póterat neque cæléstem illam iánuam aperíre valébat, quam inobœdiéntia cláuserat, Salvátor ecce venit, dives ecce tanto thesáuro, parátus et promptus ad débitum pro nobis solvéndum et cæléstis pátriæ herédes nos restaurándos. Hæc quidem considerátio continére nos debet ab ómnibus operatiónibus nostris, ab operatiónibus, inquam, terrénis atque inánibus.

Cursum hunc ut capiámus necésse est excitáti exémplo abýssi caritátis Fílii Dei in parvam creatúram. Una cum natúra nostra cursum suum ipse cepit tam velócem ad tantæ passióni obveniéndum.

Idem nobis cursus, filíole, faciéndus est et veheménter nobis proiciéndum est hoc in magnum pélagus quo abluámur et mundémur, quia pro nobis factum est, et sacráto illo sánguine frontes signémus, ut tali signo ad Patrem ætérnum accedámus illíque dicámus quóniam Fílius eius Unigénitus débita pro nobis solvit, et certávimus et trophæum invénimus rubrum et rubicúndum, quod est Iesus in cruce, sánguine respérsus et exsánguis amóris causa.

RESPONSORIUM Mt 11, 29-30

℟. Tóllite iugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde. * Iugum enim meum suáve est et onus meum leve.

℣. Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. * Iugum.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum O sponsa Christi, ut in Appendice, 652.

Vel alia:

Ex Epístola ignóti auctóris coævi sanctæ Catharínæ de' Ricci

(S. Caterina de' Ricci, ed. G. Di Agresti, vol. I, Firenze 1963 [1967], pp. 17-75)

Catharina, vera sponsa Christi

De Catharína éloquor, Florentína, monastérii Sancti Vincéntii Praténsis Ordinis Prædicatórum sanctimoniáli, vera sponsa Christi apud nos, de qua áliquid ex me certi ac veri perquíris. Hæc virgo benedícta est causa máximi gáudii bonis rectísque corde qui eam agnóscunt, magnæque lætítiæ in Dómino. In ipsa enim Deus noster propter infinítam maiestátem ac benignitátem suam se præbére dignátus est ab ætérno fidélem, omnipoténtem ac munificentíssimum. Atque nulla apud nos causa est quare tantum Deus thesaurizáre volúerit in hac creatúra, non in illa vel in ália. Ad mentem nostram revocémus quod scriptum est: *Confíteor tibi, Pater cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus et revelásti ea párvulis. Ita, Pater, quóniam sic plácitum fuit ante te.*

Mense septémbri anni millésimi quingentésimi quadragésimi vírginem Catharínam in se ipsa Fílii Dei passiónem pati compértum est. In éxstasin rapiebátur a féria quinta in Vésperum, per totam noctem, usque ad últimam fere vigíliam fériæ sextæ plus minúsve, secúndum voluntátem ac beneplácitum dívini Sponsi. Et nunc étiam hanc in éxstasin rápitur per síngulas hebdómadas: quod ipsa nobis per obœdiéntiam revelávit.

Iesum Matri valedicéntem videt, Iesum séquitur in Bethániam, eundémque in cenáculum ad Cenam parátum. Ibi Iesum videt pedes discipulórum lavántem atque Eucharístiam instituéntem; ei in Gethsémani oránti adest. Iudámque proditórem videt et Iesum comprehénsum. Summos pontífices præsi-

désque interrogántes cónspicit et Dóminum oppróbriis óbrutum videt, eidémque flagelláto, spinis coronáto, crucem baiulánti et cruci fixo adest. Videt Iesum in ligno suspénsum tribúsque horis cum morte luctántem, dénique de cruce depósitum.

Omnia hæc videt, immo non solum videt sed cum Dómino nostro compátitur. Et quod ille una tantum féria sexta passus est, ipsa miro modo pátitur síngulis fériis quintis ac sextis.

Hæc acerbíssima torménta nullo modo Catharína virgo pati vellet quo ad sensitívam voluntátem, quadam die per éxstasin audíta est a Iesu petens num sibi ipsi áliquid crucis suæ extólleret, sed statim rationáli sua voluntáte se érigit et máximas Deo grátias agit propter infinítam caritátem quam erga ipsam tam indígnam habet. Dicit autem se mínime exprímere posse ómnia quæ pro nobis Dóminus noster passus est.

A décima quarta die mensis aprílis anni millésimi quingentésimi quadragésimi primi, infra octávam Paschæ, vúlnera Dómini nostri fixa in eius córpore permansérunt, et sæpe dixit tanto se dolóre vúlneris in látere áffici ut sibi mori viderétur etsi sciret vulnéribus illis non esse moritúram. Semper perspícue ac distíncte infíxas plagas pedum ac mánuum videt. Ii autem qui vidébant eam, cogebántur dícere: Nunc modo e cruce defíxa vidétur.

Responsorium Gal 6, 14; 2 Cor 1, 5

℟. Mihi absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi: * Per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

℣. Sicut abúndant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abúndat consolátio nostra. * Per quem.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Adhibetur textus congruus vel sequens:

Iam noctis umbras Lúcifer
fugat, diémque prævenit,
quæ Catharínæ méritis
corúscat et prodígiis.

Ave, crucis discípula
et passiónis ǽmula,
divíni amóris víctima,
casti pudóris lílium.

Fac te sequámur régiam
per caritátis sémitam,
et quibus ardes, ígnibus
accénde nostra péctora.

Quæ tibi Sponsus sánguinum
dedit, salútis sýmbola
inscúlpe nostris méntibus,
nostrísque fige córdibus.

Te, Sponse Iesu vírginum,
castæ Paréntis Unice,
laudent beáti Spíritus
in sæculórum sǽcula.

PSALMODIA

Ant. 1 Vivo autem ego iam non ego, vivit vero in me Christus: ego enim stígmata Dómini Iesu in córpore meo porto.

Hæ antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus. Sicubi vero gradu festi celebratur, cum psalmodia de dominica hebd. I dicendæ sunt.

Ant. 2 Exsultávit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiménto salútis et induménto iustítiæ, quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Ant. 3 Indue te decóre sempitérnæ glóriæ: Deus enim osténdet splendórem suum in te.

LECTIO BREVIS 2 Cor 4, 8a. 10-11a

In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur; semper mortificatiónem Iesu in córpore circumferéntes, ut et vita Iesu in córpore nostro manifestétur. Semper enim nos qui vívimus, in mortem trádimur propter Iesum.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Tibi dixit cor meum: * Quæsívi vultum tuum. Tibi dixit.

℣. Vultum tuum, Dómine, requíram. * Quæsívi vultum tuum. Glória Patri. Tibi dixit.

Ad Benedictus, ant. Surge, própera et veni, virgo Catharína, quæ dealbásti stolam tuam in sánguine Agni; fuísti fidélis usque ad mortem, áccipe a Dómino corónam vitæ.

Vel, præsertim in cantu: Ego autem in Dómino gaudébo et exsultábo in Deo Iesu meo.

Preces congruæ vel de Communi virginum.

Oratio

Deus, qui voluísti ut beáta virgo Catharína passiónis Fílii tui contemplatióne claresceret, eius nobis intercessióne concéde, ut éadem devóte mystéria recoléntes, eórum fructum percípere mereámur. Per Dóminum.

Sicubi gradu festi celebratur:

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS Phil 1, 20b-21

Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam sive per mortem. Mihi enim vívere Christus est et mori lucrum.

℣. Communicántes Christi passiónibus gaudéte.
℟. Ut et in revelatióne glóriæ eius gaudeátis exsultántes.

Ad Sextam

LECTIO BREVIS Col 1, 24

Gáudeo in passiónibus pro vobis et adímpleo ea, quæ desunt passiónum Christi, in carne mea pro córpore eius, quod est Ecclésia.

℣. Sicut abúndant in nobis Christi passiónes.
℟. Ita et abúndat consolátio nostra.

Ad Nonam

LECTIO BREVIS 2 Cor 4, 16-17

Licet is, qui foris est, noster homo corrúmpitur, tamen is, qui intus est, noster renovátur de die in diem. Id enim, quod in præsénti est, leve tribulatiónis nostræ supra modum in sublimitátem ætérnum glóriæ pondus operátur nobis.

℣. Cum Christus apparúerit vita nostra.
℟. Tunc et nos apparébimus cum ipso in glória.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

Hymnus

Adhibetur textus congruus vel sequens:

Sollémne laudis cánticum
pangámus almæ vírgini,
quam sponsus Agnus évocat
ad sempitérnas núptias.

Regális hanc Etrúria,
Senénsis instar, prótulit
donis refértam grátiæ,
totóque plenam Númine.

Oráre docta ab ángelo
cælum puélla tránsvolat,
corpusculíque mótibus
Christi dolóres éxprimit.

Sertum dat illi spíneum,
dat ánnulum, cor, stígmata,
et sponsus illam brácchiis
cingit crucis de stípite.

O sponsa felix, áffluens
cæléstibus delíciis,
votis tuórum súpplicum
aures benígnas ádmove.

Te, sponse Iesu vírginum,
castæ paréntis Unice,
laudent beáti spíritus
in sæculórum sæcula.

Psalmodia

Sicubi gradu festi celebratur, antiphonæ ut ad Laudes matutinas cum psalmis et cantico de Communi virginum (LH III, 1486).

Lectio brevis Ap 19, 6-9

Audívi quasi vocem turbæ magnæ et sicut vocem aquárum multárum et sicut vocem tonítruum magnórum dicéntium: « Allelúia, quóniam regnávit

Dóminus, Deus noster omnípotens. Gaudeámus et exsultémus et demus glóriam ei, quia venérunt núptiæ Agni, et uxor eius præparávit se. Et datum est illi, ut coopériat se býssinum splendens mundum: býssinum enim iustificatiónes sunt sanctórum ». Et dicit mihi: « Scribe: Beáti, qui ad cenam nuptiárum Agni vocáti sunt! ».

RESPONSORIUM BREVE

℟. Cor meum et caro mea. * Exsultavérunt in Deum vivum. Cor meum.

℣. Concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini. * Exsultavérunt in Deum vivum. Glória Patri. Cor meum.

Ad Magnificat, ant. Catharína, virgo sápiens, commúnicans Christi passiónibus, ornávit lámpadem suam; veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias.

Vel, præsertim in cantu: Qui maior est vestrum erit miníster, quia omnis qui se exáltat humiliábitur, dicit Dóminus.

Preces congruæ vel de Communi virginum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 7 februarii

ANNIVERSARIUM PATRUM ET MATRUM DEFUNCTORUM

Communi hac celebratione memoriam agimus parentum nostrorum qui nos præcesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. Ita Familia nostra Dominicana pietatem erga parentes nostros exprimit in unum coniungens, sicut in vita et in morte, illos qui nos in Christo genuerunt quique nos persæpe ad sequelam Christi præcoluerunt atque obtulerunt.

Suffragia de hodierno Anniversario Missa tantum peraguntur. Quælibet tamen communitas, servatis servandis, iuxta generales normas, aptiore qua videbitur forma, in Liturgia Horarum, Anniversarium commemorare potest (cf. IGLH, nn. 245.252).

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Epístolis sanctæ Catharínæ Senénsis vírginis ad matrem suam

(Ep. n. 240, oct. 1376: ed. P. Misciattelli, vol. IV, Firenze 1970, pp. 31-33)

Desideravi te matrem veram videre

In nómine Iesu Christi Crucifíxi et Maríæ dulcis. Mater mea caríssima in Christo dulci Iesu. Fília tua Catharína indígna atque abiécta confórtat te in pretióso sánguine Fílii Dei. Desidério desiderávi te matrem veram vidére non córporis tantum sed étiam ánimæ meæ; consíderans quóniam si magis ánimam quam corpus diléxeris, amor omnis immódicus in te moriétur neque magna tibi moléstia erit pro abséntia mea corporáli, quinímmo gáudium, et volens pro Dei honóre omnes ferre labóres consíderans ut Dei honor fiat! Dei honórem fácere est grátiam virtutémque in ánima mea augére ita ut dulcíssima mater mea, quæ magis ánimam quam corpus díligis, gáudio perfúsa miniméque destitúta fias.

Volo ut discas ex illa dulci matre María quæ pro Dei honóre et ómnium nostrum salúte nobis donávit Fílium mórtuum in ligno sacratíssimæ Crucis. María autem sola mánens, post Christi in cælum ascénsum, cum discípulis sanctis mansit: simul vívere magnum, puta, solácium Maríæ discipulísque afférre póterat et proficísci mærórem; nihilóminus ad laudem et glóriam Fílii sui atque ad salútem universórum permíttit et vult ut illi proficiscántur.

Pótius éligit labórem discéssus eórum quam soládium permansiónis, tantum permóta amóre honóris Dei salutísque animárum nostrárum.

Ex illa, mater mea caríssima, ut discas volo. Scis enim quóniam meum offícium est Dei voluntátem pérsequi; et scio quóniam vis ut illam pérsequar. Dei volúntas fuit ut discéderem et discéssus non sine mystério fuit neque sine magna utilitáte. Dei volúntas fuit ut manérem et non voluntáte hóminis cuiúsdam; et si quis contrárium díceret hoc falsum est, et non est véritas. Itaque bonum est mihi ut vadam, eius vestígia sequens sicut Bonitáti eius inæstimábili placébit.

Tu autem, mater mea bona ac dulcis, læta non mærens esse debes, et omnem ferre labórem ad Dei honórem salutémque tuam ac meam. Erige, érige páululum cor et afféctum tuum in dulcem illam et sanctíssimam crucem ubi labor omnis déficit; fac velis páululum pœnæ temporális sustinére ut ætérnam effúgias quam pro peccátis nostris merémur. Confortáre propter amórem Christi crucifíxi.

Pérmane in sancta ac dulci Dei dilectióne. Iesu dulcis, Iesu amor.

RESPONSORIUM Phil 2, 2. 3. 4; 1 Th 5, 14-15

℟. Caritátem habéte, in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrántes: * Non quæ sua sunt sínguli considerántes, sed ea quæ aliórum.

℣. Suscípite infírmos, patiéntes estóte ad omnes; semper quod bonum est sectámini in ínvicem et in omnes. * Non quæ.

Oratio

Deus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti, miserére cleménter paréntibus nostris eorúmque peccáta dimítte, nosque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére. Per Dóminum.

Die 12 februarii

B. REGINALDI DE ORLÉANS, PRESBYTERI

Memoria ad libitum

Anno circiter 1180 in diœcesi Aurelianensi [Orléans] in Gallia natus, iuris doctor declaratus, in Parisiorum Academia canones interpretatus est. Romam transiens, loca sancta invisurus, verbis S. P. Dominici captus animo, evangelicam Ordinis paupertatem eiusdemque nisum apostolicum magni faciens, sanitate mirabiliter recepta auxiliante beata Virgine Maria, habitum Ordinis, tunc ab ipsa ei ostensum, suscepit. Virtutum exemplo et ignito eloquio, Bononiæ prius dein Parisiis, plurimos iuvenes et claræ famæ viros ad Ordinem attraxit. Vitæ communitariæ sapiens exstitit ordinator fervidusque promotor, apostolico zelo pro Christi regno instaurando flagrans. Obiit Parisiis anno 1220 et sepultus est in ecclesia S. Mariæ de Campis [N.-D. des Champs]. Cultus ab immemorabili præstitus a Pio IX die 8 iulii 1875 confirmatus fuit.

De Communi pastorum (LH III, 1437), vel sanctorum virorum: pro religiosis (1539).

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

E Libéllo de princípiis Ordinis Prædicatórum beáti Iordáni de Saxónia presbýteri

(Nn. 56-58: MOPH 16, Romæ 1935, pp. 63-64)

Novus insurrexisse videbatur Elias

Anno Dómini millésimo ducentésimo duodevicésimo cum Magíster Domínicus esset Romæ, magíster Reginaldus, decánus sancti Aniáni Aurelianénsis, mare transitúrus illuc usque pervénit. Erat autem vir opinióne magnus, doctus sciéntia, célebris dignitáte, qui de iure canónico réxerat Parísiis annis quinque. Hic ígitur cum venísset Romam gravi infirmitáte corrípitur; ad quem Magíster Domínicus aliquótiens, ut eum visitáret advénit et exhórtans eum

ad paupertátem Christi et Ordinis sui consórtium, líberum et plenum ab eo suscipiéndae religiónis huius consénsum elícuit ita ut se voto astríngeret.

Relevátus est ígitur ab infirmitáte sua gravi et quasi desperáto perículo, sed non sine divíni virtúte miráculi. Nam visibíliter inter æstus fébrium suárum ad eum véniens Regína cæli, Mater Misericórdiæ, Virgo María et eius óculos, nares, aures, os, umbilícum, manus pedésque quadam salutári, quam secum detúlerat, inunctióne perúngens, huiuscémodi verba subiúnxit: « Ungo pedes tuos óleo sancto ad præparatiónem Evangélii pacis ». Nihilóminus étiam ei omnem huius Ordinis hábitum demonstrávit. Conféstim ergo sanátus est et sic repénte toto córpore reparátus, ut médici, qui de eius convalescéntia quasi desperáverant, visis eius sanitátis indíciis miraréntur. Hoc insígne miráculum multis usque hódie téstibus manéntibus Magíster Domínicus póstmodum publicávit. Et cum aliquándo plúribus in collatióne recitáret Parísiis, ego ipse præsens intérfui.

Igitur magíster Reginaldus sanitáte recépta, cœpit mox prædicatióni totus insístere et ignítum erat elóquium eius veheménter. Tota tunc fervébat Bonónia quia novus insurrexísse videbátur Elías. In diébus illis multos Bononiénses recépit ad Ordinem et número discipulórum cœpit excréscere et plures ádditi sunt ad eos.

Venit deínde sanctæ memóriæ frater Reginaldus Parísios et indefésso mentis fervóre Christum Iesum et hunc crucifíxum verbo prædicábat et ópere. Sed cito de terra sústulit eum Deus et consummátus in brevi explévit témpora multa.

Frater Matthæus qui ipsum in sæculo gloriósum delicatúmque cognóverat aliquótiens velut admírans requisívit ab eo: « Estne vobis magíster tædium hunc hábitum assumpsísse? ». At ille vultu submísso respóndit: « Nihil in hoc Ordine meréri me réputo, quia nimis in eo mihi semper complácui ».

RESPONSORIUM Cf. Eph 4, 1. 3-4

℟. Obsecro vos in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne, qua vocáti estis, * Sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis.

℣. Unum corpus et unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. * Sollíciti.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Benedíctus Dóminus qui Matrem misericórdiæ servo suo Reginaldo misit ad ungéndos pedes eius in præparatiónem Evangélii pacis.

Vel, præsertim in cantu: Omnes sitiéntes, veníte ad aquas, quærite Dóminum, dum inveníri potest, allelúia.

Oratio

Deus, qui Beáto Reginaldo presbýtero, Matre misericórdiæ auxiliánte, in via paupertátis evangélicæ incédere et álios dedúcere tribuísti, eius intercessióne, gressus nostros dírige secúndum elóquium tuum, ut viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Semen est verbum Dei, sator autem Christus; omnis qui audit eum, manébit in ætérnum.

Vel, præsertim in cantu: Stant in conspéctu Dómini in exsultatióne, quos Ordo hic exércuit multíplici agóne.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 13 februarii

B. IORDANI DE SAXONIA, PRESBYTERI

Memoria obligatoria

Exeunte sæculo XII Botergæ [Burgberg] in Westphalia natus, Parisiis a B. Reginaldo habitum Ordinis accepit die 12 februarii 1220. Primus in regimine Ordinis successor fuit S. P. Dominici, quo familiariter usus est. Per annos quindecim fratribus et sororibus verbo, exemplis, litteris, constitutionum redactione, crebris visitationibus, singulari mansuetudine providit vitæque honestate ac mira facundiæ copia Ordinem summopere dilatavit. Fiduciali flagrans in Deiparam Virginem pietate, in eius honorem antiphonam *Salve Regina* post Completorium canendam decrevit. A Provincia Terræ Sanctæ, quam invisendi causa petierat, rediens naufragio obiit die 13 februarii 1237. A fratribus et a christifidelibus exinde a morte variisque modis fuit celebratus et a Leone XII die 10 maii 1826 eius cultus confirmatus.

De Communi pastorum (LH III, 1437), vel sanctorum virorum: pro religiosis (1539), præter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

E Libéllo de princípiis Ordinis Prædicatórum beáti Iordáni de Saxónia presbýteri

(Nn. 69, 75, 86-88, 110, 120: MOPH 16, Romæ 1935, pp. 57, 60, 66-67, 77, 81)

Veterem hominem exuentes novum induimus

Fratre Reginálde felícis recordatiónis veniénte Parísios et strénue prædicánte, ego divína prævéntus grátia concépi et vovi intra memetípsum Ordinem istum assúmere, árbitrans secúram me reperísse salútis sémitam, qualem et ante fratrum cognitiónem in ánimo meo sæpe deliberándo concéperam. Firmáto ígitur cordis mei propósito laboráre cœpi tota sollicitúdine, quáliter sócium et amícum ánimæ meæ pari mecum voto pertráherem, videns eum natúra

simul et gratúita dispositióne ad ministérium prædicatiónis perútilem. Renuébat ipse et ego magis instáre non désii.

Veniénte die, quo cínerum impositióne suæ fidéles admonéntur oríginis et reversiónis in cínerem, disposúimus et nos cóngruo ad pæniténdum exórdio, quod Dómino voverámus, implére, ignorántibus tamen adhuc sóciis eiúsdem nobíscum hospítii. Unde cum frater Henrícus egrederétur hospítio et unus sociórum requíreret: « Dómine Henríce, quo itis? », « Vado, *inquit*, in Bethániam ». Quod verbum ille non tunc quidem, sed facti póstmodum explicatióne, quid sibi volúerit, intelléxit, cum ipsum Bethániam, quod est interpretátum domus obœdiéntiæ, vidéret ingréssum. Conveniéntes ígitur nos tres ad Sanctum Iacóbum, frátribus iam decantántibus: *Immutémur hábitu*, nos in médium eórum improvíse quidem sed opportúne advénimus, confestim véterem hóminem exuéntes ibídem novum indúimus, ut, quod illi voce psallébant, in nobis ópere complerétur.

Anno Dómini millésimo ducentésimo vicésimo, primum Capítulum generále huius Ordinis Bonóniæ celebrátum est, cui ipse ego intérfui, missus de Parísiis cum tribus frátribus, eo quod Magíster Domínicus mandásset per lítteras suas, quáttuor fratres de eádem domo Parisiénsi ad Bononiénse capítulum sibi mitti. Sed cum mítterer necdum adhuc duos menses in Ordine perégeram. In eódem capítulo de commúni fratrum consénsu statútum est, generále capítulum uno anno Bonóniæ, áltero vero Parísiis celebrári, ita tamen ut próximum futúro anno apud Bonóniam agerétur.

Anno Dómini millésimo ducentésimo vicésimo primo, in Bononiénsi generáli Capítulo visum est eis, mihi offícium priorátus super Provínciam Lombardíæ primum impónere, cum anni spátium peregíssem in Ordine, nondum fixis quantum oportúerat in altum

radícibus, ut regéndis áliis præfícerer ante quam meam imperfectiónem régere didicíssem. Huic ergo capítulo mínime præsens intérfui.

[Post mortem Magístri Domínici erat quidam frater Bernárdus Bononiénsis, qui obséssus acérrimo cruciabátur dæmónio in tantum, ut die noctúque fúriis exagitarétur horréndis et supra modum omne fratrum exturbáret collégium; quam tribulatiónem haud dúbium operándæ patiéntiæ servórum suórum misericórdia divína províderat.

Huius prædícti fratris Bernárdi tam fera vexátio prima fuit occásio, qua permóti antíphonam *Salve Regina* post Completórium decantándam institúimus apud Bonóniam; qua de domo éadem per omnem póstmodum cœpit Lombardíæ frequentári Provínciam, et sic demum in univérsum Ordinem hæc pia salutáris inváluit consuetúdo. Rétulit mihi vir quidam religiósus et fide dignus frequénter se vidísse in spíritu, dum fratres cánerent *Eia ergo advocáta nostra,* ipsam Matrem Dómini ante Fílii sui prostérni præséntiam et pro totíus Ordinis conservatióne precári. Quod idcírco commemorátum sit, ut legéntium fratrum devótio magis iam deínceps in laudem Vírginis animétur!]

RESPONSORIUM 1 Cor 1, 17-18. 21

℟. Misit me Christus evangelizáre, non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. * Verbum enim crucis, pereúntibus quidem stultítia est, iis autem qui salvi fiunt, Dei virtus est.

℣. Quia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. * Verbum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. In ómnibus exhíbuit semetípsum sicut Dei minístrum, in labóribus, in vigíliis, in ieiúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in caritáte non ficta.

Vel, præsertim in cantu: Quærite primum regnum Dei, et iustítiam eius, et hæc ómnia adiciéntur vobis.

Oratio

Deus, qui Beátum Iordánum presbýterum fecísti animárum zelo et ampliándæ grátia religiónis insígnem, da nobis, eius méritis et exémplis, viam salútis fidéliter nuntiáre et in eódem spíritu vívere ut regnum Christi iúgiter dilatáre possímus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Loquebátur et annuntiábat Dóminum Iesum et erat manus Dómini cum eo.

Vel, præsertim in cantu: Sapiéntiam eius enarrábunt gentes, et laudem eius enuntiábit ecclésia.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 16 februarii

B. NICOLAI PAGLIA, PRESBYTERI

Exeunte sæculo XII Iuvenatii [Giovinazzo] in Italia natus est. Bononiæ studiorum causa degens, perfectionis desiderio exarsit, prædicatione audita S. Dominici, a quo habitum et munus prædicationis accepit. Eiusdem beati Patris comes assiduus effectus in apostolicis peregrinationibus, tanti magistri zelum et spiritum æmulans et ipse « gratiosissimus prædicator » exstitit. Probitate et suavitate conspicuus, de Sacræ Scripturæ studio eiusdemque concordantiarum opere parando optime meritus, obiit Perusiæ anno 1256. Leo XII die 26 martii 1828 cultum illi præstitum confirmavit.

De Communi pastorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Spíritum nobis, Dómine, Beáti Nicolái, benígnus infúnde, ut, sicut illum in prædicatióne verbi tui et proximórum salúte procuránda singulári grátia decorásti, ipsíus précibus fácias nos in eádem vocatióne sancta fírmiter permanére. Per Dóminum.

Die 19 februarii

B. ALVARI DE CORDOBA, PRESBYTERI

Zamoræ in Hispania natus circa medietatem sæculi XIV, habitum Fratrum Prædicatorum induit anno 1368. Hispaniam Italiamque peragravit prædicationis causa. Cœnobium « Scalæ cæli » apud Cordubam condidit in quo vitam regularis observantiæ impensa activitate promovit. In prædicatione fervidus, in dominicæ Passionis contemplatione assiduus, pium « Viæ Crucis » exercitium in Occidente diffudit. Obiit die 19 februarii circa annum 1430. Benedictus XIV die 22 septembris 1741 ipsius cultum approbavit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Alvárum caritátis et pæniténtiæ donis decorásti, præsta ut, eius intercessióne et exémplo, semper Christi mortificatiónem in córpore et tui amórem in corde gerámus. Per Dóminum.

Die 20 februarii

B. CHRISTOPHORI DE MILANO, PRESBYTERI

Anno circa 1410 Mediolani natus, Ordinem ingressus, prædicationi itineranti se totum dedit Vincentii Ferrer exemplum sequens. Vitæ austeritate, arctaque cum Christi unione et animarum zelo præclarus, meruit ut antiqua chronica de illo scriberet: « Christophorus vere fuit quia tulit Christum non solum nomine sed corde et etiam labiis ». Novitiorum

magister, pro ipsis quædam scripsit *De servitute Dei*. Mortuus est Tabiæ [Taggia] mense martio 1484. Cultus exinde a morte illi tributus, a Pio IX die 3 aprilis 1875 confirmatus fuit.

De Communi pastorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Christóphorum fidélem Verbi tui in pópulis præcónem eiúsque grátiæ sédulum minístrum effecísti, concéde quæsumus, ut, illíus méritis et imitatióne, Christum tota mentis intentióne et cordis afféctu portáre valeámus. Qui tecum.

Die 24 februarii

B. CONSTANTII DE FABRIANO, PRESBYTERI

Ortus Fabriani, in Italia, ineunte sæculo XV, ex humili familia, adulescens 15 annorum Ordinem amplexus est. Assiduo orationis, austeritatis vitæ et promovendæ pacis studio prænitens, unus fuit ex validissimis regularis observantiæ instaurandæ apostolis, tunc a S. Antonino de Florentia promotæ munere prioris Fabriani, Perusiæ, Asculis fungens. Asculis in Picenis obiit die 24 februarii 1481 et eius cultus a Pio VII die 22 septembris 1821 Officio et Missa decoratus est.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Constántium presbýterum, assíduæ oratiónis et promovéndæ pacis stúdio, in pópulis gloriósum effecísti, eius nobis intercessióne concéde ut, per iustítiæ sémitas incedéntes, pacem et glóriam assequámur ætérnam. Per Dóminum.

MARTIUS

Die 24 martii

IN VIGILIA ANNUNTIATIONIS DOMINI

Hodie, iuxta antiquam Ordinis traditionem, apud communitates nostras speciale « Capitulum » haberi potest, ad sollemniter efferendum Incarnationis nuntium omnibus Fratribus conventus, in spiritu fidei et caritatis ad hoc coadunatis.

Hæc celebratio ordinari potest vel sub forma autonoma « Capituli sollemnis », iuxta consuetudines nostras convenienter aptatas, vel componi cum aliqua Officii parte, attenta indole ipsius celebrationis.

In hoc ritu, una cum lectione vel cantu Evangelii (Io 1, 1-14) inter alia utiliter adhiberi possunt: recitatio appropriata quorundam psalmorum; responsoria Descéndit de cælis Deus verus et Confirmátum est cor Vírginis, 115 et 113; antiphonæ Quando advénit (LH II, 1311), Hæc est dies vel O Rex, ut infra, 117 et 681, iuxta thema « Sacramentum reconciliationis nostræ » (LH II, 1316).

Expedit ut tota actio liturgica brevi monitione introducatur et congrua homilia (cf. IGMR, nn. 41-42; IGLH, n. 47) habeatur, vel statim post ipsum sollemnem Incarnationis nuntium, vel post lectionem Evangelii, iuxta diversorum locorum consuetudinem.

Die 25 martii

IN ANNUNTIATIONE DOMINI

Sollemnitas

Omnia ut in Liturgia Horarum (II, 1306). Pro opportunitate, præsertim in cantu, adhiberi etiam possunt sequentia elementa ex nostris Libris liturgicis desumpta.

Ad I Vesperas

Adhiberi potest loco responsorii brevis:

RESPONSORIUM PROLIXUM Cf. Lc 1, 34-35

Tempore Quadragesimæ:

℟. Quómodo fiet istud, respóndens ait María, quia virum non cognósco? Angelus ad hæc: * Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

℣. Ideóque quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. * Spíritus Sanctus. [Glória Patri. Et virtus.] [AG 746]

Tempore paschali:

℟. Quómodo fiet istud, respóndens ait María, quia virum non cognósco? Angelus ad hæc: * Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi, Allelúia.

℣. Ideóque quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. * Spíritus Sanctus. [Glória Patri. Allelúia.] [AG 746]

Ad Magnificat, ant. Oriétur sicut sol Salvátor mundi, et descéndet in úterum Vírginis sicut imber super gramen (T.P. allelúia, allelúia, allelúia). [AG 748]

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA [***]

Ex Oratiónibus sanctæ Catharínæ Senénsis vírginis

(Oratio XI, in die Annuntiationis 1379:
ed. G. Cavallini, Roma 1978, pp. 123-129)

Pulsat Deus ad ianuam voluntatis Mariæ

Tu, o María, facta es liber in quo descrípta est régula nostra. In te enim hódie descrípta est sapiéntia Patris, in te hódie osténditur dígnitas, fortitúdo et libértas hóminis.

Si ego considéro magnum consílium tuum, o Trínitas ætérna, ídeo quod in lúmine tuo vidísti dignitátem et nobilitátem generatiónis humánæ; unde, sicut amor coégit te ad producéndum hóminem de te, ita idem amor te coégit ad rediméndum iam véndditum et pérditum. Bene ostendísti te dilígere hóminem étiam ántequam esset, cum voluísti tráhere ipsum de te solo ipso amóre te inducénte; sed máximum amórem erga eum demonstrásti cum póstea teípsum dedísti ei, includéndo te hódie in vili sácculo humanitátis ipsíus. Et quid plus dare póteras ei quam teípsum? Unde vere dícere potes ei: « Quid tibi débui, immo quid pótui tibi fácere quod non fécerim? ».

Sic ergo vídeo quod quidquid in illo magno tuo consílio vidit sapiéntia tua ætérna debére fíeri pro salúte humáni géneris, hoc cleméntia tua ineffábilis vóluit fácere, et poténtia tua hódie adimplévit.

Quid ergo fecísti? quid deliberásti sapiéntia tua ætérna et incomprehensíbili ut et veritátem tuam impléres, et fáceres misericórdiam et tantum satisfáceres iustítiæ tuæ? quale remédium dedísti nobis? O ecce aptum remédium: disposuísti enim dare nobis Unigénitum Verbum tuum ita ut, assuméndo massam humanitátis nostræ quæ te offénderat, ipsa póstea patiénte inde satisfíeret iustítiæ tuæ, non virtúte humanitátis, sed virtúte divinitátis unítæ in ipsa humanitáte. Et sic satisfécit iustítiæ ipse homo qui peccáverat, et véritas tua implétur misericórdia tua dante hómini Unigénitum tuum, per quem homo posset de culpa liberári tibi satisfaciéndo virtúte divinitátis eius.

O María, ego vídeo hoc Verbum datum tibi esse

in te, et tamen non separátur a Patre, sicut verbum mentále hóminis quod, licet proferátur extérius et áliis communicétur, non tamen recédit vel separátur a corde. Ex his ergo osténditur dígnitas hóminis, pro quo tu Deus tanta et tot es operátus.

Osténditur étiam hódie in te, María, fortitúdo et libértas hóminis, post deliberatiónem namque tanti consílii míttitur ángelus ad te et adnúntiat tibi mystérium consílii divíni, requírens voluntátem tuam, neque enim ante descéndit in úterum Dei Fílius quam præbéres assénsum voluntátis tuæ. Exspectábat ad iánuam tuæ voluntátis ut aperíres ei volénti veníre in te, numquam intratúrus nisi iánuam aperíres dicéndo: *Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.* Pulsábat, o María, ad iánuam tuam Déitas ætérna, sed si non aperuísses óstium voluntátis tuæ non assumpsísset Deus carnem humánam.

Erubésce, o ánima mea: vides enim quod Deus hódie contráxit et fecit parentélam cum María. Hódie osténsum est tibi quod, licet facta sis sine te, tamen sine te non salváberis.

O María, dulcíssime amor meus, in te descríptum est Verbum a quo habémus doctrínam vitæ; tu es tábula in qua descríptum est, et pórrigis nobis illam doctrínam.

RESPONSORIUM Cf. Ps 44, 3

℟. Confirmátum est cor Vírginis, in quo divína mystéria Angelo nuntiánte concépit; tunc speciósum forma præ fíliis hóminum castis suscépit viscéribus: * Et benedícta in ætérnum, Deus nobis prótulit et hóminem (T.P. allelúia).

℣. Domus pudíci péctoris templum repénte fit Dei, intácta nésciens virum, verbo concépit Fílium. * Et benedícta. [AJ I 220]

Vel alia:

Ex Constitutióne dogmática *Lumen géntium* Concílii Œcuménici Vaticáni secúndi de Ecclésia

(Nn. 56-59: AAS 57, 1965, pp. 60-62)

Virginis Matris cum Filio in opere salutari coniunctio

Singuláris prorsus sanctitátis splendóribus a primo instánte suæ conceptiónis ditáta, Nazarethána Virgo ab Angelo nuntiánte, Dei mandáto, ut *grátia plena* salutátur, et cælésti núntio ipsa respóndet: *Ecce Ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.* Ita María fília Adam, verbo divíno conséntiens, facta est Mater Iesu, ac salvíficam voluntátem Dei, pleno corde et nullo retardáta peccáto, compléctens, semetípsam ut Dómini ancíllam persónæ et óperi Fílii sui totáliter devóvit, sub Ipso et cum Ipso, omnipoténtis Dei grátia, mystério redemptiónis insérviens. Mérito ígitur Sancti Patres Maríam non mere passíve a Deo adhíbitam, sed líbera fide et obœdiéntia humánæ salúti cooperántem censent. Ipsa enim, ut ait sanctus Irenæus « obœdiens et sibi et univérso géneri humáno causa facta est salútis ».

Hæc autem Matris cum Fílio in ópere salutári coniúnctio a témpore virginális conceptiónis Christi ad eius usque mortem manifestátur; in primis quidem cum María, exsúrgens cum festinatióne ad visitándam Elísabeth, ab ea ob fidem suam in salútem promíssam beáta salutátur et præcúrsor in sinu matris exsultávit; in nativitáte vero, cum Deípara Fílium suum primogénitum, qui virginálem eius integritátem non mínuit sed sacrávit, pastóribus et Magis lætabúnda osténdit. Cum autem eum in templo, dono páuperum obláto, Dómino præsentávit, audívit Simeónem simul prænuntiántem Fílium futúrum contradictiónis signum et matris ánimam gládium pertransitúrum, ut revelaréntur ex multis córdibus cogitatiónes. Púerum Iesum depérditum ac cum dolóre quæsítum, paréntes eius in templo in-

venérunt in his quæ Patris eius erant occupátum; verbúmque Fílii non intellexérunt. Mater vero eius ómnia hæc in corde suo meditabúnda conservábat.

In vita pública Iesu, Mater eius signánter appáret, in inítio quidem, cum ad núptias in Cana Galilææ, misericórdia permóta, inítium signórum Iesu Messíæ intercessióne sua indúxit. In decúrsu prædicatiónis eius suscépit verba, quibus Fílius, Regnum ultra ratiónes et víncula carnis et sánguinis extóllens, audiéntes et custodiéntes verbum Dei, sicut ipsa fidéliter faciébat, beátos proclamávit. Ita étiam Beáta Virgo in peregrinatióne fídei procéssit, suámque uniónem cum Fílio fidéliter sustínuit usque ad crucem, ubi non sine divíno consílio stetit, veheménter cum Unigénito suo condóluit et sacrifício eius se matérno ánimo sociávit, víctimæ de se génitæ immolatióni amánter conséntiens; ac demum ab eódem Christo Iesu in cruce moriénte uti mater discípulo, hisce verbis data est: Múlier, ecce fílius tuus.

Cum vero Deo placúerit humánæ salútis sacraméntum non ante sollémniter manifestáre quam promíssum a Christo Spíritum effúnderet, Apóstolos vidémus ante diem Pentecóstes *perseveránte unanímiter in oratióne cum muliéribus et María Matre Iesu et frátribus eius*, Maríam quoque précibus suis implorántem donum Spíritus, qui in Annuntiatióne ipsam iam obumbráverat. Dénique Immaculáta Virgo, ab omni originális culpæ labe præserváta immúnis, expléto terréstris vitæ cursu, córpore et ánima ad cæléstem glóriam assúmpta est, ac tamquam universórum Regína a Dómino exaltáta, ut plénius conformarétur Fílio suo, Dómino dominántium ac peccáti mortísque victóri.

RESPONSORIUM Cf. Ps 18, 6b

℟. Descéndit de cælis Deus verus a Patre génitus: introívit in úterum Vírginis, nobis ut apparéret visíbilis, indútus carne humána a protoparénte édita,

et exívit per clausam portam, Deus et homo, * Lux et vita, Cónditor mundi (T.P. allelúia).

℣. Tamquam sponsus Dóminus procédens de thálamo suo. * Lux et vita. [MG 32]

Vel alia:

Ex Epístolis sancti Leónis Magni papæ
(Epist. 28 ad Flavianum, 34: PL 54, 763-767)

Sacramentum reconciliationis nostræ [LH II 1316]

Ad Officium vigiliæ

Ad cantica, ant. Lætámini cum Ierúsalem, et exsultáte in ea omnes qui dilígitis eam, in ætérnum (T.P. allelúia). [AG 323]

Hymnus Te Deum.

Oratio

Deus, qui Verbum tuum in útero Vírginis Maríæ veritátem carnis humánæ suscípere voluísti, concéde, quǽsumus, ut, qui Redemptórem nostrum Deum et hóminem confitémur, ipsíus étiam divínæ natúræ mereámur esse confórmes. Per Dóminum.

Ad II Vesperas

Adhiberi potest loco responsorii brevis:

Responsorium prolixum Is 11, 1. 5. 2

Tempore Quadragesimæ:

℟. Egrediétur virga de radíce Iesse, et flos de radíce eius ascéndet * Et erit iustítia cíngulum lumbórum eius: Et fides cinctórium renum eius.

℣. Et requiéscet super eum spíritus Dómini: spíritus sapiéntiæ et intelléctus, * Et erit iustítia. [Glória Patri. Et fides.] [AJ I 619]

Tempore paschali:

℟. Egrediétur virga de radíce Iesse, et flos de radíce eius ascéndet * Et erit iustítia cíngulum lumbórum eius: et fides cinctórium renum eius, allelúia.

℣. Et requiéscet super eum spíritus Dómini: spíritus sapiéntiæ et intelléctus. * Et erit iustítia. [Glória Patri. Allelúia.] [AJ I 619]

Ad Magnificat, ant. Hæc est dies, quam fecit Dóminus: hódie Dóminus afflictiónem pópuli sui respéxit, et redemptiónem misit: hódie mortem, quam fémina íntulit, fémina fugávit: hódie Deus homo factus id quod fuit permánsit et quod non erat assúmpsit. Ergo exórdium nostræ redemptiónis devóte recolámus, et exsultémus dicéntes: Glória tibi, Dómine (T.P. allelúia, allelúia). [AG 751]

APRILIS

Die 5 aprilis

S. VINCENTII FERRER, PRESBYTERI

Memoria obligatoria

Valentiæ in Hispania anno 1350 ortus est. Adulescens 17 annorum, Ordinem ingressus, spiritualis vitæ austeram induit disciplinam, cuius pulchrum testimonium reliquit in tractatu *De vita spiritali* inscripto. In tradendis philosophicis ac theologicis disciplinis prius incubuit, pluribus quoque interiectis officiis (annis 1380-1390) de mandato cardinalis legati Petri de Luna et Ioannis I regis Aragonensis, pro civilibus et ecclesiasticis negotiis componendis. Interim prædicationi quoque deditus fuit, primum apud papam Avenionensem deinde in meridiana Galliæ regione et in Italia, usque ad annum 1399, cum ad ministerium prædicationis itinerantis se totum mancipavit, tamquam « legatus a latere Christi » ex peculiari ab illo suscepta missione ut ipse testatur in epistola ad antipapam Benedictum XIII.

De pace et unitate Ecclesiæ, tunc schismate dilaniatæ, valde sollicitus, dimisso antipapa — quem prius bona fide secutus fuerat — impense adlaboravit. Spiritus Sancti donis perfusus atque apostolicis munitus facultatibus, totas fere regiones Europæ occidentalis peragravit, magnus charismaticus prædicator effectus, cum ingenti animarum fructu. Obiit in Gallia [Vannes] die 5 aprilis 1419. Die 29 iunii 1455 a Callisto III inter sanctos annumeratus fuit.

De Communi pastorum (LH II, 1564) vel sanctorum virorum: pro religiosis (1673), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Christum ventúrum Dóminum, veníte, adorémus (T.P. allelúia).

Vel: Salvatórem nostrum adorémus Christum, quem Vincéntius prædicávit ventúrum (T.P. allelúia).

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Textus congruus, vel Mente iucúnda, ut ad Laudes matutinas, 127.

PSALMODIA

Sicubi gradu festi celebratur:

Ant. 1 Festíva vox psalléntium colláudet Regem glóriæ qui cum sanctis Vincéntium glorificávit hódie (T.P. allelúia).

Psalmi de Communi pastorum (LH II, 1566).

Ant. 2 Christi sequens vestígia et patris sui Domínici, purgávit mundi vítia, dono verbi salvífici (T.P. allelúia).

Ant. 3 In Christum semper rétulit quidquid fecit dum víveret: se a terrénis ábstulit, ut cælum tandem scánderet (T.P. allelúia).

℣. Díriget Dóminus mansuétos in iudício (T.P. allelúia).

℟. Docébit mites vias suas (T.P. allelúia).

LECTIO PRIOR

De Epístola secúnda beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 5, 10-21

Ministerium reconciliationis

Fratres: Omnes nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque pro eis quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum.

Sciéntes ergo timórem Dómini homínibus suadémus, Deo autem manifésti sumus; spero autem et in consciéntiis vestris maniféstos nos esse. Non íterum nos commendámus vobis, sed occasiónem damus vobis gloriándi pro nobis, ut habeátis ad eos, qui in fácie gloriántur et non in corde. Sive enim mente excédimus, Deo; sive sóbrii sumus, vobis.

Cáritas enim Christi urget nos, æstimántes hoc quóniam, si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt; et pro ómnibus mórtuus est, ut et, qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit. Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secúndum carnem; et si cognóvimus secúndum carnem Christum, sed nunc iam non nóvimus. Si quis ergo in Christo, nova creatúra; vétera transiérunt, ecce, facta sunt nova.

Omnia autem ex Deo qui reconciliávit nos sibi per Christum et dedit nobis ministérium reconciliatiónis, quóniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non réputans illis delícta ipsórum, et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur tamquam Deo exhortánte per nos: obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo. Eum, qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit, ut nos efficerémur iustítia Dei in ipso.

RESPONSORIUM 2 Cor 5, 10; Mt 25, 31

℟. Omnes nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, * Ut réferat unusquísque pro eis quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum (T.P. allelúia).

℣. Cum vénerit Fílius hóminis in glória sua, et omnes ángeli cum eo, tunc sedébit super thronum glóriæ suæ. * Ut réferat.

LECTIO ALTERA [***]

Tempore Quadragesimæ:

E Sermónibus sancti Vincéntii Ferrer presbýteri

(Sermo I de Cruce, Festivale, Sermo 44, Ed. Ehrard, 1729, pp. 145 sqq.)

De triplici Crucis gloria

Mihi autem absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi. Verbum istud habétur textuáliter ad Gálatas. De hoc étiam sermo noster. De primo

pertractándo verbo in persóna Christi in cruce patiéntis dicit ipse Christus: *Mihi absit.* Invenítur enim clare in Sacra Scriptúra, quod Christus multóties fuit in perículo mortis inter Iudæos, et diversímode fuit ei mors intentáta, sed nullus álius modus moriéndi plácuit illi nisi in cruce, álios modos moriéndi vitávit fugiéndo vel áliter. Primo quidem fuit in perículo moriéndi statim quando fuit natus. Tunc enim regébat Heródes alienígena, qui favóre Imperatóris Románi obtínuit régimen Iudæórum, qui áudiens nativitátem regis Iudæórum a régibus Oriéntis, et locum nativitátis a rabínis Iudæórum, vóluit ipsum occídere, propter quod misit hómines armórum, ut occíderent omnes púeros civitátis Béthleem, et eius attinéntiæ, et ita factum est. Sed Angelus Dómini appáruit Ioseph dicens, ut fúgeret in Ægýptum cum púero et matre eius. Et sic evásit Christus. Et fuit compléta prophetía Iob: *Púeros percussérunt gládio, et evási ego solus.*

Secúndo Christus fuit in perículo moriéndi præcipitátus, ut recitátur Lucas. Christus enim natus fuit in civitáte Béthleem et fuit nutrítus in civitáte Názareth. Ideo dícitur Iesus de Názareth. Et cœpit prædicáre et mirácula fácere in civitáte Caphárnaum. Tunc Iudæi dixérunt: *Quanta audívimus de te facta in Caphárnaum, fac et hic in pátria tua.* Respóndit eis Christus in senténtia quod non merebántur, quia non credébant in eum, immo despiciébant eum dicéndo: *Nonne hic est fílius fabri et illíus mulíeris Maríæ?* Et repléti sunt omnes ira, et surrexérunt, et eiecérunt eum extra civitátem, et duxérunt eum usque ad supercílium montis, super quem cívitas illa erat ædificáta, ut præcipitárent eum. Ipse vero réddidit se invisíbilem eis, qui dicébant perquiréndo eum, et ubi est? *Iesus autem tránsiens per médium illórum ibat.* Quare nóluit sic mori? Quia si voluísset, per istam mortem étiam salvásset totum mundum. Rátio, quare nóluit sic mori, ut

daret nobis instructiónem. Tértio fuit in perículo moriéndi lapidátus, ut narrátur a Ioánne Evangelísta. Cum enim Christus prædicáret Iudæis de sua civitáte dicens: *Amen, amen dico vobis, si quis sermónem meum serváverit, mortem non vidébit in ætérnum.*

Tandem fuit in perículo moriéndi per crucem, seu crucifíxus. Sed iste modus moriéndi plácuit illi et acceptávit. Vidéntes Iudæi, quod non póterant ipsum occídere præcipitátum, lapidátum, nec potionátum, dixérunt: « Moriátur crucifíxus, vel crucifigátur », et paravérunt crucem. Et tunc Christus prædicábat in illa província Galiléæ, et sciens, quod iam Iudæi paráverant crucem, ait discípulis suis: *Ecce ascéndimus Ierosólymam, et fílius hóminis tradétur princípibus sacerdótum, et scribis, et condemnábunt eum morte.* Ita ut non violénter, sed grátia vénerit ad mortem crucis, et data senténtia a Piláto, non appellávit, nec se excusávit, sed dicit Ioánnes quod *báiulans sibi crucem, exívit in eum, qui dícitur calváriæ locum.*

Quare iste modus moriéndi præ áliis plácuit illi? Respóndeo, iam scitis, quod totum malum tam animárum, ut peccátum ignorántiæ, inclinatiónes malæ, quam étiam córporum, ut infirmitátes, dolóres, labóres, et fináliter mors, totum venit ex peccáto Adæ et Evæ, quia peccátum venit ex receptióne illíus fructus vétiti. Christus ergo venit ad reparándum ómnia mala tam animárum quam córporum. Ipse enim est ille fructus, de quo dícitur vírgini Maríæ: *Benedíctus fructus ventris tui,* revérsus est fructus ad árborem; quare dicunt históriæ Græcórum antíquæ, quod arbor crucis erat de íllomet ligno, de quo Adam recépit fructum. Ideo quando Christus fuit in árbore crucis, tunc fructus fuit in árborem restitútus, et reparávit ómnia mala, quæ ex peccáto Adæ fuérunt secúta servándo órdinem, quia sicut mala ánimæ venérunt primo, deínde mala córporis.

Sic Christus reparándo, primo reparávit mala animárum, dando remédia per baptísmum, ex quo remittúntur ómnia peccáta, et reparávit sciéntiam, denunciándo nobis glóriam paradísi. Quando autem redíbit cito et bene cito ad iudícium generále, tunc reparábit mala córporum, quia tunc resurgémus impassíbiles et immortáles. Ecce ratiónem, quare vóluit mori in cruce.

RESPONSORIUM

℟. Christi viam secútus árduam, a terrénis procul illécebris, veritátem reddit conspícuam, profligátis errórum ténebris: * Oram illúminat occíduam, toto factus in orbe célebris.

℣. Cuius doctrína sole grátior, sermo erat flammis ardéntior. * Oram illúminat.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Clama in fortitúdine, ut in Appendice, 654.

Tempore paschali:

Lectio quæ sequitur, brevitatis gratia, membratim legi potest, nempe una [A] vel alia [B] ex duabus sectis partibus, sub unica conclusiva sectione [C].

Epístola sancti Vincéntii Ferrer presbýteri ad Ioánnem de Puinoix Magístrum Ordinis Prædicatórum

(Ed. P. Fages, Notes et documents de l'histoire de saint Vincent Ferrier, Louvain-Paris 1905, pp. 109-111)

Vita apostolica fratris prædicatoris

Reverendíssime Magíster ac Pater, propter inæstimábiles me tenéntes occupatiónes non válui vestræ reveréntiæ scríbere ut decébat. Nam, ut verum fátear, ex quo recéssi de Románis usque nunc inclusíve, quotídie me opórtuit circumfluéntibus úndique pópulis prædicáre et frequentíssime bis in die; necnon et ter aliquándo; immo et Missam cum nota sollémniter celebráre; ita quod itineratióni, comestióni et

dormitióni, et áliis pertinéntiis vix mihi súperest tempus; quinímmo itinerándo opórtet me ordináre sermónes. Verúntamen ne forte mihi imputarétur in non scribéndo ad neglegéntiam, vel contémptum, extórsi mihi per quamplúres dies, septimánas et menses, áliquid témporis quotídie in tantis occupatiónibus, ut saltem scríberem vobis de via quam feci.

[A]

Nóverit ergo vestra Patérnitas reverendíssima, quod postquam recéssi de Románis ubi me último dimisístis, per tres menses contínuos fui adhuc in Delfinátu, prædicándo in circúitu verbum Dei per civitátes, castra et villas in quibus nondum fúeram, præcípue tamen visitávi tres illas famosíssimas valles hæreticórum in diœcési Ebredunénsi [Embrum], quarum una vocátur Luzérna [Lucerne], áltera Argentéia [L'Argentière], et tértia Vallis-puta. Iam ántea quidem visitáveram eas bis, vel ter, et cum devotióne et reveréntia magna per grátiam Dei suscéperant doctrínam cathólicæ veritátis; sed ad eórum confirmatiónem, et consolatiónem íterum vólui eos visitáre: quo perácto ad requæstas et rogámina multórum, tum verbo, tum scripto, transívi in Lombardíam, ubi contínue prædicávi per annum et mensem in cunctis civitátibus, villis et castris vestræ obediéntiæ et ultra, scílicet in domínio marchiónis montis Ferráti, et ad requæstas multas et rogámina sui et suórum. In pártibus autem illis ultramontánis quamplúres invéni valles hæreticórum tam Valdénsium, quam Gazariórum perversórum, præsértim in diœcési Taurinénsi, quas síngulas per órdinem visitávi omnes, prædicándo in unaquáque ipsárum fidem et doctrínam cathólicæ veritátis, cum improbatióne errórum ipsórum, et per Dei misericórdiam, ardentíssime, et cum magno devotiónis afféctu ac reveréntia veritatém fídei suscepérunt, Dómino quippe cooperánte et sermónem confirmánte.

Causam répperi in eis præcípuam hærésium et errórum, abséntiam prædicatiónum. Nam ut veráciter percépi ab íncolis illis, trigínta anni erant elápsi quod nullus eis prædicáverat, nisi Valdénses hærétici, qui ad eos ídeo consuetudinárie veniébant de Apuléa bis in anno. Ex quo consídera, Reverénde Magíster, quanta sit culpa prælatórum Ecclésiæ et aliórum, qui ex offício seu sua professióne habent tálibus prædicáre, et pótius volunt in magnis civitátibus et villis conquiéscere in pulchris cámeris, cum suis oblectaméntis. Interim vero ánimæ pro quibus salvándis Christus mórtuus est, péreunt ex defáctu pábuli spirituális, cum non sit qui párvulis frangat panem. Messis quidem multa, operárii autem pauci. Unde rogo Dóminum messis ut mittat operários in messem suam. (Sequitur [C]).

[B]

De epíscopo quodam hæreticórum quem invéni in quadam valle illárum, quæ dicitur Lufório, quómodo vóluit mecum conférre secréto, et convérsus est; item de Scholis Valdénsium, quas invéni in valle quæ dícitur Engróya [Val d'Angrogne] et eárum destructióne; item de Gázaris hæréticis in valle Pontis [Val di Pont] quómodo a suis abominatiónibus convérsi sunt; item de hæréticis vallis Lánzii [Val di Lanzo] álias Quinni, ad quos olim confúgerant interfectóres B. Petri mártyris [Petri de Ruffía], quáliter se habuérunt erga me; item de cessatióne pártium de Guelfis et Gibellínis; item de fœderatióne generáli in pártibus illis, et áliis innúmeris quæ Deus dignátus est operári ad glóriam suam et utilitátem animárum, táceo de præsénti. Sed in ómnibus benedíctus Deus.

Complétis autem trédecim ménsibus contínuis in Lombardía, intrávi Sabáudiam, iam sunt quinque menses elápsi: requisítus útique per prælátos, et dóminos pátriæ plúries; et cum magno afféctu visi-

távi iam hic diœcéses quáttuor, scílicet Sedunénsis [Syon], Augústi [Aosta], Tarrantásiæ [Tarentaise], Mauriáni [Maurienne] et Gratianópolis [Grenoble] quæ multum habent in Sabáudia, prædicándo in circúitu per civitátes et villas et castra eárum plus et minus, prout expédiens videbátur. Et sum modo in diœcési Gebennénsi [Genève].

Inter ália vero enórmia, invéni in pártibus istis unum errórem nimis dilatátum in festum sollémniter quólibet anno in crástino Córporis Christi, tenéndo confrátrias sub nómine sancti Oriéntis. Dixérunt mihi fratres nostri, et Minóres, et álii religiósi, et étiam Curáti quod non audébant iam prædicáre, vel áliquid dícere contra hunc errórem, timóre ducti, quia eis intentábant mortem, oblatiónes atque eleemósynas subtrahébant. Contra hunc errórem nunc principáliter insísto, prædicándo quotídie, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte, et efficáciter extirpátus est. Gentésque istæ veniéntes nunc dolent, audiéntes tantum se errásse in fide. Cum vero per Dei grátiam hic error fúerit pleníssime extirpátus, in brevi hábeo intráre Lausannénsem diœcésim ubi commúniter maniféste adórant Solem sicut Deum, máxime rústici, exhibéndo ei de mane suas oratiónes, reverénter et faciéndo. Nam ípsemet epíscopus Lausannénsis bene per duas aut per tres diétas, venit ad me humíliter, obsecrándo ex corde quod suam diœcésim visitárem, ubi sunt multæ valles hæreticórum in confínibus Alemánniæ et Sabáudiæ, quod et promísi. Audívi autem quod hærétici illárum vállium sunt nimis temerárii et audáces. Sed confídens de Dei misericórdia consuéta inténdo ibi esse, et per tempus instántis quadragésimæ prædicáre. Sicut fúerit autem volúntas in cælo, sic fiat. (Sequitur [C]).

[C]

Sócius meus Antónius, et ego simul cum eo humíliter nos commendámus vestræ reverendíssimæ Pa-

ternitáti, quam Vírginis Fílius indesinénter consérvet in exémplar et custódiam sanctæ observántiæ reguláris. Amen.

[Subscrípsi fináliter in civitáte Gebennénsi, die décima séptima decémbris anno millésimo quadringentésimo tértio de manu mea.

Inútilis servus Christi, humilísque fílius vester, Frater Vincéntius, prædicátor.]

RESPONSORIUM Cf. 1 Th 1, 9-10; 3, 12. 13

℟. Convérsi estis ad Deum, servíre Deo vivo et vero, et exspectáre Fílium eius de cælis, quem suscitávit ex mórtuis, * Qui erípuit nos ab ira ventúra, allelúia.

℣. Abundáre fáciat Dóminus caritátem vestram, ad confirmánda corda vestra in sanctitáte in advéntu Dómini. * Qui erípuit.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Clama in fortitúdine, ut in Appendice, 654.

¶ Tempore paschali, pro lectione altera uti poterit ipsius S. Vincentii sermo appropriatus, ut infra, 624.

Vel alia:

Ex Tractátu sancti Vincéntii Ferrer presbýteri
De vita spiritáli

(Cap. 13: ed. J.-M. de Garganta - V. Forcada, Madrid 1956, pp. 513-513)

De modo prædicandi

[LH II 1330]

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Mente iucúnda iúbilent fidéles,
vócibus hymnos résonent canéntes;
nam datus mundo novus est precátor
iúdicem ante.

Alme Vincénti, veneránda cuius
hæc dies totum cólitur per orbem
quas tibi cantat chorus hic fidélis,
áccipe laudes.

Rite mox annis téneris peráctis,
Prædicatórum sítiens adísti
Ordinem, servans documénta Patrum
mente pudíca.

Tactus e cælis óperam dedísti
lítteris sacris utriúsque legis,
quas docens verbo, fídei replésti
lúmine mundum.

Inde fervénter prope mundi finem
iúdicem Christum fore nuntiásti,
ut Deum gentes válide timérent
admonuísti.

Angelus alter pénitus fuísti
ille, qui cæli médium volábat,
núntians cunctis pópulis et linguis
iúdicis horam.

Summa sit Christo salus, et perénnis
glória Patri paritérque Sancto
Flámini, quorum sine fine virtus
regnat in orbe.

PSALMODIA

Antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus: Series A, prædicationem eschatologicam Sancti præcipue evocat; Series B, gregoriano cantu ornata, vitam et virtutes Sancti refert.

Sicubi gradu festi celebratur, hæ antiphonæ cum psalmodia de dominica hebd. I dicendæ sunt.

Antiphona 1

Ser. A Ecce véniet Rex excélsus cum potestáte magna ad salvándas gentes (T. P. allelúia).

Ser. B Erat vir evangélicus, Christi præco mirí-ficus; mentem constántem ténuit divíno dante Spíritu (T. P. allelúia).

Antiphona 2

Ser. A Erúmpant montes iucunditátem et colles iustítiam, quia lux mundi Dóminus cum poténtia venit (T. P. allelúia).

Ser. B Candens virgo divínitus, hostem pellit ab obséssis; cunctis vivens humánitus salútem reddit oppréssis (T. P. allelúia).

Antiphona 3

Ser. A In advéntu summi Regis mundéntur corda hóminum ut digne ambulémus in occúrsum illíus, quia ecce véniet et non tardábit (T. P. allelúia).

Ser. B Pérvigil Christi núntius, vocans ad lucis ópera, ad fruénda Vincéntius nos ducat vitæ múnera (T. P. allelúia).

LECTIO BREVIS Is 61, 1-2

Spíritus Dómini Dei super me, eo quod únxerit Dóminus me; ad annuntiándum læta mansuétis misit me, ut medérer contrístis corde et prædicárem captívis liberatiónem et clausis apertiónem; ut prædicárem annum placábilem Dómino et diem ultiónis Deo nostro, ut consolárer omnes lugéntes.

RESPONSORIUM BREVE

Tempore Quadragesimæ:

℟. Quærite Dóminum * Et confirmámini. Quærite.
℣. Quærite fáciem eius semper. * Et confirmámini. Glória Patri. Quærite.

Tempore paschali:

℟. Renovámini spíritu mentis vestræ * Allelúia, allelúia. Renovámini.
℣. In iustítia et sanctitáte veritátis. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Renovámini.

Ad Benedictus, ant. Diem novæ laudis et grátiæ ducat cœtus fidélium, quo Evangélii præco Vincéntius binæ sumpsit corónæ prǽmium (T. P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Vigiláte ánimo: in próximo est Dóminus Deus noster (T.P. allelúia).

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio

Deus, qui nos cæléstis pátriæ sémitam in exspectatióne Salvatóris curréndam, beáti Vincéntii prædicatióne docuísti, eius, quǽsumus, interventióne nobis concéde ut, in labóre ac dilectióne fervéntes, non hic manéntem civitátem sed futúram quærámus. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas.

Sicubi gradu festi celebratur:

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS 1 Th 3, 12-13

Abundáre et superabundáre vos fáciat Dóminus caritáte in ínvicem et in omnes, quemádmodum et nos in vos, ad confirmánda corda vestra sine queréla in sanctitáte ante Deum et Patrem nostrum, in advéntu Dómini nostri Iesu cum ómnibus sanctis eius. Amen.

℣. Vos estis in Christo Iesu (T. P. allelúia).

℟. Qui factus est nobis sapiéntia a Deo (T. P. allelúia).

Ad Sextam

LECTIO BREVIS 1 Cor 1, 7b-9

Exspectámus revelatiónem Dómini nostri Iesu Christi, qui et confirmábit vos usque ad finem sine crímine in die Dómini nostri Iesu Christi. Fidélis Deus, per quem vocáti estis in communiónem Fílii eius Iesu Christi Dómini nostri.

℣. Cum Christus apparúerit vita vestra (T.P. allelúia).

℟. Tunc et vos apparébitis cum ipso in glória (T.P. allelúia).

Ad Nonam

LECTIO BREVIS Iac 5, 7-8. 9b

Patiéntes estóte, fratres, usque ad advéntum Dómini. Ecce agrícola exspéctat pretiósum fructum terræ, patiénter ferens, donec accípiat imbrem temporáneum et serótinum. Patiéntes estóte et vos, confirmáte corda vestra, quóniam advéntus Dómini appropinquávit. Ecce iudex ante iánuam assístit.

℣. Vias tuas, Dómine, demónstra mihi (T. P. allelúia).

℟. Et sémitas tuas édoce me (T. P. allelúia).

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

HYMNUS

Textus congruus, vel Mente iucúnda, ut ad Laudes matutinas, 127.

PSALMODIA

Antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus. Pro celebratione in cantu, antiphonæ sumuntur ad libitum ex serie B ad Laudes matutinas, 129, cum psalmodia feriali.

Sicubi gradu festi celebratur, hæ antiphonæ cum psalmis et cantico de Communi pastorum dicendæ sunt (LH II, 1587).

Ant. 1 Evangélii factus sum miníster, secúndum donum grátiæ Dei (T. P. allelúia).

Ant. 2 Ecce dedi verba mea in ore tuo, et prophétam in géntibus dedi te (T. P. allelúia).

Ant. 3 Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífícent Patrem vestrum (T. P. allelúia).

LECTIO BREVIS 2 Petr 3, 10. 13-15a

Advéniet dies Dómini ut fur, in qua cæli magno ímpetu tránsient, eleménta vero calóre solvéntur et terra et ópera, quæ in ea inveniéntur. Novos vero cælos et terram novam secúndum promíssum ipsíus exspectámus, in quibus iustítia hábitat. Propter quod, caríssimi, hæc exspectántes satágite immaculáti et invioláti ei inveníri in pace et Dómini nostri longanimitátem salútem arbitrámini.

RESPONSORIUM BREVE

Tempore Quadragesimæ:

℟. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini. * Occúrrite ei cum exsultatióne. Annuntiáte.
℣. In ómnibus pópulis annuntiáte mirabília eius. * Occúrrite. Glória Patri. Annuntiáte.

Tempore paschali:

℟. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini. * Allelúia, allelúia.
℣. In ómnibus pópulis mirabília eius. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Annuntiáte.

Ad Magnificat, ant. Evangélii salútis mirífícus prædicátor, beátus Vincéntius, plenitúdinem vitæ in tuo occúrsu nuntiávit: ideo exsultámus in te Salvatórem nostrum (T. P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Adsit nobis propítius in huius vitæ véspere, ad Christum nos Vincéntius tuto ferens itínere (T.P. allelúia).

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio

Deus, qui beátum Vincéntium presbýterum minístrum prædicatiónis evangélicæ suscitásti, præsta quǽsumus ut, quem ventúrum iúdicem nuntiávit in terris, beáti videámus regnántem in cælis. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas.

Die 10 aprilis

B. ANTONII NEYROT, PRESBYTERI ET MARTYRIS

Rivulis in Subalpinis [Rivoli] in Italia, circa annum 1423 natus, Florentiæ in conventu S. Marci circa medietatem sæc. xv Ordinis habitum a S. Antonino accepit, in cuius disciplina aliquot annos vixit. Singularis audaciæ et vehementiæ vir, invisendi atque experiendi cupiditate exagitatus, a piratis quondam in pelago Siciliæ insulæ, quo obstinate se contulerat, captus est et in Africam [Tunisi] ductus (a. 1458). Ibi, tyrannide sensibusque devictus, apostata factus est et uxorem quoque duxit. Tandem divina gratia retractus episcopi Antonini pium obitum audiens, habitu religioso reassumpto, vitam sponte obtulit generoso martyrio, lapidibus obrutus, feria V in Cena Domini anno 1460. Clemens XIII eius cultum approbavit die 22 februarii 1767. Cuius corpus Rivulis colitur.

De Communi unius martyris, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Antónium ad lucem veritátis tuæ misericórditer revocátum, mártyrem exímium effecísti, præsta quǽsumus ut, eius edócti acérbis, nosmetípsos abnegántes, te iúgiter super ómnia diligámus. Per Dóminum.

Die 13 aprilis

B. MARGARITÆ DE CITTÀ DI CASTELLO, VIRGINIS

Orta est Tiferni Tiberini [Città di Castello] in Italia anno 1287. Cæca a nativitate et ab ipsis parentibus derelicta, uni Deo fiducialiter innixa sub Regula de Pænitentia Ordinis S. Dominici vivens, cunctis magni solatii fuit interius Christi lumine perfusa, cuius incarnationis mysterium impense coluit. Trigesimo tertio ætatis suæ anno die 13 aprilis 1320 mortua est. Eius Officium et Missa a Clemente X die 6 aprilis 1675 concessa sunt.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátam Margarítam lumínibus orbam, divíno lúmine intus perfudísti ut, illustráto cordis óculo, te solum contemplarétur, esto lumen oculórum nostrórum, quo mundi huius ténebris carére valeámus et ad pátriam claritátis ætérnæ perveniámus. Per Dóminum.

Die 14 aprilis

B. PETRI GONZALEZ, PRESBYTERI

Exeunte sæculo XII ad Palenciam in Hispania natus est. Decanatus honore ecclesiæ Palentinæ primum elatus, postea vero Dei gratia motus habitum Ordinis impetravit, tam humilis factus quam antea gloriæ cupidus. Spiritu fidei et orationis studio prænitens, in proximis iuvandis, miseris præsertim et in maris periculis victum quærentibus, summopere se impendit. Exinde nautarum patronus evasit atque vulgo « sanctus Telmus » appellatus est, ex sævissima maris procella sedata quorundam illorum invocatione. Obiit Tudæ [Tuy] die 14 aprilis anno 1246. Cultus ei ab immemorabili præstitus, die 13 decembris 1741, a Benedicto XIV confirmatus fuit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui in maris perículis constitútis Beáti Petri opem singulárem osténdis, eius nobis intercessióne concéde, ut in huius vitæ procéllis tuæ grátiæ lumen semper affúlgeat, quo ætérnæ salútis portum inveníre valeámus. Per Dóminum.

Die 17 aprilis

B. CLARÆ GAMBACORTA, RELIGIOSÆ

A Petro, viro pernobili ex Pisis, orta est Florentiæ vel Venetiis ubi familia exsulabatur anno 1362. Duodennis matrimonio iuncta, 15 annorum adulescens vidua effecta est. Carcere aliisque adversitatibus sibi a parentibus inflictis, eam a sancto proposito Deo se dicandi removere cupientibus, patienter superatis, tandem libertate donata, hortante S. Catharina Senensi, Ordinis habitum induit Pisis in monasterio S. Crucis. Vitam regularem magis austeram cupiens in novum monasterium S. Dominici, pro ea a patre conditum, se contulit ibique sororibus præfuit eximia prudentia et caritate, præcipue erga patris fratrumque suorum occisores. Studium coluit sororesque ut colerent hortabatur. Obiit die 17 aprilis anno 1419. Eius cultus confirmatus fuit die 24 aprilis 1830 a Pio VIII.

De Communi sanctarum mulierum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Tríbue nobis, miséricors Deus, spíritum oratiónis et pæniténtiæ, ut, Beátæ Claræ vestígiis inhæréntes, corónam quam ipsa in cælis accépit, obtinére mereámur. Per Dóminum.

Eodem die 17 aprilis

B. MARIÆ MANCINI, RELIGIOSÆ

Medietate sæculi XIV Pisis nata est. Bis vidua et omnibus orbata liberis, novam sub regula Ordinis, hortante S. Catharina Senensi, ingrediens viam, prius ut Soror de Pænitentia deinde in monasterio a B. Clara Gambacorta fundato, ut

monialis, divinæ contemplationi ac pœnitentiæ se totam devovit. Obiit die 22 ianuarii anni 1431. Pius IX cultum ab immemorabili ei tributum die 2 augusti 1855 confirmavit.

De Communi sanctarum mulierum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, grátiæ largítor et mæréntium consolátor, qui Beátam Maríam admirábili patiéntia invictáque ánimi constántia in advérsis vitæ roborásti, ipsíus nobis intercessióne concéde ut, voluntáti tuæ sincéro corde obsequéntes, per várias vitæ sémitas fidéliter ambulémus. Per Dóminum.

Die 19 aprilis

B. ISNARDI DE CHIAMPO, PRESBYTERI

Ex pago Chiampo prope Vicentiam [Vicenza] in Italia oriundus, Bononiæ anno circiter 1218 Ordinem ingressus est. « Religiosus fervens et gratiosus admodum prædicator », virginitatem « carne et corde » coluit, miraculorum fama præclarus. Papiæ [Pavia] conventum Ordinis condidit ac sapienter gubernavit ibique mortuus est die 19 martii anno 1244. Eius cultus die 12 martii 1919 a Benedicto XV confirmatus fuit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui sapiéntiæ tuæ luce ténebras ignorántiæ repéllis, auge, méritis et précibus Beáti Isnárdi, virtútem fídei et præsta, ut ignis grátiæ tuæ quo illum nitére fecísti, nullis in nobis tentatiónibus exstinguátur. Per Dóminum.

Eodem die 19 aprilis

B. SIBYLLINÆ BISCOSSI, VIRGINIS

Papiæ [Pavia] in Italia anno 1287 nata ac mox parentibus orbata et duodennis cæca facta, a quibusdam Sororibus de Pœnitentia recepta fuit. Illarum habitum ac Regulam am-

plexa, occulta Dei avidius perscrutari didicit. Apud ecclesiam Prædicatorum reclusa 65 annos mansit, multosque ad se confugientes interiore luce suffulsit, speciali in Iesum Crucifixum et in Spiritum Sanctum pietate flagrans. Obiit octogenaria die 19 martii 1367. Pius IX die 17 augusti 1854 illius cultum confirmavit.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Corda nostra quǽsumus, Dómine, divíno illo Sancti Spíritus igne succénde, quo Beátæ Sibyllínæ mentem mirabíliter recreásti ut, eiúsdem supérno lúmine suffúlti, Iesu Christi Crucifíxi secréta hauriámus et in tua semper dilectióne crescámus. Per Dóminum.

Die 20 aprilis

S. AGNETIS DE MONTEPULCIANO, VIRGINIS

Memoria obligatoria

In oppido Gracciano in Italia, e diviti familia Segni orta est anno 1268. Novennis quarundam virginum de Monte Politiano monasterium ingreditur; at, quintum decimum annum agens, Summi Pontificis indultu, monialibus monasterii Proceni [Viterbo], cuius erectionem active promoverat, invita præficitur. Post 22 annos precibus incolarum Montis Politiani obsequens illuc se recepit in monasterio tunc noviter a se fundato (a. 1306) sub Regula S. Augustini et post aliquot annos « plenarie et omnino » sub directione Ordinis Prædicatorum posito, evangelicam perfectionem prosequendi cupida sub sancti Dominici Regula.

Infantem Iesum et Virginem Matrem magno pietatis affectu colens, Spiritus Sancti donis suffulta, candens orationis et caritatis lampas effecta, ad unitatis et pacis bona prosequenda suæ virtutis gratia et auctoritate civium animum sustinuit. Digna quæ a S. Catharina Senensi « mater gloriosa » vocaretur « doctrina et veræ humilitatis exemplo » sectanda, obiit die 20 aprilis 1317. Ipsam in album sanctarum virginum retulit Benedictus XIII die 10 decembris 1726.

De Communi virginum (LH II, 1607), vel sanctarum mulierum: pro religiosis (1673), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Sponsum vírginum qui sibi desponsávit Agnétem, veníte, adorémus, allelúia.

Vel, præsertim in cantu: Agnum, sponsum vírginum, qui vírginem sibi desponsávit Agnétem, * Veníte, adorémus, allelúia.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Textus congruus, vel Magnæ dies lætítiæ, ut ad Laudes matutinas, 143.

Sicubi gradu festi celebratur:

PSALMODIA

Antiphonæ propriæ adhiberi possunt ut ad Laudes matutinas cum psalmis de Communi virginum (LH II, 1609).

℣. Adducéntur Regi vírgines post eam, allelúia.
℟. In lætítia et exsultatióne, allelúia.

LECTIO PRIOR

De Epístola beáti Pauli apóstoli
ad Philippénses 2, 1-11

Exhortatio ad Christum imitandum

Fratres: Si qua consolátio in Christo, si quod solácium caritátis, si qua commúnio spíritus, si quæ víscera miseratiónis, impléte gáudium meum, ut idem sapiátis, eándem caritátem habéntes, unánimes, idípsum sapiéntes, nihil per contentiónem neque per inánem glóriam, sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrántes, non quæ sua sunt sínguli considerántes, sed et ea quæ aliórum.

Hoc sentíte in vobis, quod et in Christo Iesu: qui, cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo, sed semetípsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus; et hábitu invéntus ut homo, humiliávit semetípsum factus obœdiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum exaltávit et donávit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nómine Iesu omne genu flectátur cæléstium et terréstrium et infernórum et omnis lingua confiteátur: « Dóminus Iesus Christus » in glóriam Dei Patris.

RESPONSORIUM Phil 2, 2-3; Io 13, 15

℟. Idem sapiátis, eándem caritátem habéntes, unánimes, idípsum sapiéntes. * In humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrántes, allelúia.

℣. Exémplum dedi vobis, ut, quemádmodum ego feci vobis, et vos faciátis. * In humilitáte.

LECTIO ALTERA [**]

E Lítteris sanctæ Catharínæ Senénsis vírginis ad Christóphoram prioríssam monastérii sanctæ Agnétis de Monte Politiáno

(Epist. 58: ed. P. Misciattelli, vol. I, Firenze 1970, pp. 218-219)

Caritatem habuit increatam quæ in corde ipsius flagrabat consumens

In nómine Iesu Christi crucifíxi et Maríæ dulcis.

Fília caríssima mihi in Christo dulci Iesu. Ego Catharína, minístra et serva servórum Iesu Christi, tibi scribo in pretióso sánguine eius; vidére desíderans te ipsam ceterásque matris nostræ sanctæ Agnétis vestígia sectántes.

Et de hoc vos oro, et volo, ut doctrínam et mores eius teneátis. Scitis enim quóniam semper doctrínam vobis atque exémplum dedit veræ humilitátis. Hæc

enim fuit virtus illa princeps quæ in ipsa éxtitit. Et hoc mínime miror, quia hoc hábuit quod habére debet sponsa cúpiens humilitátem sponsi sectári. Caritátem hábuit increátam quæ sine ulla intermissióne in corde ipsíus flagrábat consúmens; animárum erat enim dévorans et degústans. Vigíliam ad oratiónem semper prosequebátur, neque álio modo humilitátem habuísset, quia sine caritáte mínime et humílitas est, et una álteram nutrit.

Scitísne quæ rátio ad perféctam et veram virtútem pervenire illam fécerit? quod líbere et sponte renuntiávit sibi et substántiæ huius mundi nihil possidére vóluit. Bene enim intellégerat virgo illa gloriósa quod homo póssidens mundi huius substántiam ad supérbiam venit; parvam veræ humilitátis virtútem perdit, ad amórem sui sensitívum venit, affféctu caritátis caret, vigíliam et oratiónem perdit. Corda enim et affféctus quæ terra atque amóre sui ipsíus plena sunt Christo crucifíxo adimpléri et veras dulcésque preces experíri néqueunt. Quod animadvértens dulcis Agnes ipsa se exúitur et Christo indúitur crucifíxo. Atque non ipsa solum sed nobis étiam hoc mandat; ita vos obstríngit et vobis fírmiter consisténdum est.

Bene autem scitis quóniam vobis, sponsæ Christo consecrátæ, non quod patris possidéndum, sed quod Sponsi ætérni tenéndum ac possidéndum est; ad Sponsum enim istis. Bonum patris vestri est cupíditas quam relínquere debémus, cum vénerit tempus discretiónis, sequéndi Sponsum et ipsíus thesáurum possidéndi. Quis autem Christi crucifíxi thesáurus fuit? Crux, oppróbrium, pœna, cruciátus, mæror et ludíbria et impropérium, voluntária paupértas, famis honóris Patris et salútis nostræ.

Si thesáurum istum possidébitis vi ratiónis igne caritátis incénsæ, ad illas quas díximus virtútes perveniétis: veræ fíliæ éritis matri, sponsæque sollícitæ et non neglegéntes; a Christo crucifíxo récipi meré-

bitis: grátia sua ipse apériet vobis vitæ durábilis iánuam. Amplius non dico. In Christi crucifíxi sánguine vos mérgite. Sursum erígite vos ipsas vera sollicitúdine atque unitáte. Si enim coniúnctæ et non seiúnctæ éritis, neque dæmónium neque ulla creatúra nocébit vobis et perfectiónem vestram tollet a vobis.

Permanéte in sancta et dulci Dei dilectióne.

Iesu dulcis, Iesu amor.

RESPONSORIUM Cant 8, 7

℟. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, * Neque flúmina óbruent eam, allelúia.

℣. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. * Neque flúmina.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Vírginem castam, ut in Appendice, 654.

Vel alia:

Ex Epístola beáti Humbérti de Romans presbýteri
De reguláris observántia disciplinæ

(Opera de vita regulari, ed. J.-J. Berthier, vol. I, Romæ 1888, pp. 36-41)

Per votum religionis ad magna vos ligastis

His virtútibus, fratres caríssimi, singuláriter pollére satágite, quæ speciáliter pértinent ad reguláris observántiam disciplínæ. Et quóniam per votum religiónis ad magna vos ligástis, magna quoque in opéribus demonstrétis.

Quotídie in áliquo virtútis exercítio profícite et in bonum conáti laboráte sollícite. Navis enim quæ contra ictum flúvii dúcitur, retrocédit nisi sursum cum magno labóre contínuo moveátur.

Secúndum statum in quo Deus vos pósuit, melióra semper quæ ad illum pértinent adimpléte. Commú-

nem reprehensiónem audiéntes, non illam ad álios, sed ad vos ipsos, humíliter retorquéte. In ómnibus actiónibus vestris extréma fúgite et semper in médio vos tenéte. Circa servítia fratérna sitis prompti, nec ulli circa usum próprii córporis onerósi.

Estóte, fratres, húmiles sine fictióne, matúri sine ponderositáte, ágiles sine levitáte, timéntes sine desperatióne, sperántes sine præsumptióne, obœdiéntes sine contradictióne, hílares sine dissolutióne, patiéntes sine murmuratióne. Estóte, inquam, compósiti ad morum disciplínam, pii ad misericórdiam, immóbiles ad constántiam, in oratióne devóti et in vestri custódia circumspécti. Quamvis nihil honestátis humána præséntia vobis débeat adiícere, vel solitúdo minúere, tamen ibi magis serváte disciplínam ubi vel plúribus génerat scándalum neglécta, vel formam imitatiónis tríbuit custodíta.

Noctem ordinétis siléntio et oratióni, diem vero bonis exercítiis et labóri. Diem detis próximo, noctem Deo. Labóris causam, non labórem in labóre cogitáte. In bonis fortes estóte, sed in malis vos débiles exhibéte. In agéndis dénique talem ordinatiónem quoad omnes et síngulos observétis, ut sit vidélicet in prælátis diligéntia, in súbditis obœdiéntia, in ómnibus simul pax et concórdia, in choro devótio et disciplína, iuxta altáre matúritas et reveréntia.

Devóti sint senes, laboriósi sint iúvenes. Laudabíliter vivátis, nec tamen laudem hóminum appetátis. Non gloriémini de multis diébus quibus in religióne diu vixístis, sed de paucis quibus órdinem servástis. Hypócrisim fugiátis et in veritáte coram Deo ambulétis. Nimis enim parum est in ingréssu religiónis tantum hábitum mutáre, sed mores et vitam laudábile est. Igitur símplici gradiéntes via, numquam duplicitátis aut fictiónis vestígium prætendátis.

Quidquid contra commúnem usum est, vel quod vos potest réddere notábiles, id fúgite quasi pestem.

Iustítiam numquam deserátis propter verecúndiam vel timórem. Otia declinétis, nec cellas inutíliter occupétis. Nolíte non fiénda insipiénter appétere, aut faciénda per accídiam fastidíre.

Diligentíssime caveátis ne quando vel in labóre minus patiéntes, vel in obœdiéntia præceptórum minus álacres, vel in opéribus caritátis inveniámini neglegéntes. In certo semper statu et certa consciéntia vos ponátis; numquam étiam in illo statu vívere præsumátis, in quo moriéndo decédere non audeátis.

Omni virtúte, fratres caríssimi, vos precor et móneo, contéstans per eum qui suo reveréndo sánguine nos redémit et vitæ nobis portas pia morte reserávit, ut vestræ professiónis vestríque propósiti non immémores, semitárum meminéritis antiquárum per quas antecessóres nostri cúrrere festinárunt in spíritu veheménti, et iam regnant cum Christo perpétua réquie consoláti, ad quam cum et nos divína suffragánte grátia pervenérimus, erit animábus nostris cognítio primæ veritátis, diléctio summæ bonitátis et divínæ fruítio maiestátis.

Hæc nobis præstáre dignétur, qui est princípium sine princípio, et finis ómnium sine fine. Amen.

RESPONSORIUM Eph 4, 15; Gal 5, 25; 6, 4a

℟. Veritátem faciéntes in caritáte, * Crescámus in illo per ómnia, qui est caput Christus, allelúia.
℣. Si Spíritu vívimus, Spíritu et ambulémus; opus autem suum probet unusquísque. * Crescámus.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Magnæ dies lætítiæ:
venérunt Agni núptiæ,
et Agnes Agnum séquitur,
Sponsóque sponsa iúngitur.

Vox Angelórum cóncinit,
lætánte cœtu súscipit
virgo beáta vírginem,
cæléstis Agni cómitem.

Signis corúscat váriis,
miris micat prodígiis,
confert salútem lánguidis,
vitámque reddit mórtuis.

Sit, Christe Rex piíssime,
tibi Patríque glória,
cum Spíritu Paráclito
in sempitérna sæcula.

Psalmodia

Ant. 1 Ad te de luce vígilo, Deus, ut vídeam virtútem tuam, allelúia.

Hæ antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus. Sicubi gradu festi celebratur, cum psalmodia de dominica hebd. I dicendæ sunt.

Ant. 2 Iam hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit: surge, amíca mea, et veni, allelúia.

Ant. 3 Me étenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt, allelúia.

Lectio brevis Sap 7, 7-8. 10

Optávi, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ. Præpósui illam regnis et sédibus et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam et propósui pro luce habére illam.

Responsorium breve

℟. Anima mea exsultábit in Dómino. * Allelúia, allelúia. Anima mea.
℣. Et lætábitur super salutári suo. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Anima mea.

Ad Benedictus, ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúia.

Vel: Ut vita Iesu manifestarétur in carne sua, mortificatiónem eius iúgiter Agnes in se circúmtulit, allelúia.

Preces congruæ vel de Communi virginum.

Oratio

Deus, qui sponsam tuam Agnétem miro decorásti oratiónis ardóre, concéde ut eius imitatióne, tibi méntibus semper intenti, copiósum pietátis fructum exínde cónsequi valeámus. Per Dóminum.

Sicubi gradu festi celebratur:

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS Gal 5, 16. 22. 25

Spíritu ambuláte et concupiscéntiam carnis ne perfecéritis. Fructus Spíritus est cáritas, gáudium, pax, longanímitas, benígnitas, bónitas, fides, mansuetúdo, continéntia. Si vívimus Spíritu, Spíritu et ambulémus.

℣. Hæc est virgo sápiens, allelúia.
℟. Quam Dóminus vigilántem invénit, allelúia.

Ad Sextam

LECTIO BREVIS 2 Cor 11, 1-2

Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ; sed et supportáte me. Æmulor enim vos Dei æmulatióne; despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℣. Concupívit Rex spéciem tuam, allelúia.
℟. Quia ipse est Dóminus Deus tuus, allelúia.

Ad Nonam

LECTIO BREVIS Ap 19, 7-9

Gaudeámus et exsultémus, et demus glóriam Deo, quia venérunt núptiæ Agni et uxor eius præparávit se. Et datum est illi, ut coopériat se býssinum splendens mundum: býssinum enim iustificatiónes sunt sanctórum. Et dicit mihi: « Scribe: Beáti, qui ad cenam nuptiárum Agni vocáti sunt! ».

℣. Mundi delícias et omnem ornátum sæculi contémpsit, allelúia.

℟. Virgo Agnes propter amórem Iesu Christi, allelúia.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

HYMNUS

Textus congruus, vel Magnæ dies lætítiæ, ut ad Laudes matutinas, 143.

PSALMODIA

Sicubi gradu festi celebratur, psalmi, canticum et antiphonæ de Communi virginum (LH II, 1620) vel, in cantu, antiphonæ ut ad Laudes matutinas.

LECTIO BREVIS Rom 15, 5-6

Deus patiéntiæ et solácii det vobis idípsum sápere in altérutrum secúndum Christum Iesum, ut unánimes uno ore glorificétis Deum et Patrem Dómini nostri Iesu Christi.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Tibi dixit cor meum: Quæsívi vultum tuum, * Allelúia, allelúia. Tibi dixit.

℣. Vultum tuum, Dómine, requíram, * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Tibi dixit.

Ad Magnificat, ant. Venérunt núptiæ Agni, et uxor eius præparávit se: Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt, allelúia.

Vel, præsertim in cantu: Conscéndit Agnes hódie cæléstis regni sólium: stolam indúta glóriæ intrat in Sponsi thálamum, allelúia.

Preces congruæ vel de Communi virginum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 27 aprilis

B. HOSANNÆ DE KOTOR, VIRGINIS

Parentibus orthodoxis in pago Montis Nigri anno 1493 nata, in ovibus pascendis adulescentiam duxit. Christo patienti conformis fieri cupiens vitam reclusam amplexa est, habitu Tertii Ordinis sæcularis assumpto cum Hosannæ nomine. Divinorum contemplationi et crebris orationibus insistens, non suæ tantummodo saluti sed etiam aliorum consulere studuit. Obiit die 27 aprilis 1565. Pius XI die 21 decembris 1927 eius cultum ratum habuit, pro Ecclesiæ unitate illam invocans.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum, præter ea quæ habentur propria:

Oratio

Innova, Dómine, in córdibus nostris amórem tuæ crucis ut, intercessióne et exémplo Beátæ Hosánnæ pro Ecclésiæ unitáte patiéntis, dolórum tuórum partícipes efficiámur et glóriæ. Per Dóminum.

Die 29 aprilis

S. CATHARINÆ SENENSIS, VIRGINIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Festum

Senis [Siena], in vico Fontebranda, in Italia, nata est anno 1347, pænultima 25 liberorum. Puellula, divina gratia præventa, virginitatem Deo vovit (1354) et, crebris familiarium suorum superatis molestiis, vitam orationis, ieiunii pænitentiæque asperam iniit inter Sorores de Pænitentia sancti Dominici (1363). *Dulcis primæ Veritatis* contemplationi dedita, « Deum in se et se in Deo cognoscere » studuit, domi vitam ducens austeram usque ad annum 1370, cum in visione a cælesti Sponso mandatum accepit apostolatus viam ingrediendi.

Exinde, Spiritus Sancti donis mirifice aucta eique summa docilitate obsequens, divinorum altissimam contemplationem in « cella cordis » mira cum apostolica actuositate coniunxit. Ipsum Pontificem, ignito eloquio ac pulchris epistolis, ut Romanam sedem peteret induxit (1376) multosque cuiuscumque condicionis viros ac mulieres ad bonum virtutis vel pacis adducere sategit. Divina caritate succensa Christo Crucifixo conformis fieri studuit et sacris quoque stigmatibus, fulgore non cruore coruscantibus, die 1 aprilis anno 1375 exornari meruit.

« Doctrina eius non acquisita fuit; prius magistra visa est quam discipula » (Bulla canoniz.). Præclara illius spiritualis ac theologicæ doctrinæ documenta reliquit, *Dialogum* (1378) præsertim: digna quæ « Mater » tunc a copiosa discipulorum familia vocaretur et nunc pro universa Dominicana Familia perseveret. Romæ obiit anno 1380 ibique condita fuit in basilica sanctæ Mariæ supra Minervam. Pius II die 29 iunii 1461 inter sanctas retulit et Paulus VI anno 1970 ipsam Ecclesiæ doctorem declaravit.

Sicubi gradu sollemnitatis celebratur, in I Vesperis, omnia ut ad Vesperas (165) cum psalmis et cantico de Communi virginum (LH II, 1603).

Ad Invitatorium

Ant. Fontem sapiéntiæ, Dóminum, veníte, adorémus, allelúia.

Vel: Veritátis Magístrum adorémus Christum, qui sapiéntia sua ditávit Catharínam, allelúia.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

HYMNUS

Ad Officium lectionis

Virgo prudéntum comitáta cœtum
óbviam sponso véniens paráta,
noctis horréndæ rémovet tenébras
lámpade pura.

Ille fulgéntem nítidis lapíllis
ánulum miri tríbuit decóris
vírgini dicens: « Tibi trado sancti
pignus amóris ».

Mota flagrántis stímulo calóris
mentis excéssu rápitur frequénti,
fixa dum portat Catharína membris
vúlnera Christi.

Unde ter felix quater et beáta
in sinu sponsi requiévit almi,
inter illústres ánimas reláta
lux nova cæli.

Sit Deus cæli résidens in arce,
trinus et simplex benedíctus ille,
qui potens totum stábili gubérnat
órdine mundum.

PSALMODIA

Sumitur ad libitum alia vel alia series antiphonarum ex iis quæ hic proponuntur: Series A, ex Scripturis Sacris præsertim deprompta [cum psalmis de Communi]; Series B, vitam et virtutes Sanctæ referens; Series C, gregoriano cantu ornata [ambæ cum iisdem psalmis propriis].

Series A

Ant. 1 Quando orábas cum lácrimis et curábas ægrótos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino, allelúia.

Psalmi de Communi virginum (LH II, 1608).

Ant. 2 Corrípite inquiétos, consolámini pusillánimes, suscípite infírmos, longánimes estóte ad omnes, allelúia.

Ant. 3 In hoc nóvimus caritátem, quóniam Dóminus pro nobis ánimam suam pósuit; et nos debémus pro frátribus ánimas pónere, allelúia.

Antiphona 1

Ser. B Nullus potest gustáre pulchritúdinem Dei in Trinitátis abýsso, nisi per médium ipsíus Ecclésiæ et sponsæ suæ, allelúia.

Ser. C Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris, per inhabitántem Spíritum eius in nobis, allelúia.

Psalmus 137
Domine, misericordia tua in sæculum

Det vobis Pater ... virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem (Eph 3, 16).

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, *
quóniam audísti verba oris mei.
In conspéctu angelórum psallam tibi, *
adorábo ad templum sanctum tuum;
et confitébor nómini tuo †
propter misericórdiam tuam et veritátem tuam, *
quóniam magnificásti super omne nomen
elóquium tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me; *
multiplicábis in ánima mea virtútem.
Confitebúntur tibi, Dómine, omnes reges terræ, *
quia audiérunt elóquia oris tui.
Et cantábunt vias Dómini, *
quóniam magna est glória Dómini;
quóniam excélsus Dóminus, †
et húmilem réspicit, *
et supérbum a longe cognóscit. —

Si ambulávero in médio tribulatiónis,
vivificábis me; †
et contra iram inimicórum meórum
exténdes manum tuam, *
et salvum me fáciet déxtera tua.
Dóminus opus perfíciet pro me; †
Dómine, misericórdia tua in sæculum: *
ópera mánuum ṭuárum ne remíttas.

Series B: Ant. Nullus potest gustáre pulchritúdinem Dei in Trinitátis abýsso, nisi per médium ipsíus Ecclésiæ et sponsæ suæ, allelúia.

Series C: Ant. Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris, per inhabitántem Spíritum eius in nobis, allelúia.

[Oratio super psalmum, 634].

Antiphona 2

Ser. B Omnes nos opórtet per portam Iesu Christi crucifíxi transíre, quæ non nisi in sancta Ecclésia reperítur, allelúia.

Ser. C Det Catharína frui nos vero lúmine Christi, ac sóciet súperis virgo beáta choris, allelúia.

Psalmus 24
Dilata angustias cordis mei

Hoc est Novum Testamentum. Lex quæ Christum annuntiavit per litteram velata, in ipso manifestatur (S. Hieronymus).

Ad te, Dómine, levávi ánimam meam, *
Deus meus, in te confído: non erubéscam.
Neque exsúltent super me inimíci mei, *
étenim univérsi qui sústinent te
non confundéntur.
Confundántur infidéliter agéntes *
propter vanitátem. —

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi, *
et sémitas tuas édoce me.
Dírige me in veritáte tua et doce me, †
quia tu es Deus salútis meæ, *
et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, *
et misericordiárum tuárum,
quóniam a sæculo sunt.
Peccáta iuventútis meæ et delícta mea
ne memíneris; †
secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu, *
propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus, *
propter hoc peccatóres viam docébit;
díriget mansuétos in iudício, *
docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini misericórdia et véritas *
custodiéntibus testaméntum eius
et testimónia eius.
Propter nomen tuum, Dómine,
propitiáberis peccáto meo; *
multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? *
Docébit eum viam quam éligat.
Anima eius in bonis demorábitur, *
et semen eius hereditábit terram.

Familiáriter aget Dóminus cum timéntibus eum, *
ut testaméntum suum maniféstet illis.
Oculi mei semper ad Dóminum, *
quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei, *
quia únicus et pauper sum ego.
Diláta angústias cordis mei, *
et de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam et labórem meum, *
et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, *
et ódio crudéli odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me; *
non erubéscam, quóniam sperávi in te.
Innocéntia et æquitas custódiant me, *
quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israel *
ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Series B: Ant. Omnes nos opórtet per portam Iesu Christi crucifíxi transíre, quæ non nisi in sancta Ecclésia reperítur, allelúia.

Series C: Ant. Det Catharína frui nos vero lúmine Christi, ac sóciet súperis virgo beáta choris, allelúia.

[Oratio super psalmum, 634].

Antiphona 3

Ser. B Dispóne vitam, cor et afféctum tuum solum in ista sponsa Ecclésia, pro me, sine te.

Ser. C Sanctíssima Christi Sponsa dilécto suo iúgiter adhærébat, et unus cum illo spíritus erat, allelúia.

Psalmus 66
Cognoscatur in terra via Domini

Vide mysterium Trinitatis in uno versiculo comprehensum: « Terra dedit fructum suum ». ... Qui Deus est omnium per naturam, noster proprie factus est Deus (S. Hieronymus).

Deus misereátur nostri, et benedícat nobis; *
illúminet vultum suum super nos.
Ut cognoscátur in terra via tua, *
in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus; *
confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent gentes, †
quóniam iúdicas pópulos in æquitáte, *
et gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus; *
confiteántur tibi pópuli omnes.
Terra dedit fructum suum; *
benedícat nos Deus, Deus noster;
benedícat nos Deus, *
et métuant eum omnes fines terræ.

Series B: Ant. Dispóne vitam, cor et afféctum tuum solum in ista sponsa Ecclésia, pro me, sine te.

Series C: Ant. Sanctíssima Christi Sponsa diléc-to suo iúgiter adhærébat, et unus cum illo spíritus erat, allelúia.

[Oratio super psalmum, 634].

℣. Adducéntur Regi vírgines post eam, allelúia.
℟. Próximæ eius afferéntur tibi, allelúia.

LECTIO PRIOR

De Epístola beáti Pauli apóstoli
ad Romános 8, 28-39

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum

Fratres: Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, his, qui secundum propósitum vocáti sunt. Nam, quos præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii eius, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus; quos autem prædestinávit, hos et vocávit; et quos vocávit, hos et iustificávit; quos autem iustificávit, illos et glorificávit.

Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum, quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donábit? Quis accusábit adversus eléctos Dei? Deus, qui iustíficat? Quis est qui

condémnet? Christus Iesus, qui mórtuus est, immo qui suscitátus est, qui et est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis?

Quis nos separábit a caritáte Christi? Tribulátio an angústia an persecútio an fames an núditas an perículum an gládius? Sicut scriptum est: « Propter te mortificámur tota die, æstimáti sumus ut oves occisiónis ».

Sed in his ómnibus supervíncimus per eum, qui diléxit nos. Certus sum enim quia neque mors neque vita neque ángeli neque principátus neque instántia neque futúra neque virtútes neque altitúdo neque profúndum nequeália quælibet creatúra póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Iesu Dómino nostro.

RESPONSORIUM 2 Cor 4, 10; Rom 8, 29

℟. Mortificatiónem Iesu in córpore semper circumférimus, * Ut et vita Iesu in córpore nostro manifestétur, allelúia.

℣. Prædestinávit nos Deus confórmes fíeri imáginis Fílii eius, * Ut et vita Iesu.

LECTIO ALTERA [***]

E Lítteris sanctæ Catharínæ Senénsis vírginis ad novítios Ordinis sanctæ Maríæ de Monte Olivéto

(Epist. 36: ed. P. Misciattelli, vol. I, Firenze 1970, pp. 136-142)

Fontem caritatis invenietis in latere Christi crucifixi

Filíoli mei caríssimi in Christo dulci Iesu. Ego Catharína minístra et serva servórum Iesu Christi scribo vobis in pretióso sánguine eius vos vidére desíderans fílios usque ad mortem obœdiéntes, ab immaculáto Agno discéntes qui Patri usque ad ignominiósam mortem crucis obœdiens fuit.

Bene atténdite quia ipse est via et régula quam sequámini opórtet vos et omnes creatúræ; illum ante

mentis vestræ óculos ponátis volo. Respícite quómodo sit obœdiens Verbum istud! Ipse enim non recúsat labórem ex póndere quod a Patre recépit, at contra máximo currit desidério. Hoc vero in última Cena patefécit, dicens: *Desidério desiderávi hoc Pascha manducáre vobíscum ántequam móriar. Pascha manducáre* idem est ac Patris voluntátem atque Fílii desidérium adimplére. Et nihil fere témporis ante se videns (se ipsum enim ad últimum videns pro nobis Patri sacrifícium offeréndum) gaudet et exsúltat atque gaudens dicit: *Desidério desiderávi.*

Et hoc erat Pascha de quo loquebátur, scílicet se ipsum cibum dare et obœdiéntia Patris sacrifícium córporis immoláre. Iam álias Iesus Pascha manducáverat cum discípulis suis sed numquam sicut nunc. O inæstimábilem dulcíssimam et ardentíssimam caritátem! Nihil cógitas de cruciátu, nihil de opprobriósa morte tua. Verbum videt quod a Patre eléctum fuit et sponsam humanitátem accépit; et iussum fuit ut nobis sánguinem suum daret ut volúntas Dei adimplerétur in nobis ita ut sánguine ipsíus sanctificarémur.

Et ita rogo vos, filíoli mihi dulces in Christo dulci Iesu, ut numquam quidquam timeátis, in sánguine Christi crucifíxi confidéntes. Nolíte ab illo vos separáre tentatiónibus atque erróribus; neque timóre quod perseveráre non possítis, neque formídine quod obœdiéntiam Ordinémque sustinére non valeátis.

Ut ígitur numquam timeátis volo: omnis timor servílis auferátur a vobis. Cum Paulo dulci illo amantérque dicétis: « Sústine hódie, ánima mea. Per Christum crucifíxum ómnia possum; desidério enim atque amóre in me est qui me confórtat ». Dilígite, dilígite, dilígite! Qui in mundo est, mare hoc decúrrit super brácchia sua, qui autem in religióne sancta est, super brácchia návigat alteríus, id est Ordinis sui.

Confídite! fontem caritátis inveniétis in látere

Christi crucifíxi, hoc in locum et domicílium vobis ut comparétis volo. Súrgite ígitur máximo et ardentíssimo desidério; ambuláte, ingredímini et manéte in hoc dulci domicílio; neque dæmónium neque creatúra erit quæ grátiam vobis áuferat vel vos impédiat quóminus ad finem vestrum, ad Deum scílicet vidéndum ac sapiéndum, perveniátis. Amplius non dico. Permanéte in sancta et dulci Dei dilectióne. Dilígite, dilígite vos ad ínvicem.

RESPONSORIUM

℟. Nihil huic vírgini sátius, nihílque dígnius in rerum natúra visum est quam Iesu Christi præcépta * Et vitam ætérnam ómnibus persuadére, allelúia.

℣. Dedit enim semper óperam revocáre pérditos. * Et vitam ætérnam.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Cibávit illam, ut in Appendice, 654.

Vel alia:

E Libéllo de Suppleménto Thomæ Antónii « Caffaríni », sanctæ Catharínæ Senénsis discípuli

(Pars III, Tract. III, ed. Cavallini-Foralosso, Roma 1974, pp. 305-316)

De transitu sanctæ Catharinæ Senensis

In tértia domínica Quadragésimæ cœpit sacra virgo ex toto decúmbere de vita ab innumerabílibus pœnis quæ cotídie subcréverant in illo suo corpúsculo, et adhuc propter imménsos dolóres mentáles quibus afficiebátur propter Dei offénsas quas vidébat cotídie a christícolis perpetrári, necnon et propter perícula quæ vidébat cotídie subcréscere in Eccléstia sancta sua, propter quam tantum expasimábat, sive táliter anxiábat intus et extra.

Et ita procéssit usque ad domínicum diem quem

immediáte, in anno illo, Ascénsio domínica sequebátur, qui fuit dies 29 aprílis 1380, quando per duas horas, vel circa, ante dilúculum hábuit virgo sancta mutatiónem permáximam. Unde deliberátum fuit quod eídem darétur sacraméntum Unctiónis. Et ita factum est.

Post sumptiónem Unctiónis, cum virgo persísteret ac si nihil quasi sentíret, módica interpellatióne facta, cœpit totáliter immutári, diversósque gestus ágere, tam brácchiis quam fácie turbulénta ac si evidénter præténderet quáliter a non parva multitúdine dæmonum, sicut de facto erat, foret obséssa, stetítque virgo in huiúsmodi crudéli prœlio ultra horam cum dimídia.

Consequénter vero, quasi in puncto eius fácies fuit totáliter transmutáta, in tantum quod de obscúra et turbulénta tota effécta est angélica et iocúnda. Tunc præsentávimus ante fáciem suam unam icónem ubi erant quam plures relíquiæ sanctórum, et áliquæ quam pulchræ imágines. Illa vero statim defíxit suum intúitum ad imáginem Crucifíxi et ita, óculis corporálibus Crucifíxum respiciéndo, oráre cœpit atténtius, loquéndo altíssima de bonitáte Dei.

Et orándo consequénter cœpit peccáta sua in conspéctu Dei, licet étiam áliis audiéntibus, confitéri, dicéndo culpam suam de ómnibus peccátis suis generáliter, deínde subiungébat de illis in speciáli, sic dicens: « Mea culpa, Trínitas ætérna, quia ego offéndi miserabíliter in multa neglegéntia, ignorántia et ingratitúdine ac inobœdiéntia aliísque quam multis defléctibus. Heu mihi míseræ ... ». Et ita de istis multísque áliis defléctibus se reddébat culpábilem colúmba illa puríssima, pótius forsan hoc disponénte Altíssimo propter exémplum astántium quam pro sua necessitáte.

[Cum autem in tali oratióne per aliquále spátium perstitísset, volvit se virgo nobis ostendéndo viam

perfectiónis in módicis verbis ac imponéndo cuílibet illud quod post eius tránsitum debéret executióni mandáre, petens étiam humíliter indulgéntiam seu véniam de módica sollicitúdine quam reputábat se habuísse erga salútem nostram. O si quis tunc vidísset cum quanta reveréntia et humilitáte sacra virgo quam plúries benedictiónem recépit ab afflícta própria genetríce, cum cæteris lacrimabíliter sibi astánte!

Totum autem hoc oratiónem vírginis mínime interrumpébat, et cum appropinquáret ad finem optátum oratiónem singulárem fecit pro sancta Ecclésia, et quod pro ipsa vitam corpóream tradébat efficáciter affirmávit. Deínde orábat pro Urbáno VI quem étiam efficáciter ipsa confitebátur verum Summum Pontíficem, confortándo étiam fílios quátenus debérent vitam pro ista veritáte pónere ubi foret expédiens.]

Ultérius, cum non parvo fervóre orábat pro ómnibus utriúsque sexus sibi in Dómino præcípuis fíliis, uténdo plúribus verbis quibus usus est Salvátor cum pro discípulis suis orávit ad Patrem post módicum transitúrus ad ipsum. Et oratióne compléta, faciéndo signum sanctíssimæ crucis nobis ómnibus benedíxit.

Et sic ámplius appropínquans ad finem per ipsam tam inténse et a diu desiderátum, perseveránsque contínue in oratióne sua, ipsum Dóminum et sponsum suum est páriter allocúta: « Dómine, tu vocas me et ego vénio ad te. Et ecce ego ad te vénio non cum meis méritis, sed solum cum misericórdia tua, quam a te peto mihi fíeri in virtúte sánguinis tui ». Et tandem plúribus vícibus clamans voce magna et dicens: « Sanguis! Sanguis! », ultimáte autem ad nostri Salvatóris exémplar dixit: « Pater, in manus tuas comménDo ánimam et spíritum meum ». Et ita dúlciter, cum fácie tota angélica, inclináto cápite emísit spíritum.

RESPONSORIUM Col 1, 24; Gal 5, 24

℟. Adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea, * Pro córpore eius quod est Ecclésia, allelúia.

℣. Qui sunt Christi Iesu, carnem crucifixérunt cum vítiis et concupiscéntiis. * Pro córpore eius.

Vel alia:

E Diálogo sanctæ Catharínæ Senénsis vírginis
De divína Providéntia

(Cap. 167, Gratiarum actio ad Trinitatem: ed. lat., Ingolstadii 1583, f. 290ᵛ-291)

Gustavi et vidi

[LH II 1357]

Ad Officium vigiliæ

Pro celebratione Vigiliæ protractæ hic adduntur cantica et Evangelium proprium ut in Appendice, 644.

HYMNUS Te Deum.

Oratio

Deus, qui beátam Catharínam, in contemplatióne domínicæ passiónis et in Ecclésiæ tuæ servítio, divíno amóre flagráre fecísti, ipsíus intercessióne concéde ut pópulus tuus, Christi mystério sociátus, in eius glóriæ revelatióne semper exsúltet. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas, 163.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Te, Catharína, máximis
nunc venerámur láudibus,
cunctæ lumen Ecclésiæ,
sertis ornáta plúrimis.

Magnis aucta virtútibus
et vita florens ínclita,
húmili mente ac strénua
per crucis pergis trámitem.

Stella vidéris pópulis
salúbris pacis núntia;
mores restáuras óptimos,
feróces mulces ánimos.

Sancto compúlsa Spíritu,
igníta verba lóqueris,
quæ lucem sapiéntiæ,
æstus amóris íngerunt.

Tuis confísos précibus,
virgo dilécta Dómino,
nos caritáte cóncitos
fac Sponsi regna quærere.

Iesu, tibi sit glória,
qui natus es de Vírgine,
cum Patre et almo Spíritu
in sempitérna sæcula.

PSALMODIA

Sumitur ad libitum alia vel alia series antiphonarum ex iis quæ hic proponuntur: Series A, ex Scripturis Sacris præsertim deprompta; Series B, vitam et virtutes Sanctæ referens.

Antiphona 1

Ser. A Tóllite iugum meum super vos et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde, allelúia.

Ser. B Desiderábat mori ut posset se coniúngere Sponso suo ad quem ipsa sitiébat sicut cervus ad fontes aquárum, allelúia.

Psalmi et canticum de dominica hebd. I.

Antiphona 2

Ser. A Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam, quóniam ipsórum est regnum cælórum, allelúia.

Ser. B Aliud non dico vobis, nisi quod permaneátis in sancta et dulci dilectióne Dei. Iesu dulcis, Iesu amor, allelúia.

Antiphona 3

Ser. A In ómnibus honorificétur Deus per Iesum Christum, cui est glória et impérium in sæcula sæculórum, allelúia.

Ser. B Tunc máxime lætabátur cum fórtius patiebátur, quóniam totum desidérium suum erat posse pati pro Christo, allelúia.

Lectio brevis 2 Cor 4, 5. 8-10

Non nosmetípsos prædicámus sed Iesum Christum; nos autem servos vestros per Iesum. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur; aporiámur, sed non destitúimur; persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur; deícimur, sed non perímus; semper mortificatiónem Iesu in córpore circumferéntes, ut et vita Iesu in córpore nostro manifestétur.

Responsorium breve

℟. Fortitúdo mea et laus mea Dóminus * Allelúia, allelúia. Fortitúdo mea.

℣. Et factus est mihi in salútem * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Fortitúdo mea.

Ad Benedictus, ant. O Deus ætérne, dignéris recípere sacrifícium de vita mea in isto córpore mýstico Ecclésiæ sanctæ tuæ. Accipe cor meum et illud premas super fáciem istíus Sponsæ. (S. Catharina)

Vel, præsertim in cantu: Rerum ómnium Conditóri Catharína benedicébat, qui beatitúdinis sémitam mortálibus osténdit, allelúia.

PRECES

Benedicámus ætérnam et ineffábilem Deitátem,
in cuius lúmine vidémus lumen:
O Lux, Ignis, Déitas ineffábilis.

Tu nos, Dómine, ad tuam sanctam Ecclésiam vocátos in fide adunásti:
— Te laudámus qui nos in huius diéi exórdio ad te glorificándum invítas.

Tu Agni immaculáti pretióso redémptis sánguine libertátem largítus es et glóriam:
— Te laudámus unánimes et grátias tibi persólvimus.

Tu, Dómine, hómines ad creatiónis tuæ opus prosequéndum vocásti nosque máxime ad complén-dam Christi córporis ædificatiónem tibi sociásti:
— Te laudámus simul cum ómnibus qui regno tuo dant óperam.

Tu, Pater miserentíssime, nullum hóminem vis períre, sed omnes salvos fíeri
et ad agnitiónem veritátis pervenire:
— Te laudámus pro ómnibus
qui ad salútem fratrum vires impéndunt et bona.

[Exémplum Christi secúti, qui cruci affíxus, voluntáti Patris se trádidit eúmque pro persequéntibus exorávit, cælórum Patrem deprecémur, dicéntes:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, qui tuæ circa nos veritátis lumen, in coniúncta et mirífica agnitióne nostri in te ac tuipsíus in nobis, per beátam Catharínam hauriéndum nos doces, eius précibus nobis præsta, tanta veráci cognitióne profícere virtúte ut perféctius in dies te dilígere ac tibi deservíre valeámus. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas, 170.

[Formula benedictionis, 170].

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS Gal 2, 19-20

Christo confíxus sum cruci: vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus; quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me et trádidit seípsum pro me.

℣. Complantáti similitúdini mortis Christi, allelúia.
℟. Simul et resurrectiónis érimus, allelúia.

Ad Sextam

LECTIO BREVIS Rom 5, 3-5

Gloriámur in tribulatiónibus, sciéntes quod tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio vero spem; spes autem non confúndit, quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo, allelúia.
℟. Deus in médio eius, non commovébitur, allelúia.

Ad Nonam

LECTIO BREVIS 1 Cor 1, 18-19

Verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est, his autem, qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Scriptum est enim: « Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo ».

℣. In Deo sperávi, allelúia.
℟. Non timébo quid fáciat mihi homo, allelúia.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

Hymnus

Adhibetur textus congruus vel sequens:

Láudibus, virgo, nimis efferénda
iure censéris, quóniam triúmphos
ipsa cælórum, probitáte mira,
nacta refúlges.

Prǽmium sanctæ tamen ipsa vitæ,
et simul munus probitátis almæ
áccipis cælo, cumuláta cunctis
dénique rebus.

Tu gravem, sacris méritis refértum,
orbis exémplar, pietáte plenum
Prædicatórum veneráta Patrem,
Ordine fulges.

Nulla iam rerum plácuit volúptas,
nullus ornátus, nitor ecce nullus
córporis, semper fúgiens iníquæ
cármina vitæ.

Sǽpius corpus dómitans acérbe,
quam pie flagris cruor hinc et inde
flúxerat rivis, hominúmque demum
crímina flebas!

Súppetent nobis tótidem canénda,
si tuæ laudes repetántur omnes;
tu quidem longe pietáte cunctis
ínclita præstas.

Grátias summas habeámus omnes
Fílio magni Genitóris almo,
Spíritum Sanctum venerémur, et sit
laus tamen una.

PSALMODIA

Ant. 1 Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis, allelúia.

Psalmus 30, 20-25
Dominus mirificavit misericordiam suam

In circuitu Ecclesiæ totius diffusæ, ibi mirificat misericordiam suam Dominus; quia ibi natus, ibi passus, ibi resurrexit, et inde ascendit ad cælos (S. Hieronymus).

Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, *
quam abscondísti timéntibus te.
Perfecísti eis qui sperant in te, *
in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ *
a conturbatióne hóminum;
próteges eos in tabernáculo *
a contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus, *
quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi
in civitáte muníta.
Ego autem dixi in trepidatióne mea: *
« Præcísus sum a conspéctu oculórum tuórum ».
Verúmtamen exaudísti vocem oratiónis meæ, *
dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes sancti eius: †
fidéles consérvat Dóminus, *
et retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.
Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, *
omnes qui sperátis in Dómino.

Ant. Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis, allelúia.

[Oratio super psalmum, 635].

Ant. 2 Mens mea solidáta est, et in Christo fundáta, allelúia.

Psalmus 83
In domo Dei mei

Spiritu quidem præparante hominem in Filium Dei, Filio autem adducente ad Patrem, Patre autem incorruptelam donante in æternam vitam (S. Irenæus).

Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum. *
Concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea *
exsultavérunt in Deum vivum.
Etenim passer invénit sibi domum, †
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos: *
altária tua, Dómine virtútum,
rex meus et Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, *
in perpétuum laudábunt te.
Beátus vir cuius est auxílium abs te, *
ascensiónes in corde suo dispósuit.

Transeúntes per vallem sitiéntem
in fontem ponent eam, *
étenim benedictiónibus véstiet eam
plúvia matutína.
Ibunt de virtúte in virtútem, *
vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam; *
áuribus pércipe, Deus Iacob.
Protéctor noster, áspice, Deus, *
et réspice in fáciem christi tui.

Quia mélior est dies una in átriis tuis super mília, †
elégi ad limen esse in domo Dei mei, *
magis quam habitáre
in tabernáculis peccatórum. —

Quia sol et scutum est Dóminus Deus, †
grátiam et glóriam dabit Dóminus; *
non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia.
Dómine virtútum, *
beátus homo qui sperat in te.

Ant. Mens mea solidáta est, et in Christo fundáta, allelúia.

[Oratio super psalmum, 635].

Ant. 3 Per Christum, Deus reconciliávit ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt, allelúia.

Canticum Ap 4, 11; 5, 9.10.12

Hymnus redemptorum

Dignus es, Dómine Deus noster, *
accípere glóriam et honórem et virtútem;
quia tu creásti ómnia, *
et propter voluntátem tuam erant
et creáta sunt.

Dignus es, Dómine, accípere librum *
et aperíre signácula eius,
quóniam occísus es †
et redemísti nos Deo in sánguine tuo *
ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne,
et fecísti nos Deo nostro regnum et sacerdótes, *
et regnábimus super terram.

Dignus est Agnus, qui occísus est, †
accípere virtútem et divinitátem et sapiéntiam *
et fortitúdinem et honórem
et glóriam et benedictiónem.

Ant. Per Christum, Deus reconciliávit ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt, allelúia.

[Oratio super psalmum, 635].

Lectio brevis 1 Cor 2, 11-13

Quis scit hóminum quæ sint hóminis, nisi spíritus hóminis qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognóvit nisi Spíritus Dei. Nos autem non spíritum mundi accépimus, sed Spíritum qui ex Deo est, ut sciámus quæ a Deo donáta sunt nobis; quæ et lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ, sed in doctis Spíritus verbis, spiritálibus spiritália comparántes.

Responsorium breve

℟. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea, * Allelúia, allelúia. Pars mea.

℣. Bonus est Dóminus ánimæ quærénti illum, * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Pars mea.

Ad Magnificat, ant. Tibi, Patri ætérno, ego miserábilis dénuo óffero vitam meam ut vídeam reformatiónem istíus dulcis sponsæ tuæ Ecclésiæ sacrosánctæ: Ego, Deus ætérne, a te peto sponsam istam, allelúia. (S. Catharina)

Vel, præsertim in cantu: O digníssima Christi sponsa! Quam lux prophetíæ illustrávit, zelus apostólicus inflammávit, láurea vírginum coronávit, diníni amóris incéndium consummávit, allelúia.

Preces

Iubilémus Deo, fratres caríssimi, qui Ecclésiam et Ordinem sanctæ Catharínæ illustrávit doctrína, ditávit exémplis. Ideo cum ánimi fervóre precémur dicéntes:

Munda nos, Dómine, in sánguine Agni.

Pater sancte, qui per sánguinem Fílii crucifíxi mundo pacem contulísti,
— eius Ecclésiæ, quæsumus, adáuge unitátem et pacem.

Qui pro eiúsdem Ecclésiæ ædificatióne
fámulam tuam Catharínam
veritátis et caritátis zelo flagráre fecísti,
— parem in ómnibus christiánis apostólicum ardórem succénde.

Pro ómnibus verbi tui núntiis, pro patiéntibus
et persecutiónem in mundo sustinéntibus,
— fratérnas, Dómine, preces deférimus.

Qui per passiónem et resurrectiónem Fílii tui
paradísi áditum cunctis homínibus reserásti,
— defúnctis ómnibus in tuam glóriam introíre concéde nosque aliquándo eórum redde consórtes.

[Sacrifícium vespertínæ laudis concludámus prece domínica, qua ínvicem peccáta dimíttimus et a misericordiárum Patre nostra pétimus relaxári delícta:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, qui beátam Catharínam in contemplatióne domínicæ passiónis et in Ecclésiæ tuæ servítio, divíno amóre flagráre fecísti, ipsíus intercessióne concéde ut pópulus tuus, Christi mystério sociátus, in eius glóriæ revelatióne semper exsúltet. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas, 163.

Benedictio finalis

Deus qui vos de ténebris vocávit in admirábile lumen suum, benedictióne adímpleat et in lúmine suo ambuláre vos fáciat.

℟. Amen.

Die 30 aprilis

S. PII V, PAPÆ

Memoria obligatoria

Boschi [prope Alexandriam] in Italia natus anno 1504, Antonius Ghislieri habitum Fratrum Prædicatorum cum nomine Michaële adulescens accepit (1520). Presbyter factus (1528) et titulum lectoris adeptus, sacram theologiam docuit et prior conventualis pluries fuit, morum honestate et austeritate vitæ conspicuus. Commissarius generalis Romanæ Inquisitionis (1551), mox episcopus Nepesinus [Nepi] et Sutrinus [Sutri] a Paulo IV renuntiatus (1556) indeque cardinalis (1557), demum diœcesim Montis Regalis [Mondovì] in Pedemontio a Pio IV regendam accepit (1560).

Ad supremum pastorale munus, Pii nomine, evectus (7 ianuarii 1566), favente S. Carolo Borromeo, animarum saluti et Ecclesiæ reformationi se totum dedit. Fidem catholicam contra novatores strenue defendit ac propagandam curavit et Tridentinæ Synodi decreta in praxim reduxit: Curiam Romanam gradatim funditus reformavit; *Cathechismum Romanum* publicavit (1566); solidæ cleri institutioni consuluit introductione præ aliis in Seminariis *Summæ Theologiæ* S. Thomæ de Aquino quem, restrictum tunc tituli usum extendens, quintum « Angelici » nomine Latinæ Ecclesiæ doctorem declaravit (1567); Liturgiæ unitatem et instaurationem efficaciter promovit et editione *Breviarii* (1568) ac *Missalis Romani* (1570) stabiliter sanxit; dogmaticæ traditionis unitatem inter Orientalem et Latinam Ecclesiam extollit, iisdem liturgicis titulis quattuor maiores doctores utriusque honorans.

Fidem adversantibus totis viribus atque opibus obstitit, quarum memoranda manet in Turcarum classem navalis ab eo parata expeditio; cuius victoria a christianis principibus Lepanti obtenta (7 octobris 1571) permotus, quam Deiparæ Virginis a Rosario intercessioni ipse tribuit, festivitatem eius instituit (1572). Romæ piissime obiit die 1 maii 1572 et die 1 maii 1672 a Clemente X inter beatos relatus est. Demum a Clemente XI die 22 maii 1712 sanctorum canoni ascriptus est.

Eius corpus Romæ, in basilica S. Mariæ Maioris, honorifice colitur.

De Communi pastorum: pro papis (LH II, 1564), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Christum, pastórum príncipem, veníte, adorémus, allelúia.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Gaude, mater Ecclésia,
Christi suffúlta grátia,
ob sancti Pii mérita
nova deprómens cántica.

Almo compúlsus Spíritu
Deíque studens cúltui
sacris edíxit légibus
quid eius honor pósceret.

Pius pudícus, húmilis
vivéndi normam præbuit:
in lege Christi dócilis
verbis, exémplis mícuit.

Iesu, dulce refúgium,
spes nostra, te laudántium,
ob tanti patris méritum,
peccáti solve débitum.

Sit, Christe, tibi glória
pro multifórmi grátia,
qui mundi post hæc stádia
das iustis vitæ prǽmia.

Sicubi gradu festi celebratur:

PSALMODIA

Antiphonæ propriæ adhiberi poterunt ut ad Laudes matutinas cum psalmis de Communi pastorum (LH II, 1566).

℣. Atténde tibi et doctrínæ: insta in illis, allelúia.
℟. Hoc fáciens et te ipsum salvum fácies et qui te áudiunt, allelúia.

LECTIO PRIOR

De libro Ezechiélis prophétæ 34, 11-23

Suscitabo super oves meas pastorem

Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse requíram oves meas et visitábo eas. Sicut vísitat pastor gregem suum in die, quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárum, sic visitábo oves meas et liberábo eas de ómnibus locis, in quibus dispérsæ fúerant in die nubis et calíginis. Et edúcam eas de pópulis et congregábo eas de terris et indúcam eas in terram suam et pascam eas in móntibus Israel, in rivis et in cunctis sédibus terræ. In pascuis ubérrimis pascam eas, et in móntibus excélsis Israel erunt pascua eárum; ibi requiéscent in herbis viréntibus et in pascuis pínguibus pascéntur super montes Israel. Ego pascam oves meas et ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus. Quod períerat, requíram et quod eiéctum erat redúcam et quod confráctum fúerat alligábo et quod infírmum erat consolidábo et quod pingue et forte custódiam et pascam illas in iudício.

Vos autem, grex meus, hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego iúdico inter pecus et pecus, inter aríetes et hircos. Nonne satis vobis erat pascuam bonam depásci? Insuper et relíquias pascuárum vestrárum conculcástis pédibus vestris et, cum puríssimam aquam biberétis, réliquam pédibus vestris turbabátis; et oves meæ his, quæ conculcáta pédibus vestris fúerant, pascebántur, et, quæ pedes vestri turbáverant, hæc bibébant.

Proptérea hæc dicit Dóminus Deus ad eos: Ecce ego ipse iúdico inter pecus pingue et maciléntum: pro eo quod latéribus et úmeris impingebátis et córnibus vestris ventilabátis ómnia infírma pécora, donec dispergeréntur foras, salvábo gregem meum, et non erit ultra in rapínam, et iudicábo inter pecus

et pecus. Et suscitábo super eas pastórem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas et ipse erit eis in pastórem.

RESPONSORIUM Ez 34, 23a. 15-16. 25-26

℟. Suscitábo super oves meas pastórem, qui pascat eas: quod infírmum est, consolidábit; quod ægrótum, sanábit; quod confráctum, alligábit; quæret quod períerat, * Et accubáre fáciet greges in pace, allelúia.

℣. Fáciam cum eis pactum pacis et ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem. * Et accubáre.

LECTIO ALTERA [***]

Ex Expositióne sancti Thomæ de Aquíno presbýteri super Evangélium Ioánnis

(Cap. X, lect. III, I-II: ed. Marietti, Roma 1952, nn. 1397-1399, p. 261)

Officium boni pastoris est caritas

Iesus dixit: *Ego sum pastor bonus.* Quod autem Christus sit pastor, maniféste ei cómpetit: nam sicut per pastórem grex gubernátur et páscitur, ita fidéles per Christum spirituáli cibo, et étiam córpore et sánguine suo reficiúntur.

Sed ad differéntiam mali pastóris et furis addit, *bonus*. Bonus, inquam, quia implet pastóris offícium, sicut bonus miles dícitur qui implet mílitis offícium. Sed cum Christus díxerit supra, pastórem intráre per óstium, et íterum se esse óstium, hic autem dicat se esse pastórem; opórtet quod ipse per semetípsum intret. Et quidem per seípsum intrat, quia seípsum maniféstat, et per seípsum novit Patrem. Nos autem per illum intrámus, quia per ipsum beatificámur.

Sed atténde, quod nullus álius est óstium nisi ipse, quia nullus álius est lux vera, sed per participatiónem. *Non erat ille lux,* scílicet Ioánnes Baptísta, *sed*

ut testimónium perhibéret de lúmine. Sed de Christo dícitur: *Erat lux vera quæ illúminat omnem hóminem.* Et ídeo esse óstium, nemo se dicit: hoc sibi ipse Christus próprie retínuit; esse autem pastórem, áliis communicávit, et membris suis dedit: nam et Petrus pastor, et céteri Apóstoli pastóres fuérunt, et omnes boni epíscopi. *Dabo vobis pastóres secúndum cor meum.*

Licet autem præpóśiti Ecclésiæ, qui fílii sunt, omnes pastóres sint, ut Augustínus dicit; ídeo tamen singuláriter dicit: *Ego sum pastor bonus,* ut insínuet virtútem caritátis. Nullus enim est pastor bonus nisi per caritátem efficiátur unum cum Christo, et fiat membrum veri pastóris.

Offícium boni pastóris est cáritas; unde dicit: *Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis.* Sciéndum est enim, quod differéntia est inter bonum pastórem et malum, nam bonus pastor inténdit cómmodum gregis, malus autem cómmodum próprium; et hæc differéntia tángitur a prophéta: *Væ pastóribus qui pascunt semetípsos. Nonne greges pascúntur a pastóribus?* Qui ígitur útitur grege ut semetípsum tantum pascat, non est pastor bonus. Bonus vero pastor, étiam corporális, sústinet multa pro grege, cuius bonum inténdit; unde Iacob dixit: *Nocte ac die gelu urébar et æstu.*

Sed quia spirituális gregis salus præpónderat corporáli vitæ pastóris, ídeo cum perículum ímminet de gregis salúte, debet quisque spirituális pastor, corporális vitæ sustinére dispéndium pro gregis salúte: et hoc est quod Dóminus dicit: *Bonus pastor ánimam suam,* idest vitam corporálem, *ponit pro óvibus suis,* idest auctoritáte et caritáte. Utrúmque enim exígitur, et quod ad eum pertíneat, et quod eas amet: nam primum sine secúndo non súfficit. Huius autem doctrínæ Christus nobis exémplum præbuit: *Si Christus pósuit ánimam suam pro nobis, et nos debémus pro frátribus ánimas pónere.*

RESPONSORIUM Cf. Act 20, 28; 1 Cor 4, 2

℟. Atténdite univérso gregi, in quo vos Spíritus Sanctus pósuit epíscopos. * Régere Ecclésiam Dei, quam Deus acquisívit sánguine Fílii sui, allelúia.

℣. Quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. * Régere.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Amávit eum ut in Appendice, 655.

Vel alia:

E Vita beáti Pii papæ Quinti, auctóre Ioánne António Gabútio

(Lib. 1-6 [et Præf.]: Acta Sanctorum Maii, t. I, Antverpiæ 1680, pp. 618-697 passim, nn. 48, 49, 55, 56, 183, 319, 321, 322, 318 [1, 2])

Insigne christianæ humilitatis ac pietatis exemplum

Non tam lapídibus quam virtútibus rempúblicam a Pontifícibus ædificári Pius oportére dicébat.

Cum probe intellégeret ad regéndos cum quiéte ac moderatióne hómines nihil áptius esse quam díligi, nihil aliénius quam timéri; nec ulla re própius hómines ad Deum accédere, quam salúte homínibus danda; Pontifícii múneris inítia a caritáte in páuperes, et in álios liberalitáte atque cleméntia, vóluit exordíri. Román vero Pontíficis munus illud Pius dicébat esse præcípuum summa ope conníti, ut et divínus cultus, et ecclesiástica disciplína, et urbanórum ómnium mores integérrimi conserventur. Itaque in eam potíssimum curam incúbuit, ut religiónis cultum, ubi lapsus esset, ad prístinum splendórem revocáret, atque ómnium órdinum et vitam et mores ad veræ pietátis ratiónem restitúeret.

Iam vero cum nihil esset aut Deo magis invísum aut humáno géneri pestiléntius hærética pravitáte, Pius óptime perspíceret, ad hanc contagiónem ubíque terrárum radícitus evelléndam, tum in omni

vita sua tum in primis in pontificátu, et prudentíssimis consíliis, et piis cohortatiónibus, et humanissimis mónitis, nullis labóribus parcens aut impénsis, nihil non agéndum sibi esse perpétuo cogitávit.

Egrégia in Deum pietátis laude Pius excélluit. Eius cogitatiónes ita perpétuo ferebántur in Deum, ut rebus ómnibus divínum honórem eius et glóriam anteférret cuperétque nihil magis quam ut ad sanctíssimam illíus se voluntátem prorsus conformáret. Quos vero Christus Dóminus acerbíssimos pro nobis pértulit cruciátus iugi pæne memória pie recolébat; ob idque ipsíus Salvatóris de cruce pendéntis effígiem coram habére consuéverat.

Céterum hanc ipsam orándi ratiónem gravióribus in rebus conficiéndis perpétuo Pius servávit, nec ínterim tamen quidquam, de iis quæ ad offícium pertinérent suum, prætermittébat. Cogitábat enim Pontíficis munus esse præcípuum pro delíctis ac necessitátibus pópuli apud Deum intercédere; et proptérea familiárem et gratum se oportére esse ei, apud quem intercéssor esset constitútus. Itaque ad miscénda cum Deo collóquia a negótiis recurrébat idéntidem, ut intus a Deo dísceret quæ foris pópulum edocéret, et qui intus contemplatióne rapiebátur in Deum, foris hóminum ónera portans, hóminum salúti consúleret. In gravióribus Ecclésiæ necessitátibus et públicis ærúmnis gravióre se quoque affligébat abstinéntia, ut Deum homínibus propitiáret.

Beatíssimæ Vírgini Dei Matri ita se devóverat, nullum ut ágeret diem quo, vel dum summus esset Póntifex tantísque rebus occupátus, sacri quod vocant Rosárii præcatiónem non adhibéret. Factum plane vidétur non sine consílio divíno ut tanti Pontíficis, post mortem, memória et ossa non álius in orbe locus excíperet, nisi una Roma: atque ibi præcípue in basílica Sanctæ Maríæ Maióris. Ut vidélicet inde pontificálium eius virtútum exémpla posterórum mentes ad coléndam virtútem erudírent. Et qui beatís-

simæ Vírginis Dei Matris in omni vita fuit cultor egrégius, is nonnísi in eiúsdem Vírginis æde augustíssima post óbitum conquiésceret.

[Cuius históriæ utílitas non ad unum tantum hóminum genus sed ad omnes órdinum gradus vel máxime pértinet.

Religiósum fortásse profitéris institútum? En habes egrégium hic obœdiéntiæ, castimóniæ et paupertátis, et quod máxime admirére simul et imitére, in summa potestáte insígne christiánæ humilitátis ac pietátis exémplum.

Sæculáribus álius rebus addíctus, vel domi vel foris, rem aut públicam aut privátam adminístrat? Sed huic étiam non desunt hic pietátis prudentiæque plena consília, quibus instrúctus et própriæ et aliénæ cónsulens salúti, cuncta sapiénter moderétur.

Militáribus álii stúdiis ducúntur bellísque vel geréndis vel legéndis valde delectántur? Habent et hi salubérrima præcépta et quæ iucúnde pérlegant; non inánia aut profána, sed grávia eadémque pia bella máxima; et ómnium fere, quæ umquam de christiáni nóminis hóstibus reportátæ fúerint, victórias celebérrimas.

Hinc dénique habent, quod caput est, Pontífices et Epíscopi, unde ad rem ecclesiásticam omnem, sive ordinándam sive amplificándam petant exémpla, ad veræque religiónis cultum retinéndum magis ac magis incendántur.]

RESPONSORIUM Sir 47, 9. 10. 6

℟. In omni ópere suo dedit confessiónem Sancto et Excélso in verbo glóriæ; * De omni corde suo laudávit Dóminum, allelúia.

℣. Invocávit Dóminum Altíssimum et dedit in déxtera eius virtútem; * De omni corde.

Vel alia:

Ex Tractátibus sancti Augustíni epíscopi in Ioánnem
(Tract. 124, 5: CCL 36, 684-685)

Ecclesia fundata est super Petram,
quam confessus est Petrus
[LH II 1360]

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Laudem suprémi præsulis
Pii canámus súpplices,
ad Trinitátis glóriam
quæ se corónat cælites.

Advérsa mundi pértulit,
calcávit eius próspera,
in caritátis grátia
semper manens ditíssimus.

Spérnens opes cum cásibus
mundi, supérnis ínstitit,
liber cadúcis éxiit
nil ámbiens ex ínfimis.

Nunc póntifex te quæsumus,
nobis fave poscéntibus;
confer boni solácia
vitæ parándo prǽmia.

Sit Trinitáti glória,
virtus, honor per sæcula,
quæ nos beátis cælitum
semper iuvet suffrágiis.

PSALMODIA

Antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus: Series A, e Scripturis Sacris deprompta, pastorale munus Sancti evocat; series B, pariter biblica sed

gregoriana melodia ornata, pro Officio in cantu præsertim utilis.

Sicubi gradu festi celebratur, hæ antiphonæ cum psalmodia de dominica hebd. I dicendæ sunt.

Antiphona 1

Ser. A Elégit eum Dóminus sibi in sacerdótem magnum, et apériens thesáurum suum abundáre eum fecit ómnibus bonis, allelúia.

Ser. B Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, factus est mihi in salútem, allelúia.

Antiphona 2

Ser. A Lex veritátis fuit in ore eius, et iníquitas non est invénta in lábiis eius; in pace et æquitáte ambulávit mecum, et multos avértit ab iniquitáte, allelúia.

Ser. B Déxtera Dómini fecit virtútem; déxtera Dómini exaltávit me, allelúia.

Antiphona 3

Ser. A In bonitáte et alacritáte plácuit Deo; ídeo státuit illi testaméntum pacis, príncipem sanctórum fecit illum, ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum, allelúia.

Ser. B Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus, qui est in cælis, dicit Dóminus, allelúia.

LECTIO BREVIS 2 Cor 6, 4-7a

In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in ieiúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu Sancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Sacerdótes Dómini, benedícite Dóminum, * Allelúia, allelúia. Sacerdótes.

℣. Sancti et húmiles corde, laudáte Deum. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Sacerdótes.

Ad Benedictus, ant. Sacérdos Altíssimi ac virtútum spéculum, pastor bone in pópulo, qui placuísti Dómino, allelúia.

Vel, præsertim in cantu: Omnis sapiéntia a Dómino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum, allelúia.

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio

Deus, qui in Ecclésia tua beátum Pium papam ad fidem tuéndam ac te dígnius coléndum próvidus excitásti, da nobis, ipso intercedénte, vívida fide ac fructuósa caritáte mysteriórum tuórum esse partícipes. Per Dóminum.

Ad Horam mediam

Sicubi gradu festi celebratur, psalmi de feria currente cum antiphona de Tempore. Lectio brevis de Communi pastorum (LH II, 1584). Oratio ut supra.

Ad Vesperas

HYMNUS

Audi, Deus omnípotens,
preces tuórum súpplicum,
Pii præclári præsulis
sollémnia coléntium.

Insígnis miris áctibus
hic fulsit et virtútibus,
lucérna lucens ómnibus
domo Dei manéntibus.

Hic fuit vivens hóstia
in Petri summa cáthedra,

mactávit in se vítia
crucis feréndo stígmata.

Huius, o Christe, glória
iam factus et victória,
ipsíus per suffrágia
da nobis vitæ gáudia.

Sit, Christe, tibi glória
pro multifórmi grátia,
qui mundi post hæc stádia
das iustis vitæ præmia.

PSALMODIA

Sicubi gradu festi celebratur, psalmi, canticum et antiphonæ de Communi pastorum (LH II, 1587) vel, in cantu, antiphonæ ut ad Laudes matutinas.

LECTIO BREVIS 1 Cor 3, 10-11

Secúndum grátiam Dei quæ data est mihi, ut sápiens architéctus fundaméntum pósui; álius autem superædíficat. Unusquísque autem vídeat quómodo superædíficat; fundaméntum enim álius nemo potest pónere præter id, quod pósitum est, quod est Iesus Christus.

RESPONSORIUM BREVE

℟. In fide sua probátus est prophéta, * Allelúia, allelúia. In fide sua.

℣. Et cógnitus est in verbis suis fidélis. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. In fide sua.

Ad Magnificat, ant. Dómine, qui operáti sunt iustítiam habitábunt in tabernáculo tuo, et requiéscent in monte sancto tuo, allelúia.

Vel, præsertim in cantu: Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi, allelúia.

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

MAIUS

Die 4 maii

B. ÆMILIÆ BICCHIERI, VIRGINIS

Vercellis in Italia orta anno 1238, decimo nono ætatis suæ anno, religiosam professionem emisit in monasterio quod pater ædificandum curaverat. Pluries priorissa, humillima inter sorores erat ita ut viliora quæque domus ministeria lætissima obiret. Uni Deo adhæsione et pro acceptis ab eo beneficiis gratitudine eluxit. Præcipue coluit Passionem Salvatoris qui eam ad se vocavit die 3 maii, Inventione crucis sollemni, anni 1314. Clemens XIV die 19 iulii 1769 illius cultum confirmavit.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátæ Æmíliæ terréna cuncta despícere et te solum quærere tribuísti, eius méritis et imitatióne concéde ut, nosmetípsos abnegántes, te grato corde diligámus. Per Dóminum.

Die 7 maii

B. ALBERTI DE BERGAMO, PATRISFAMILIAS

In pago Villa d'Ogna in Italia natus circa annum 1214, uxorem duxit cuius molestias ob suam in pauperes liberalitatem patienter superavit. Viduus sine prole effectus, relictis paternis agris, Cremonam se contulit, ibique ut pauper christianus vixit, hæreticis pauperibus obsistens. S. Dominici tunc canonizati (1234) spiritum pænitentiæ et misericordiæ imitari cupiens, laicalem Fratrum de Pænitentia statum amplexus est (c. 1260), cuius ad Ordinem cooptationem, tamquam Ordo de Pænitentia sancti Dominici paulo post eius obitum (1279) plene sanxit Magister Munio de Zamora (1285). Apud conventum degens, impense « pro bono

fidei et pacis » adlaboravit, peregrinis quoque inserviens. Obiit die 7 maii 1279. Cultus ei ab immemorabili præstitus a Benedicto XIV die 9 maii 1748 approbatus fuit. Cuius corpus in pago Villa d'Ogna colitur.

De Communi sanctorum virorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui in húmili vitæ génere, veritátis zelo et apostólica caritáte, Beátum Albértum claréscere voluísti, fac nos ita eius sectári vestígia, ut ássequi mereámur et prǽmia. Per Dóminum.

Die 8 maii

PATROCINII BEATÆ MARIÆ VIRGINIS SUPRA ORDINEM PRÆDICATORUM UNIVERSUM

Consuevit in Ecclesia beatam Mariam Virginem « titulis Advocatæ, Auxiliatricis, Adiutricis, Mediatricis » invocari, indesinenter perdurante in gratiæ œconomia salutifero eius maternitatis munere, eo quod ipsa, « multiplici intercessione sua pergit in æternæ salutis donis nobis conciliandis » (*Lumen Gentium*, n. 62).

Quoniam vero, ut B. Humbertus de Romans asserit, « Ipsa [B. Virgo] fuit magnum adiutorium initiandi Ordinem ... et speratur quod ducit ad finem bonum » (*Opera* II, 70-71), Ordo noster inde ab initio eiusdem B. Virginis Patrocinium agnoscit, ipsumque « profiteri non dubitat, iugiter experitur et omnium — fratrum ac sororum — cordi commendat, ut hoc materno fulti præsidio Salvatori intimius adhæreant » (LG, n. 62) pro ardua salvifica missione in mundo adimplenda.

Usque ad novissimam Calendarii liturgici instaurationem, apud nos Patrocinium B. M. Virginis recolebatur die 22 decembris, anniversario approbationis Ordinis ab Honorio III (22 decembris 1216). Nunc autem, attenta præcedentia feriarum Adventus, quæ omnibus memoriis præponuntur, hæc Patrocinii celebranda commemoratio proponitur mense maii — qui peculiari devotioni solet B. M. Virgini in Ecclesia dicari —, et quidem die 8, quatenus in ea diversimode aliquod B. M. Virginis eiusdem rationis titulum in diversis Propriis liturgicis celebrandum recolitur.

Formularium huic celebrationi magis appropriatum eligi et adhiberi potest (cf. IGLH, nn. 245.252); vel ex Communi B. Mariæ V. (LH II, 1462), vel ex diversis Officiis de S. Maria in sabbato ut infra, 587, præter ea quæ sequuntur propria.

Ad Invitatorium

Ant. Patrocínium beátæ Maríæ Vírginis supra Ordinem celebrántes, iubilémus Dómino (T.P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Salvatórem mundi in domo Vírginis de Spíritu Sancto concéptum: * Veníte, adorémus (T. P. allelúia).

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Mole graváti críminum
ad te, regína cælitum,
confugiéntes, póscimus
nostris ut adsis précibus.

Ætérnæ vitæ iánua,
aurem nobis accómmoda,
per quam spes vitæ rédiit,
quam Eva peccans ábstulit.

Tu princeps, mater Príncipis,
vitam depósce fámulis,
et pæniténdi spátia
nobis indúlgens ímpetra.

Oránte te, sanctíssima,
sanctórum orant ágmina;
tuis, patróna, précibus
conciliétur Dóminus.

Regnátrix mater ómnium,
vota comple fidélium,

ac vitam nos post frágilem
ad veram perduc réquiem.

Sit laus Patri cum Fílio
et Spíritu Paráclito,
qui te præ cunctis cælica
exornavérunt glória.

Antiphonæ, psalmi, versus et lectio prior cum suo responsorio, de feria currente.

LECTIO ALTERA [***]

Ex Expositióne beáti Humbérti de Romans presbýteri super Constitutiónes Ordinis

(Opera de vita regulari, ed. J.-J. Berthier, vol. II, Romæ 1889, pp. 134-136)

Ordo noster
beatam Virginem habet specialem Patronam

Ex quibúsdam quæ circa princípium nostri Ordinis accidérunt, sunt multæ ratiónes quæ sumúntur per quæ potest cónici quod ipsa beáta Virgo María sit speciális Ordinis nostri *Patróna.* Ex iis — quæ audívi própriis áuribus — et áliis multis quæ scripta sunt in *Vitis fratrum*, vidétur quod illíus Ordinis, qui est ad laudándum, benedicéndum et prædicándum Fílium suum, ipsa sit speciális Mater, producéndo, promovéndo, defendéndo eúndem.

Unde et ipsi, tamquam speciáli Patrónæ, beátus Domínicus Ordinem commendábat in suis oratiónibus, sicut légitur in *Nova legénda.* Et inde est quod ipsi tamquam Matri per processiónem — sicut beáto Domínico per commemoratiónem — omni die recommendámus nos.

Concúrrunt autem multa ad commendatiónem patronátus eiúsdem.

Patronátus eórum qui sunt poténtes in cúriis est mélior: talis autem est ipsa. Facúltas ei deésse non póterit, quóniam Regína cælórum est. Unde in per-

sóna eius dícitur: *Et in Ierúsalem potéstas mea.* Item, quo est familiárior Dómino a quo impetrándum est áliquod, tanto mélior est eius patronátus: quæ autem potest esse maior familiáritas quam Matris ad Fílium? Quam próxima, immo quam íntima! Ideo dícitur: *Astitit regína a dextris tuis;* scílicet quasi familiáris tibi super omnes in illa cúria.

Item, quanto quis plus timétur ab adversáriis, tanto mélior est eius patronátus. Ipsa autem est hóstibus *terríbilis ut castrórum ácies ordináta.* Multum ergo sperári potest quod habéri fácile possit eius patronátus.

Non est enim incompátiens vel dura accedéntibus ad se: immo tota suávis invenítur, plena pietátis et grátiæ, plena mansuetúdinis et misericórdiæ. Ideo dícitur: *Suávis es.* Item, plus sperándum est de illíus adiutório, qui plus est obligátus indigénti. Ista autem multum est obligáta peccatóribus, quia eórum occasióne habet quidquid habet excelléntiæ. Ideo dícitur *virga,* egréssa *de radíce Iesse,* quod interpretátur incéndium, quia ex incéndio magni amóris quem hábuit Deus ad mundum, venit ad eam: et ídeo mundus fuit causa esse ipsíus.

Item, ipsa data est in patrocínium míseris, tamquam advocáta eórum, sicut et provisióne divína factum est ut Esther sublimáta in regnum, advocáta fíeret Iudáici pópuli. Sic ad beátam Vírginem secúre debémus accédere, cum ipsi incúmbat ex offício nostra negótia procuráre. Item, plus sperátur de illíus subventióne, cuius pia subvéntio multis experiméntis probáta est. Ipsa autem talis est, sicut exémpla innumerabília attestántur. Quis enim accéssit ad eam, et non subvénit ei? Affféctu compatiéndi ac subveniéndi effféctu, subvénit univérsis. Ideo dícitur: *Quasi olíva in campis,* non in hortis; de cuius fructu possunt omnes communicáre. Item súbvenit in ómnibus: ómnium necessitátes amplíssimo quo-

dam miserétur affléctu. Ubíque súbvenit. Semper súbvenit. Ideo dícitur: *Usque ad futúrum sæculum non désinam,* scílicet subveníre ómnibus.

Patet ergo, quantum sperári potest de eius subventióne, si fúerit invocáta fidéliter, cum sit suávis et pátiens accedéntibus ad se. Propter hoc dicit Paulus: *Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ* eius, hæc est enim thronus grátiæ Dei, quia ab ipsa egrediúntur multíplices grátiæ ad hómines. Sicut enim dícitur thronus iudícii unde egréditur iudícium, ita dícitur iuste thronus grátiæ unde egréditur grátia. Propter hoc ígitur quod tantum valére potest eius patronátus, quia tam fácile habéri potest, præferéndus est eius patronátus ómnibus áliis. Et ídeo fácimus quotídie processiónem in eius honórem, ut ipsam in cælo semper habeámus patrónam.

RESPONSORIUM Hebr 4, 16

℟. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, * Ut misericórdiam consequámur et grátiam inveniámus in auxílio opportúno (T. P. allelúia).

℣. Ad te, Virgo, suspirámus, geméntes et fléntes in hac lacrimárum valle. * Ut misericórdiam.

Vel alia:

Ex Enarratiónibus de beáto Domínico a beáta Cæcília tráditis

(Miracula beati Dominici, 7: ed. A. Walz, « Lateranum XIV », 1948, pp. 316-317)

Beato Dominico oranti beata Virgo apparuit et Ordinis curam se habere indicavit

Quadam vice, cum pernoctásset beátus Domínicus in oratióne in ecclésia usque ad médiam noctem,

egréssus ecclésiam intrávit dormitórium et pósuit se in oratióne in cápite dormitórii.

Cum staret in oratióne, respíciens ad áliam partem dormitórii, vidit tres dóminas pulchérrimas veniéntes, quárum ea quæ in médio erat matróna venerábilis púlchrior et dígnior cæteris videbátur. Una ex illis duábus portábat vas quoddam nimis spléndidum et pulchrum, áltera vero aspersórium et porrigébat illi dóminæ quæ erat in médio eárum. Illa autem dómina aspergébat fratres et signábat eos. Illa ítaque matróna dixit beáto Domínico: « Ego sum illa, quam omni sero invocátis. Et cum dicétis *Eia ergo, advocáta nostra*, prostérno me coram Fílio meo pro conservatióne Ordinis istíus ».

Et cum post hæc omnes fratres per circúitu signásset et aspersísset, dispáruit. Beátus vero Domínicus rédiit ad oratiónem in loco, ubi prius erat, et ecce súbito raptus fuit in spíritu ante Deum et vidit Dóminum et beátam Vírginem, quæ sedébat ad déxteram eius. Et videbátur ipsi beáto Domínico, quod Dómina nostra indúta esset cappa colóris saphíri.

Cum autem beátus Domínicus respíciens in circúitu de cunctis Ordínibus religiosórum vidéret ante Deum, de suo autem nullum vidéret, cœpit amaríssime flere, et stans a longe non audébat Dómino et eius Matri appropinquáre. Tunc Dómina nostra ínnuit ei manu, ut iret ad se. Ille autem non audébat accédere, donec eum Dóminus simíliter vocáret.

Accédens beátus Domínicus prostrávit se coram eis, amaríssime plorans. Dóminus dixit ei ut súrgeret. Cumque surrexísset, interrogávit eum Dóminus dicens: « Quare ita amaríssime ploras »? Qui ait: « Ideo ploro, quia de cunctis Ordínibus hic intúeor, de meo autem nihil perspício ». Et dixit ei Dóminus: « Vis vidére Ordinem tuum »? At ille respóndit tremens: « Etiam, Dómine ». Tunc beáta Virgo apéruit cappam, qua videbátur indúta, et expándit coram beáto Domínico, quæ tantæ magnitúdinis visa est

fuísse, ut totam cæléstem pátriam cápere viderétur, et subtus eam vidit fratrum multitúdinem copiósam.

Tunc beátus Domínicus prostérnens se grátias egit Deo et beátæ Maríæ matri eius, et vísio illa dispáruit. Statímque rédiit ad se et confestim pulsávit matutínum. Compléto Offício matutináli convocávit fratres ad capítulum et fecit magnum et pulchérrimum sermónem, adhórtans eos ad amórem et reveréntiam beátæ Maríæ Vírginis. Et inter cétera rétulit hanc visiónem eis.

[Hanc visiónem ipse beátus Domínicus soróri Cæcíliæ et áliis soróribus de sancto Xysto indicávit tamquam de álio díceret, sed fratres, qui cum eo erant, et ab ipso audíerant, innuébant soróribus ipsum esse.

Hæc ómnia quæ supra scripta sunt de beáto Domínico rétulit soror Cæcília, quæ cuncta ita vera esse asséruit quod si necésse fuísset ea iuráre paráta esset. Sed quóniam tantæ sanctitátis tantæque religiónis est, et eius sermóni símplici fácile credéndum sit, hæc quæ ex ore próprio indicávit, ad honórem et laudem Dómini nostri Iesu Christi et beáti Patris nostri Domínici et consolatiónem fratrum, a soróre Angélica eiúsdem convéntus sanctæ Agnétis in scriptis redácta sunt. Párcite stilo quia grammáticam pénitus ignórat.]

Responsorium

℟. Felix es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima, * Quia ex te ortus est Sol iustítiæ, Christus Deus noster (T. P. allelúia).

℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum iuvámen, quicúmque célebrant tuam commemoratiónem. * Quia ex te.

Vel alia:

E Lítteris Encýclicis *Redémptor hóminis* Ioánnis Pauli papæ Secúndi

(AAS 71, 1979, pp. 321-324)

Æternus Patris amor, qui per Filium est manifestatus, nobis offertur per hanc matrem

María est Mater Ecclésiæ, quia ex ineffábili electióne per ipsum Ætérnum Patrem perácta atque peculiári Spíritus Amóris operánte virtúte, vitam humánam dedit Fílio Dei, *propter quem ómnia et per quem ómnia* et a quo totus pópulus Dei grátiam et dignitátem electiónis suæ accépit. Próprius eius Fílius maternitátem Genetrícis suæ exténdere vóluit cum discípulum, quem potíssimum diligébat, ei ut fílium a summa cruce osténderet.

Spíritus Sanctus ei insinuávit, ut post Ascensiónem Dómini nostri in Cenáculo manéret, precatiónibus inténta et in exspectatióne una cum Apóstolis versans usque ad diem Pentecóstes, quo Ecclésia visibíliter nata est, quasi ex obscúro in médium pródiens. Exínde omnes generatiónes discipulórum et universórum, qui Christum profiténtur et amant — quemádmodum Ioánnes Apóstolus fecit — spirituáli ratióne accepérunt in sua eam Matrem, quæ hoc modo ab ipsis inítiis, id est a témpore Annuntiatiónis, in históriam salútis et in missiónem Ecclésiæ est insérta.

Nos cuncti ergo, qui hac ætáte generatiónem discipulórum Christi effícimus, peculiáriter ei cúpimus iungi, necessitáte fídei, spei et caritátis compúlsi. Re enim vera si peculiáriter nobis opus esse persentímus, ut ad Christum convertámur, probe arbitrámur néminem ut Maríam nos indúcere posse in ratiónem divínam mystérii Redemptiónis. Nemo ut María eo introdúctus est ab ipso Deo. In hoc quip-

pe singuláris índoles grátiæ maternitátis divínæ consístit. Non solum est única miniméque iterábilis huius maternitátis dígnitas in humáni géneris história, sed única étiam — quod áttinet ad eius profunditátem et ad amplitúdinem eius actiónis — participátio est, qua María, propter eándem maternitátem, consílio divíno de salúte humána communicávit per mystérium Redemptiónis.

Hoc ipsum mystérium, si ita loqui póssumus, sub corde Vírginis Nazarethánæ est efféctum, cum hæc illud *fiat* pronuntiávit. Ex quo témpore virgíneum eius simúlque matérnum cor, peculiári Spíritus Sancti operánte virtúte, semper Fílii sui opus perséquitur et ómnibus se óbviam dat, quos Christus inexháusta caritáte sua compléxus est et continénter compléctitur. Hac de causa étiam cor Maríæ item inexháusto affféctu matérno debet prædítum esse.

Nota autem huiúsce amóris matérni, quo Dei génetrix mystérium Redemptiónis et vitam Ecclésiæ proséquitur, exprímitur eo quod singuláriter hómini atque ómnibus eius vicissitudínibus próprius adest. In hoc enim mystérium Matris est pósitum. Ætérnus Patris amor, qui in história humáni géneris per Fílium est manifestátus, quem Pater dedit, *ut omnis qui credit in eum non péreat, sed hábeat vitam ætérnam*, nobis offértur per hanc Matrem atque hoc modo signa áccipit ad intellegéndum accommodatióra et facilióra cuíque hómini.

Ita fit, ut María in ómnibus viis cotidiánæ vitæ Ecclésiæ versétur opórteat. Eo quod ut Mater præsens adest, Ecclésia certum habet se reápse vitam vívere Magístri sui et Dómini, se e mystério vívere Redemptiónis cum tota eius vivificatória plenitúdine.

Enixe potíssimum Maríam, cæléstem Ecclésiæ Matrem, deprecémur, ut in hac oratióne, quæ in novo Advéntu fit humáni géneris, nobíscum manére dignétur, qui Ecclésiam effícimus, id est Corpus

mýsticum Fílii eius Unigéniti. Sperámus fore ut, huiúsmodi precatiónis vi, accipiámus Spíritum Sanctum superveniéntem in nos et hoc modo testes fiámus Christi *usque ad últimum terræ*, quemádmodum illi, qui die Pentecóstes e cenáculo hierosolymitáno exiérunt.

RESPONSORIUM Cf. Io 19, 26.27

℟. Cum vidísset Iesus Matrem, et discípulum, quem diligébat, stantes iuxta crucem, dixit Matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus; deínde discípulo: * Ecce Mater tua (T. P. allelúia).

℣. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. * Ecce Mater.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Maríæ, quæ mortálium, ut ad I Vesperas de Communi B. Mariæ V. (LH II, 1457), vel alius congruus ad libitum.

PSALMODIA

Antiphonæ appropriatæ adhiberi possunt, vel ex Communi B. Mariæ V. ut in LH II, 1474, vel ex formulariis nostris pro Officio de S. Maria in sabbato ut infra, 587.

LECTIO BREVIS Cf. Act 1, 11b. 12. 13a. 14

Postquam assúmptus est Iesus in cælum, revérsi sunt Apóstoli in Ierúsalem a monte, qui vocátur Olivéti, qui est iuxta Ierúsalem sábbati habens iter. Et cum introíssent, in cenáculum ascendérunt, ubi manébant. Omnes erant perseveránte unanímiter in oratióne cum muliéribus et María matre Iesu et frátribus eius.

RESPONSORIUM BREVE

Tempore per annum:

℟. Sancta María, mater Christi, * Audi rogántes sérvulos. Sancta.

℣. Et impetrátam nobis cælitus tu defer indulgéntiam. * Audi rogántes sérvulos. Glória Patri. Sancta.

Tempore paschali:

℟. Sancta María, mater Christi, audi rogántes sérvulos. * Allelúia, allelúia. Sancta.

℣. Et impetrátam nobis cælitus, tu defer indulgéntiam. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Sancta.

Ad Benedictus, ant. Benedícta et venerábilis sancta María, Virgo Dei Génetrix, cuius patrocínium celebrámus, ut intercéssio ipsíus sit pro nobis ad Dóminum (T. P. allelúia).

Vel: Ave, stella matutína, peccatórum medicína, mundi princeps et regína, sola Virgo digna dici: contra tela inimíci clípeum pone salútis tuæ títulum virtútis. O sponsa Dei elécta, esto nobis via recta ad ætérna gáudia (T. P. allelúia).

Preces congruæ ad libitum, vel de Communi B. Mariæ V.

Oratio

Fidélis et miséricors Deus, qui Prædicatórum Ordinem singulári beátæ Maríæ Vírginis patrocínio commíttere dignátus es, præsta quæsumus ut, sicut ipsa, in præsénti exstat vita dulcédo et spes nostra, ita Iesum, Fílium tuum, in vitæ éxitu nobis misericórditer osténdat. Qui tecum.

Vel ut ad Vesperas.

Ad Vesperas

Hymnus

Salve, mater misericórdiæ,
mater spei et mater véniæ,
mater Dei et mater grátiæ,
mater plena sanctæ lætítiæ.
(O María)

Vallis vernans virtútum líliis,
tota fluens summis delíciis,
mater sancta, tuis suffrágiis
condescénde nostris misériis.
(O María)

Te creávit Pater ingénitus,
obumbrávit te Unigénitus,
fecundávit te Sanctus Spíritus;
ipsis honor ex corde pénitus.
(O María)

Psalmodia

Elementa peculiaria huic commemorationi appropriata eligi possunt (cf. IGLH, nn. 245. 252) vel ex Communi B. Mariæ V. (LH II, 1479) vel aliunde.

Lectio brevis — Ap 12, 3a. 4cd. 5-6a

Visum est signum in cælo: ecce draco stetit ante mulíerem, quæ erat paritúra, ut, cum peperísset, fílium eius devoráret. Et péperit fílium, másculum, qui rectúrus est omnes gentes in virga férrea; et raptus est fílius eius ad Deum et ad thronum eius. Et múlier fugit in desértum, ubi habet locum parátum a Deo.

Responsorium breve

Tempore per annum:

℟. Sancta Dei Génetrix, * Virgo semper María. Sancta.

℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. * Virgo. Glória Patri. Sancta.

Tempore paschali:

℟. Sancta Dei Génetrix, Virgo semper María * Allelúia, allelúia. Sancta.

℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Sancta.

Ad Magnificat, ant. Cum iucunditáte patrocínium beátæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Iesum Christum (T. P. allelúia).

Vel: O gloriósa Dei Génetrix, Virgo semper María, quæ Dóminum ómnium meruísti portáre, et Regem Angelórum sola virgo lactáre: nostri, quæsumus, pia memoráre, et pro nobis Christum deprecáre, ut tuis fulti patrocíniis ad cæléstia regna mereámur pervenire (T. P. allelúia).

Preces congruæ ad libitum, vel de Communi B. Mariæ V.

Oratio

Deus, qui beatíssimæ Vírginis Maríæ singulári patrocínio Ordinem Prædicatórum ad animárum salútem instítui, eiúsque perpétuis benefíciis cumulári voluísti, præsta supplícibus tuis ut, cuius hódie commemoratiónem cólimus, illíus protécti auxíliis ad cæléstem glóriam perducámur. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas.

Die 10 maii

S. ANTONINI DE FIRENZE, EPISCOPI

Memoria obligatoria

Antoninus Pierozzi, Florentiæ anno 1389 natus, a B. Ioanne Dominici, qui tunc reformationi conventuum iussu B. Raimundi de Capua intendebat, in Ordine receptus est « pro conventu futuro Fæsulano » anno 1405. Cortonæ novitiatu expleto, Fæsulis ubi novum reformationis centrum erigebatur (1406), propriæ formationi attendit, primus illius con-

ventus filius. Sacerdos factus (1413), vitæ austeritate, prudentia et doctrina prænitens, continuo inde ab anno 1418 Fratres ut prior rexit et ad plenitudinem vitæ promovit Cortonæ, Fæsulis, Neapoli, Romæ ubi auditor Rotæ effectus est clarusque Iuris canonici magister.

Sumptibus nobilis viri Cosmatis de Medicis anno 1435 præclaro S. Marci conventu Florentiæ ædificato, eidem præfuit ut prior (1436-44) eo ipso tempore quo B. Angelicus in eo divina pingebat et quo, studiis humanitatis pulchre in ipso florentibus, prima in Europa bibliotheca omnibus reserata est (1443). Vicarius generalis Observantiæ in Italia ab anno 1437 effectus, Concilio Florentino interfuit (1438) ac demum archiepiscopus florentinus renuntiatus est (1446) ab Eugenio IV, cognita illius sapientia qui communi elogio « Antoninus consiliorum » vocabatur.

Boni pastoris charismate insignitus, archiepiscopus fuit optimus: vigilanti cura præsens, in pauperes sollicitus, absconditos præsertim pro quibus societatem « Bonorum virorum S. Martini » instituit, hodiernæ rationem socialis adsistentiæ ac servitii præcurrens, beneficus ipse adeo ut omnibus se privaret, reformator cleri severus sed moderatus, pastor, catechista, prædicator præcipue. Multa scripsit doctrina et caritate plena: opus eius princeps, *Summa moralis*, testatur illum maximum fuisse illius scientiæ magistrum. Obiit die 2 maii 1459. Hadrianus VI die 31 maii 1523 ipsum sanctorum catalogo adscripsit.

De Communi pastorum (LH II, 1564), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Christum, pastórum príncipem, veníte, adorémus, allelúia.

Vel, præsertim in cantu: Adorémus sacerdótem magnum Christum: * In festivitáte sancti præsulis Antoníni, allelúia.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Atræ noctis obscúritas
Antoníni fulgóribus
fugátur, qui prodígiis
vitæ et signórum rádiat.

Virginitáte níveus,
doctrínæ luce spléndidus,
præsul et pastor óptimus,
clarum virtútis spécimen.

Pauper amávit páuperes,
in míseros miséricors,
intrépidus in pérditos,
plusquam mitis in húmiles.

Prædicatórum Ordinem
delégit inter céteros,
ut lítteris et móribus
incúmberet ardéntius.

Deo Patri sit glória,
eiúsque soli Fílio,
cum Spíritu Paráclito,
et nunc et in perpétuum.

Sicubi gradu festi celebratur:

PSALMODIA

Ant. 1 Beátus Antonínus, ad præsulátum quasi ad cruciátum raptus, doctrína et móribus gregem suum pavit, allelúia.

Psalmi et canticum de Communi pastorum (LH II, 1566).

Ant. 2 Constánti péctore pro lege Dei advérsus ímpios murum se válidum oppósuit, allelúia.

Ant. 3 Accépit disciplínam et non pecúniam: doctrínam magis quam aurum elégit, allelúia.

℣. Audies de ore meo verbum, allelúia.
℟. Et annuntiábis eis ex me, allelúia.

LECTIO PRIOR

De libro Iob 29, 7-17. 21-25

Pater pauperum et mærentium consolator

Quando procedébam ad portam civitátis, et in platéa parábam cáthedram mihi, vidébant me iúvenes et abscondebántur, et senes assurgéntes stabant. Príncipes cessábant loqui et dígitum superponébant ori suo. Vocem suam cohibébant duces, et lingua eórum paláto suo adhærébat. Auris áudiens beatificábat me, et óculus videns testimónium reddébat mihi. Eo quod liberássem páuperem vociferántem et pupíllum, cui non esset adiútor.

Benedíctio peritúri super me veniébat, et cor víduæ iubiláre feci. Iustítia indútus sum et vestívi me, sicut vestiménto et diadémate, iudício meo. Oculus fui cæco et pes claudo; pater eram páuperum et causam viri ignóti diligentíssime investigábam. Conterébam molas iníqui et de déntibus illíus auferébam prædam.

Qui me audiébant blandiebántur, et intênti tacébant ad consílium meum. Verbis meis áddere nihil audébant, et super illos stillábat elóquium meum. Exspectábant me sicut plúviam, et os suum aperiébant quasi ad imbrem serótinum. Si quando ridébam ad eos, non credébant, et lux vultus mei non cadébat in terram. Si voluíssem ire ad eos, sedébam primus; cumque sedérem quasi rex, circumstánte exércitu, eram tamen mæréntium consolátor.

RESPONSORIUM Iob 29, 14-16; 1 Cor 9, 22b

℟. Iustítia indútus sum, et vestívi me, sicut vestiménto et diadémate, iudício meo: * Pater eram páuperum, óculus fui cæco et pes claudo, allelúia.

℣. Omnibus ómnia factus sum, ut áliquos útique fácerem salvos. * Pater eram.

LECTIO ALTERA [***]

Ex Sermónibus sancti Antoníni epíscopi

(Cod. ms. 308, 126-128: Biblioteca Riccardiana, Firenze)

Lignum vitæ Christus crucifixus est afferens fructus ad salutem

Ait in Apocalýpsi Ioánnes: *Osténdit mihi Dóminus lignum vitæ ex utráque parte flúminis áfferens fructus.* Lignum vitæ Christus crucifíxus est, qui dícitur esse ex utráque parte flúminis, quia patres Véteris et Novi Testaménti per ipsum salváti sunt. Et ipse Deus in cruce affert fructus universáles ad salútem humáni géneris per lignum crucis prodúctos, ut in figúra habémus. Quorum quáttuor considerántur respéctu humáni géneris.

Primus fructus est prétium nostræ redemptiónis, quia sicut dicit Ambrósius: tantum fuit peccátum nostrum, quod rédimi non poterámus nisi Unigénitus Dei Fílius morerétur pro nobis debitóribus. Et rátio huius est, quia culpa humáni géneris erat infiníta ex parte illíus quem offéndit, et ex parte boni quo privátur, et ex parte natúræ quam infécit. Ideo necessárium fuit, quod purgarétur per passiónem domínicam. Et hoc est quod dicit Petrus: *Non corruptibílibus auro vel argénto redémpti estis de vestra vana conversatióne, sed pretióso sánguine quasi Agni incontamináti et immaculáti Christi.*

Secúndus fructus est privilégium divínæ dilectiónis. Donária enim consuevérunt excitáre hómines ad amórem, et maius donárium ad maiórem amórem, iuxta illud: *Cui plus dimíttitur, plus díligit.* Sed illud est maius donárium, quod plus dilígitur. Sed inter ómnia diligibília, infra primum diligíbile, magis diligíbilis est vita. Qui ergo suam vitam dat pro amíco, máximum tríbuit donárium iuxta illud Bernárdi: super ómnia reddit te mihi amábilem, bone Iesu, calix quem bibísti, opus redemptiónis nostræ.

Tértius fructus est scutum nostræ defensiónis. Ante passiónem Christi multi in idolatríam labebántur nec póterant diábolo resístere. Sed post passiónem Christi, débilis est hostis efféctus, ita ut nullus possit vinci vel succúmbere nisi velit, sicut dicit Gregórius: débilis est hostis qui non vincit nisi voléntem. Hoc autem consecúti sumus per ipsíus mortem, propter quod dícitur: *Ipsi vicérunt eum propter sánguinem Agni.* Hic quidem sanguis debet esse per fidem in óculis fidélium per quem animéntur ad pugnam iuxta illud: *Recogitáte eum qui talem advérsus semetípsum a peccatóribus sustínuit contradictiónem, ut non fatigémini ánimis vestris deficiéntes.*

Quartus fructus est fastígium nostræ exaltatiónis. Máxima quidem esset exaltátio alicúius civitátis, si de ea eligerétur áliquis in imperatórem qui toti mundo imperáret, vel Summus Póntifex qui toti Ecclésiæ præésset. Et secúndum hunc modum magna est dígnitas humánæ natúræ, quia Christus per mortem, quam in humána natúra sustínuit, quod est super omne nomen recépit iuxta illud: *Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen.* Et in hac natúra in qua passus est debet univérsam creatúram iudicáre, secúndum illud: *Constitútus a Deo iudex vivórum et mortuórum. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent remissiónem peccatórum accípere per Nomen eius omnes qui credunt in eum.*

RESPONSORIUM Col 3, 1-3

℟. Si consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quǽrite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens: * Quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram, allelúia.

℣. Mórtui enim estis et vita vestra abscóndita est cum Christo. * Quæ sursum sunt sápite.

Vel alia:

E Prólogo Summæ morális sancti Antoníni epíscopi
(Summa Theologiæ, Pars I, t. I,
Veronæ 1740 [Graz 1959], coll. 1-3)

Mundus docet nos sapientiam, non solum de divinis sed etiam de agendis

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine! Omnia in sapiéntia fecísti; impléta est terra possessióne tua. Contemplátur prophéta in excéssu mentis pósitus divínam maiestátem, stupefáctus ad magnitúdinem bonitátis eius, quam manifféstat in opéribus suis, et ad ipsum lóquitur. Ubi et mystérium sanctíssimæ Trinitátis satis demonstrátur, cuius suffrágium semper et postuláre et expectáre debémus, ut ópera bona nostra quæ sunt sua ad finem perdúcat. Sine eo enim summo nulla natura subsístit, ait Plato, nulla rátio intéllegit, nulla áctio éxpedit, nec eo prætermísso, ullum rite fundátur exórdium.

In primis ígitur insínuat miram poténtiam quæ Patri attribúitur, ibi: *Magnificáta sunt ópera tua, Dómine.* Secundo exímiam sapiéntiam quæ Fílio adícitur, ibi: *ómnia in sapiéntia fecísti.* Et tértio nímiam ad nos benevoléntiam quæ Spirítui Sancto ascríbitur, ibi: *impléta est terra possessióne tua.*

Quantum ad primum dicit Mardochæus loquens ad Deum de sua mira poténtia quam osténdit in creatióne: *Dómine rex omnípotens, in ditióne tua cuncta sunt pósita ... Tu enim fecísti cælum et terram et quidquid cæli ámbitu continétur.* Ubi osténditur sua poténtia máxima Patri attribúta de níhilo cuncta fáciens, non ex præiacénti matéria, ut ártifex.

Quantum ad secúndum dícitur: *fons sapiéntiæ Verbum Dei in excélsis. Et ómnia per ipsum facta sunt.* Est enim Verbum Fílius Dei quasi ars quædam omnipoténtis Patris per quam et in qua cum summa ratióne et óptima facta sunt ómnia: *ómnia in sapiéntia fecísti.* Et quia sapiéntis est or-

dináre, hinc est quod ómnia cum máximo órdine facta sunt ut ómnia téneant locum suum sibi decéntem. Ex quo appáret pulchritúdo univérsi, et mundum divína providéntia regi. Omnia útique in sapiéntia fecísti.

Demum ipse mundus velut quidam liber scriptus intus et foris qui docet nos sapiéntiam, non solum de divínis cognitiónem secúndum illud: *invisibília enim ipsíus*, scílicet Dei, *a creatúra mundi, per ea quæ facta sunt intellécta, conspiciúntur*, sed étiam docet sapiéntiam de agéndis secúndum illud: *intérroga iuménta et docébunt te, et volatília cæli, et indicábunt tibi. Lóquere terræ, et respondébit tibi, et narrábunt pisces maris*, dum ómnibus præcéptum quod pósuit ut fáciant ad quod creáta sunt, numquam prætéreunt, se áliis commúnicant, terra fructíficat et árbores et nihil otiósum, et multa et innúmera documénta nobis tríbuunt ex proprietátibus suis ad bene vivéndum; et sic *ómnia in sapiéntia fecísti*, id est ad dandum nobis sapiéntiam ex eis.

Quantum ad tértium appáret certe eius ad nos nímia benevoléntia, quia ómnia fecit Deus propter hóminem, ait Augustínus, quæ cum tanta poténtia et sapiéntia facta sunt. Et hoc est, quod subdit: *impléta est terra possessióne tua*. Terra homo est, quia terram gerit, in quam revértitur, terram terit, de terra exsístit. Et istam implévit Deus possessióne sua.

Póssidet Deus cæléstia, terréstria, divína. Et his ómnibus *implévit terram*, id est hóminem terréstria dans ad usum: *ómnia subiecísti sub pédibus eius*. Cæléstia, id est Angelos ad ministérium: *nonne administratórii omnes spíritus sunt, missi in ministérium* eórum? Quid magis Deus póssidet quam fílium suum? et hóminem Deo implévit, quando *Verbum caro factum est. Sic Deus diléxit mundum*, minórem vidélicet hóminem, *ut Fílium suum Unigénitum daret*. Unde apérte dici potest: *impléta est terra possessióne tua*.

RESPONSORIUM Cf. Ps 103, 24; Prov 3, 19

℟. Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine, ómnia in sapiéntia fecísti. * Impléta est terra possessióne tua, allelúia.

℣. Sapiéntia fundásti terram, Dómine, stabilísti cælos prudéntia. * Impléta.

Vel, præsertim in cantu Responsorium prolixum Omni témpore, ut in Appendice, 655.

Vel alia:

E Vita sancti Antoníni epíscopi, auctóre Francísco Castilionénsi

(Positio pro Doctoratu, Romæ 1975, col. VII-VIII)

De beati Antonini pastorali sollicitudine

Antonínus trédecim annis ómnium hóminum admiratióne pontificátum gessit. Primum ómnium domi famíliam modestíssimam habére vóluit, eámque non magnam, sed quæ vix offíciis necessáriis satis fáceret. Omnémque pompam omnémque luxum a victu vestitúque suo et suórum elíminans, nullam hábuit supelléctilem, nullum apparátum, non áurea vasa, non argéntea, non canes, non equos, ut pleríque prælatórum fáciunt; unum tantum párvulum mulum, qui étiam ei dono datus fúerat, domi pro extréma necessitáte retinébat. Aiébat non decére prælátum bona páuperum in nutriéndas béstias aut in quemvis álium supérfluum luxum consúmere.

Procuratóri soli ómnium colligendórum frúctuum proventuúmque ac totíus rei familiáris administratiónem relinquébat, réliquam pastorális curæ sollicitúdinem sibi reservábat. Univérsam æque famíliam, quam sæpe número in timóre Dei vívere hortabátur, óptimo victu, seclúso tamen semper luxu supérfluo, pasci iubébat.

Ipse cibis commúnibus vescebátur, in hisque mínime curiósus. Surgébat noctu semper, adeóque sollícite, ut signum Matutíni offícii cathedrális ecclésiæ præveníret. Cumque Divínum Offícium cum suis cléricis, magna cum attentióne et mentis elevatióne, persolvísset réliquum, quod erat témporis, usque ad horam diéi tértiam, lectióni sacræ aut componéndis libris tribuébat.

Hora tértia Missam celebrábat, quam numquam nisi magna urgénte necessitáte reliquísset. Celebráta Missa, quod rélinquum erat diéi, totum in curæ pastorális sollicitúdine, usque ad seram noctem, præter id témporis, quod necessitáti córporis condonábat, consummábat.

Confluébant ad eum omnes causæ civitátis, nedum clericórum, sed et laicórum plúrimæ, qui de commúni consénsu eas in illum, tamquam in óptimum ac iustíssimum cognitórem, reiciébant. Síngulis vero diébus religiósis viris quamplúrimis domus eius referta erat, qui partim eleemósynas (ómnia enim bona sua in páuperes distribuébat) partim de rebus dúbiis certíssima verissimáque ab eo iúdicia reportábant.

Tanta enim erat in eo sacrárum litterárum cognítio, tanta consuetúdo, tanta dénique in consuléndo experiéntia, ut non solum cives, verum et ádvenæ plúrimi, príncipes ac prælati, de rebus gravíssimis eius sententiam plúrimi fácerent. Ob quam rem étiam ántea frater Antonínus consiliórum appellári cœperat: sic enim ut plúrimum diminutíve, ántequam póntifex fíeret, vocári consuéverat.

RESPONSORIUM Cf. 2 Tim 4, 7.8

℟. Vir Dei Antonínus, cum bonum certámen certásset, cursum consummásset, fidem servásset, in agóne mortis pósitus lætánter dixit: * Servíre Deo regnáre est, allelúia.

℣. De réliquo repósita est mihi coróna iustítiæ. * Servíre Deo.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Doctor insígnis, veneránde præsul,
te sacerdótum populíque turba
corde prostráto vigilíque poscit
cármine patrem.

Vota cunctórum rélevans in aula
regis ætérni, fóveas utrúmque
órdinem, cuius pius exstitísti
pastor in terris.

Móribus sanctis decoráre vitam
confer, et puram placidámque mentem;
corda virtútum mediténtur arma
múnere Christi.

Impetra nobis, quóties rogáris,
grátiæ, pastor, stúdium supérnæ;
crédimus magnum, Dómino favénte,
te dare munus.

Laus, honor Patri parilíque Proli,
una maiéstas, éadem potéstas,
cum quibus Sanctus simul implet omnem
Spíritus orbem.

PSALMODIA

Ant. 1 Grátias ago ei, qui me confortávit, Christo Iesu, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério, allelúia.

Hæ antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus. Sicubi vero gradu festi celebratur, cum psalmodia de dominica hebd. I dicendæ sunt.

Ant. 2 Elégit Dóminus servum suum páscere hereditátem suam, allelúia.

Ant. 3 Ego pascam oves meas: quod períerat, requíram; et quod abiéctum erat, redúcam, allelúia.

LECTIO BREVIS 1 Th 2, 2b-4

Fidúciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non ex erróre neque ex immundítia neque in dolo, sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis evangélium ita lóquimur non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra.

RESPONSORIUM BREVE

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os eius * Allelúia, allelúia. In médio.

℣. Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus * Allelúia, allelúia. Glória Patri. In médio.

Ad Benedictus, ant. Suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui iuxta cor meum et ánimam meam fáciet; et ædificábo ei domum fidélem, et ambulábit coram me cunctis diébus, allelúia.

Vel, præsertim in cantu: In humilitáte magnus, in paupertáte dives, in córpore ángelus: o beáte Antoníne, ora pro nobis, quæsumus, allelúia.

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio

Deus, qui beátum Antonínum epíscopum sapiéntiæ dono mirábilem effecísti, infúnde quæsumus, fámulis tuis spíritum intellegéntiæ, veritátis et pacis, ut, quæ tibi plácita sunt, toto corde cognóscant et ágnita tota virtúte secténtur. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas.

Sicubi gradu festi celebratur:

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS Gal 6, 9-10

Bonum faciéntes infatigábiles, témpore enim suo metémus non deficiéntes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máxime autem ad domésticos fídei.

℣. Invéntus est sine mácula et perféctus est, allelúia.

℟. Erit illi glória ætérna, allelúia.

Ad Sextam

LECTIO BREVIS Rom 13, 8-10

Némini quidquam debeátis nisi ut ínvicem diligátis: qui enim díligit próximum, legem implévit. Nam: Non adulterábis, non occídes, non furáberis, non concupísces, et si quod est áliud mandátum, in hoc verbo instaurátur: Díliges próximum tuum tamquam teípsum. Diléctio próximo malum non operátur; plenitúdo ergo legis est diléctio.

℣. Beati qui esúriunt et sítiunt iustítiam, allelúia.

℟. Quóniam saturabúntur, allelúia.

Ad Nonam

LECTIO BREVIS Cf. Is 58, 10-11

Cum effúderis esuriénti ánimam tuam et ánimam afflíctam satiáveris, oriétur in ténebris lux tua, et calígo tua erit sicut merídies. Et te ducet Dóminus semper, et satiábit in locis áridis ánimam tuam, et ossa tua firmábit; et eris quasi hortus irríguus et sicut fons aquárum, cuius non defícient aquæ.

℣. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, allelúia.

℟. Et misericórdiam a Deo salutári suo, allelúia.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

HYMNUS

Lumen ætérnum moderátor témporum,
alme bonórum propagátor ómnium,
palmam invíctis lárgiens milítibus
qui te sequúntur laureáti glória,

Festum coléntes tui sacri præsulis
laudes devóti tibi Deo cánimus,
cuius obténtu mereámur scándere
aulam præcélsam cum triúmpho móneris.

Te nunc orámus, sancte Dei póntifex:
posce ut nobis tribuátur vénia
cunctis subáctis vitiórum séntibus,
atque perénnis augeátur grátia.

Laus, honor, virtus atque iubilátio
Patri Natóque simul et Paráclito,
qui domináture trinus et unus Deus,
et regnum eius in ætérna sæcula.

PSALMODIA

Hæ antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus. Sicubi vero gradu festi celebratur, hæ antiphonæ vel, præsertim in cantu, series ex Officio lectionis cum psalmodia de Communi pastorum (LH II, 1587) dicendæ sunt.

Ant. 1 Pater erat páuperum; óculus fuit cæco et pes claudo, allelúia.

Ant. 2 In agóne mortis pósitus lætánter dixit: Servíre Deo regnáre est, allelúia.

Ant. 3 In humilitáte magnus, in paupertáte dives, in córpore ángelus, allelúia.

LECTIO BREVIS Col 1, 9b-11

Impleámini agnitióne voluntátis Dei, in omni sapiéntia et intelléctu spirituáli, ut ambulétis digne

Dómino per ómnia placéntes, in omni ópere bono fructificántes et crescéntes in sciéntia Dei, in omni virtúte confortáti secúndum poténtiam claritátis eius, in omnem patiéntiam et longanimitátem cum gáudio.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Lex veritátis fuit in ore eius * Allelúia, allelúia. Lex veritátis.
℣. Et iníquitas non est invénta in lábiis eius * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Lex veritátis.

Ad Magnificat, ant. Dux fídei, vir consílii, sacerdótum spéculum, civitátis tuæ lumen, fecísti quæ docébas; ora pro nobis Dóminum, allelúia.

Vel, præsertim in cantu: Te vírginum chorus laudat, te doctórum cœtus prædicat, te unánimi voce sancti præsules præsulem admirántur. O beáte Antoníne, nos te quoque laudántes patérnis semper óculis intuére, allelúia.

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio

Deus, qui beátum Antonínum epíscopum dono consílii mirábilem effecísti, concéde ut, in huius vitæ ténebris ambulántes, lúmine supérno, quæ sint nobis agénda, eius intercessióne discámus. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas.

Die 12 maii

B. IOANNÆ DE PORTUGALLIA, VIRGINIS

Ioanna, Alphonsi V Portugalliæ regis filia, nata anno 1452, primum in aula regia vixit et, patre absente, regnum quoque rexit. Pietas erga Iesu Christi passionem, meditationem, austeritatem et misericordiam erga miseros illi inspi-

ravit. In Aveyrense monasterium Ordinis sancti Dominici, paternis superatis molestiis, se recepit (die 4 augusti 1472), ibique mortua est ætatis suæ anno trigesimo octavo, die 12 maii anno 1490, post vitam humilem ac pœnitentem pro peccatorum conversione et christianorum in Africa captivorum liberatione. Innocentius XII die 31 decembris 1692 illius cultum confirmavit.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui inter regáles delícias et mundánas vanitátes Beátam Ioánnam virtúte constántiæ roborásti, quǽsumus ut, eius intercessióne, fidéles tui terréna declínent, et ad cæléstia semper aspírent. Per Dóminum.

Die 13 maii

B. IMELDÆ LAMBERTINI, VIRGINIS

Imelda, « alias in sæculo dicta Maria Magdalena de Lambertinis », nobilibus parentibus, orta est Bononiæ ineunte sæculo XIV. Inde a primæva iuventute ut « soror monialis » Ordinis sancti Dominici recepta est in monasterio Vallis Petræ, prope Bononiam, ubi adhuc « iuvencula » die 12 maii anno 1333 obiit, in pervigilio dominicæ Ascensionis, post mirandam — ut tradunt antiquæ « memoriæ » — Eucharistiæ receptionem. In Martyrologio monasterii inscriptum fuit: « Quarto Idus maii ... obiit soror Imelda de Lambertinis, cui in vita hostia de cælo sibi demissa, a sacerdote accepta, communicata fuit coram multis »; cui alia hinc deprompta « memoria » addit: « et subito emisit spiritum ».

Eius corpus e pristino sepulcro monasterii Vallis Petræ, ubi honorifice conditum fuerat, anno 1582 translatum fuit in novum monasterium sanctæ Mariæ Magdalenæ, intra mœnia civitatis Bononiæ, quo moniales inde ab anno 1566 migrare debuerant iussu Pii V papæ, ibique permansit usque ad suppressionem Napoleonicam, cum in ecclesiam sancti Sigismundi translatum fuit, et adhuc hodie exstat, fidelium venerationi expositum. Cultus publicus, eidem beatæ præstitus, approbatus est a Leone XII, die 20 decembris 1826.

Voluntate sancti Pii X, Imelda cælestis patrona et exemplar assignata fuit parvulis ad mensam eucharisticam primo accedentibus.

De Communi virginum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui Beátam vírginem Iméldam, igníto sacri tui convívii amóre sauciátam, in cælum suscepísti, fac nos, eius intercessióne, eódem caritátis fervóre ad sacram mensam accédere, ut appetámus dissólvi et esse tecum mereámur. Qui vivis.

Die 15 maii

B. ÆGIDII DE VAOZELA, PRESBYTERI

Vaoselæ, castro diœceseos Visensis, in Portugallia, anno circiter 1190 natus est, nobili patre Roderico Pelagio Valladares. Parisiis, ubi in medicinæ facultate docebat, dissoluta vivendi ratione abdicata — pio, ut traditur, beatæ Virginis interventu —, anno circiter 1224, una cum Humberto de Romans, Ordinem Prædicatorum ingressus est, et beato Iordano de Saxonia, eiusdem Ordinis Magistro, familiariter usus est. In patriam reversus, prædicatione assidua et exemplo, quamplurimos, pertinaces præsertim errantes, in viam salutis adduxit. Interdum Provinciæ Hispaniæ præfuit (1233-45). Moriturus, cilicium induens super stratum collocari voluit ac magna suavitate fratres consolatus est. Obiit in conventu Scalabitano [vulgo Santarem] die 14 maii 1265 in Ascensione Domini. Illius cultus a Benedicto XIV die 9 maii 1748 confirmatus fuit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Misericórdiam tuam, Deus, súpplices implorámus, ut sicut ea præveniénte Beátum Ægídium in viam iustítiæ et sanctitátis redíre fecísti, ita nos e servitúte ac morte peccáti in perféctam tránsferas libertátem et vitam. Per Dóminum.

Eodem die 15 maii

B. ANDREÆ ABELLON, PRESBYTERI

Andreas Sancti Maximini in Gallia anno 1375 natus, adulescens Prædicatorum habitum induit in conventu Sanctæ Mariæ Magdalenæ dicato cuius claustrum perfecit. Studiis et artibus liberalibus nitens, theologiam docuit Monte Pessulano, Parisiis et Avenione, sed præcipue prædicationem exercuit in Provincia [Provence] et in Comitatu Venassino. Civitatem Aquensem in primis dilexit cuius cives consolatus est immani pestilentia oppressos. Disciplinam regularem restauravit in cœnobiis quæ rexit « longanimitate potius et virtutum suarum exemplo quam præproperis agendi rationibus ». Obiit Aquis Sextiis [Aix-en-Provence] die 15 maii 1450. Leo XII die 19 augusti 1902 illius cultum confirmavit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui ad evangélium pacis prædicándum et regulárem vitam promovéndam, Beátum Andréam presbýterum elegísti, eius nobis intercessióne concéde ut, fídei præcónio insisténtes, Christi iugum tóllere fidéliter valeámus. Qui tecum.

Die 19 maii

B. FRANCISCI COLL GUITART, PRESBYTERI

In pago Gombreny in Catalaunia natus est anno 1812, decimus ac postremus filius lanae carminatoris. Ruri commorans prima studiorum elementa pueros docebat. Anno 1830 habitum Ordinis Gerundæ [Gerona] induit, ibique, sollemnibus votis nuncupatis, usque ad diaconatum degit. Ab anno 1835 extra conventum vivere coactus, dominicanam professionem numquam intermisit immo et intensius aluit. Superiorum beneplacito anno 1836 titulo paupertatis sacerdotio auctus et ministerio parœciali assignatus, postea prædicationi itineranti totaliter apostolico zelo intendit. Pro laicis Ordinis et cum illis impense adlaborans, Congregationem quoque regularem sororum instituit, ab Annuntiatione postea

nuncupatam, pro educanda iuventute. Cæcus obiit Vici [Vich] die 2 aprilis 1875. A Ioanne Paulo II sollemniter beatorum cœtui adscriptus est die 29 aprilis 1979.

De Communi pastorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui ad evangelizándum nomen Fílii tui et ad pópulum christiánum in pietáte erudiéndum Beátum Francíscum presbýterum elegísti, eius intercessióne, concéde ut fides vera, per prædicatiónis ministérium, indesinénter suscitétur et crescat. Per Dóminum.

Die 21 maii

B. COLUMBÆ DE RIETI, VIRGINIS

Die 2 februarii anno 1467 Reate, in Italia, orta est Angiolella Guadagnoli. Adhuc adulescens Christi passionem fervide colens aspero cilicio utebatur. Sororum de Pœnitentia habitu induto Reate, exempla Senensis virginis Catharinæ imitari satagens, amabilis et actuosa ad pauperes, infirmos ac morientes adfuit, immo reos quoque et capite plectendos. Perusiam, a factionibus divisam, contendit ibique in monasterio a se fundato Sororum regularium se recepit atque ad pacem promovendam tantum inde adlaboravit ut « Columba pacis » cognominaretur. Antequam moreretur, ætatis suæ anno trigesimo quinto, die Ascensionis, 20 maii 1501, magistratus convocavit qui monasterium ædificandum curaverant eosque adhortata est ad fratres diligendos ut Patre communi digni essent, quoniam odium iram Dei accendit et lacrimæ vi oppressorum condemnant potentes. Urbanus VIII cultum ei præstitum confirmavit, die 25 februarii 1627.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum: pro iis quæ opera misericordiæ exercuerunt.

Oratio

Deus, qui Beátam Colúmbam, vírginem tibi gratam, vitæ innocéntia ac pacis stúdio dignátus es illustráre, concéde ut, eius eruditióne, in unitáte concórdes, puris tibi méntibus serviámus. Per Dóminum.

Die 24 maii

TRANSLATIONIS S. P. DOMINICI, PRESBYTERI

Memoria obligatoria

Bononiæ, in ecclesia sancti Nicolai de Vineis « sub fratrum pedibus » Dominicus sepeliri voluit. Multi diversis infirmitatum molestiis oppressi, ad eius sepulchrum remedia sanitatum se percepisse fatebantur. Fratres tamen miracula agnoscere recusabant et munera ex voto oblata frangebant. Tandem, die 24 maii 1233, Gregorio papa IX annuente, coram Theodorico archiepiscopo Ravennate Pontificis legato, Iordano de Saxonia plurimisque fratribus Bononiæ Capitulum generale celebrantibus, Dominici corpus delatum est ad monumentum marmoreum. Tunc cœpit odor quidam mirificus ex corpore sancto exhalare, « ostendens cunctis lucide, quam bonus Christi odor hic esset. Celebrantur Missarum sollemnia ab archiepiscopo, et quia tertius dies Pentecostes enituit, *Accipite iucunditatem gloriæ vestræ* in introitu chorus intonat » (Iordanus de Saxonia). Hoc initium fuit processus canonici, quo expleto, die 3 iulii anno 1234 Gregorius IX Dominicum inter sanctos annumeravit. Deinde B. Ioannes de Vercelli, sextus Ordinis Magister, sepulchrum magis dignum ædificandum curavit et illuc die 5 iunii 1267 S. Dominici corpus positum fuit.

De Communi pastorum (LH II, 1564), præter sequentia.

Gradu diei liturgico sedulo servato, aliquæ preces et antiphonæ diei 8 augusti (289) pro diversis officii Horis desumi possunt tamquam propriæ festi Translationis (cf. IGLH, n. 235).

Sicubi vero hodierna S. P. Dominici festivitas tamquam principalis eligitur, celebratur gradu *sollemnitatis*, ut in festo principali die 8 augusti (289), servatis ad libitum quæ de hodierna celebritate sunt de se propria. Illud autem festum gradu simplici memoriæ obligatoriæ celebrandum erit.

Ad Invitatorium

Ant. Laudémus Deum nostrum in celebritáte sancti Patris Domínici (T. P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Adsunt Domínici læta sollémnia: * Laude multíplici plaudat Ecclésia (T. P. allelúia).

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Gaude, mater Ecclésia,
lætam agens memóriam,
quæ novæ prolis gáudia
mittis ad cæli cúriam.

Prædicatórum Ordinis
dux et Pater Domínicus
mundi iam fulget términis,
civis efféctus cælicus.

Carnis liber ergástulo,
cæli potítur glória,
pro paupertátis cíngulo
stola dotátur régia.

Fragrans odor de túmulo
cum virtútum frequéntia,
clamat pro Christi fámulo
summi Regis magnália.

Trino Deo et símplici
laus, honor, virtus, glória,
qui nos prece Domínici
ducat ad cæli gáudia.

Vel Hymnus Novus athléta Dómini, ut in die 8 augusti, 295.

Antiphonæ, psalmi, versus et lectio prior cum suo responsorio, de feria currente.

LECTIO ALTERA

Ex Epístolis beáti Iordáni de Saxónia presbýteri secúndi Ordinis Magístri

(MOPH 5, Romæ 1900, pp. 1-6)

De Translatione S. P. Dominici, 24 maii 1233

[Diléctis in dilécto Dei Fílio Frátribus Ordinis Prædicatórum, Frater Iordánus eiúsdem Ordinis húmilis Magíster et servus, salútem et gáudium sempitérnum.]

Solet divína bónitas sua investigábili sapiéntia plerúmque bonum differre, non ut auferátur, sed ut dilátum surgat ubérius témpore opportúno. Sive ígitur Deo Ecclésiæ suæ mélius providénte, sive divérsis divérsa sentiéntibus, quidam viam simplicitátis absque prudéntia sectántes, immortálem memóriam servi Altíssimi Dómini, Ordinis qui Prædicatórum dícitur institutóris, sancti Domínici, fatebántur suffícere notam esse apud Deum, nec curándum fore utrum ad hóminum notítiam perveníret.

Alii autem áliter sentiébant: tamen pusillanimitátis depréssi spíritu, iis non obviábant. Sicque factum est ut beáti Patris Domínici glória absque omni veneratióne fere per annos duódecim sopíta manéret. Iacébat namque thesáurus abscónditus carens utilitáte. Prodíbat sæpius virtus Domínici, sed suffocábat eam incúria filiórum.

Adest ígitur dies célebris ut translátio exímii doctóris celebrétur! Adest et venerábilis archiepíscopus Ravénnas et episcopórum et prælatórum multitúdo; adest innumerábilis diversárum terrárum pópuli devótio; adsunt et Bononiénsium catérvæ armátæ, ne sanctíssimi córporis patrocínia ipsis auferántur. Stant Fratres ánxii, pallent orántque tímidi, illic trepidántes ubi non erat timor, ne sancti Domínici corpus, quod plúviis et æstui tanto témpore vili recónditum lóculo, sicut álius qui inter mórtuos computátur, potúerat, vérmium scatéret vorágine, fœtóre hórrido præséntium odorátum graváret, et sic tanti viri devótio fuscarétur. Accédit pia episcopórum devótio, accédunt et álii instruméntis fabrílibus, lapis durióri ceménto sepúlcro compa-

ginátus aufértur, et erat de subtus, capsa lígnea terræ suffóssa, sicut venerábilis papa Gregórius, tunc Ostiénsis epíscopus, sacrum corpus humáverat; in qua párvulum forámen eminébat.

Abláto síquidem lápide, cœpit odor quidam mirífícus ex forámine exhaláre, cuius fragrántia adstántes attóniti mirántur quid esset. Stupent qui áderant, et stupóre pertérriti cadunt. Hinc ruunt dulces fletus, miscéntur et gáudia, timor et spes in campo ánimæ consúrgunt, movéntque bella mirífica mirífici odóris suavitátem sentiéntes. Sénsimus et nos huiúsmodi odóris dulcédinem; et quod vídimus et sénsimus, hoc testámur: numquam enim, licet diútius iuxta corpus Domínici studióse stetérimus, poterámus tanto dulcóre satiári. Si manu vel cíngulo, si áliqua re tangebátur corpus, per tempus prolíxum odor ille remanébat.

Delátum est corpus ad monuméntum marmóreum cum própriis aromátibus ibi recondéndum. Spirábat odor mirífícus ex córpore sancto, osténdens cunctis lúcide quod bonus Christi odor hic esset.

Celebrántur Missárum sollémnia ab archiepíscopo, et quia tértius dies Pentecóstes enítuit: « Accípite iucunditátem glóriæ vestræ, grátias agéntes Deo, qui vos ad cæléstia regna vocávit », in introítu chorus íntonat, quam vocem de cælis sonántem Fratres in sua iucunditáte suscéperant. Tubæ cóncrepant, innúmeram cereórum multitúdinem pópuli érigunt; processiónes étiam honéstæ fiunt. Benedíctus Iesus Christus ubíque resúltat.

[Acta sunt hæc in civitáte Bononiénsi die vigésima quarta maii, anno grátiæ millésimo ducentésimo trigésimo tértio, Románæ Sedi Gregório IX præsidénte, et impérii sceptra Federíco II gubernánte, ad honórem Dómini nostri Iesu Christi, et beáti Domínici servi sui fidelíssimi.]

RESPONSORIUM

℟. O spem miram, quam dedísti mortis hora te fléntibus, dum post mortem promisísti te profutúrum frátribus! * Imple, Pater, quod dixísti, nos tuis iuvans précibus (T. P. allelúia).

℣. Qui tot signis claruísti in ægrórum corpóribus, nobis opem ferens Christi, ægris medére móribus. * Imple, Pater.

Vel textus Sacérdos Dei, 223.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Qui, totus Dómini nómine et áctibus
et fratres hómines díligis édocens,
e cælis véniens, o Pater, ínnova
mundo dicta salúbria.

Dic firmæ fídei dúlcia prǽmia,
cui tam sollícitis usque labóribus
servísti et précibus, tu quibus hǽseras
iam cælo velut íncola.

Christi divítiæ dic super ómnia
quæ cordi frágili gáudia prǽparent
tu pauper, míseris dans bona plúrima,
terræ quǽstibus áltior.

Quod cordis nívei te decus índuit,
mortáles móneat ne probra díligant
castóque ut stúdeant iúngere córpore
sese iúgiter ángelis.

Sit sanctæ Tríadi glória pérpetim,
cuius munéribus des ita pérfrui,
nobis ut líceat cántica fúndere
tecum témpora in ómnia.

Antiphonæ propriæ, ut in festo principali, 310, adhiberi possunt cum psalmis et cantico de feria currente.

LECTIO BREVIS Eph 3, 8-9

Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo.

RESPONSORIUM BREVE

Tempore per annum:

℟. Annuntiáte inter gentes * Glóriam Dómini. Annuntiáte.

℣. In ómnibus pópulis mirabília eius. * Glóriam Dómini. Glória Patri. Annuntiáte.

Tempore paschali:

℟. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini. * Allelúia, allelúia. Annuntiáte.

℣. In ómnibus pópulis mirabília eius. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Annuntiáte.

Ad Benedictus, ant. O quam speciósi pedes annuntiántis pacem, prædicántis salútem, dicéntis Sion: Regnábit Deus tuus (T. P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Benedíctus Redémptor ómnium, qui salúti próvidens hóminum, mundo dedit sanctum Domínicum (T. P. allelúia).

Preces congruæ vel ut in festo principali, 311.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis, concéde ut eius intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas.

Ad Horam mediam

Omnia de feria currente. Pro sollemnitate sicubi celebratur, ut in festo principali, 313.

Ad Vesperas

Hymnus

Præco salútis cælicæ,
quem nomen ipsum, Spíritu
movénte læt*a* in ómina,
summo dicávit Príncipi,

Te corde tanto dívitem
quod esset orbe látius,
fides popóscit strénuum
Dei suíque víndicem.

Prudens, benígnus, cándidus,
zeli sed æstu férvidus,
tu veritátis íntegræ
aggréssus es certámina.

Vent*i* ut sonántis ímpetu
erróris umbras díssipans,
securiór*e* Ecclésiam
gressu dedísti pérgere.

Ardóris huius cómpotes
fac simus et nos fílii,
fidéque spem perénniter
firmémus ad cæléstia.

Viríliter per áspera
da transigámus sæculum,
tecum beát*i* ut pérpetim
Deo canámus glóriam.

Psalmodia

Antiphonæ propriæ, ut in festo principali, 318, adhiberi possunt cum psalmis et cantico de feria currente. Tempore autem paschali, pro cantico loco textus Eph 1, 3-10 sumi poterit textus Ap 4, 11; 5, 9. 10. 12, p. 168.

LECTIO BREVIS Phil 1, 3-4. 7-8

Grátias ago Deo meo in omni memória vestri, semper in omni oratióne mea pro ómnibus vobis cum gáudio deprecatiónem fáciens super communióne vestra in Evangélio; sicut est mihi iustum hoc sentíre pro ómnibus vobis, eo quod hábeam in corde vos et in vínculis meis et in defensióne et confirmatióne Evangélii sócios grátiæ meæ omnes vos esse. Testis enim mihi Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Christi Iesu.

RESPONSORIUM BREVE

Tempore per annum:

℟. Beáti qui áudiunt verbum Dei * Et custódiunt illud. Beáti.
℣. Fructum áfferunt in patiéntia. * Et custódiunt. Glória Patri. Beáti.

Tempore paschali:

℟. Beáti qui áudiunt verbum Dei et custódiunt illud. * Allelúia, allelúia. Beáti.
℣. Fructum áfferunt in patiéntia. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Allelúia.

Ad Magnificat, ant. O lumen Ecclésiæ, doctor veritátis, rosa patiéntiæ, ebur castitátis, aquam sapiéntiæ propinásti gratis: prædicátor grátiæ nos iunge beátis (T. P. allelúia).

Vel: Magne Pater sancte Domínice, mortis hora nos tecum súscipe, et hic semper nos pie réspice (T. P. allelúia).

Preces congruæ vel ut in festo principali, 322.

Oratio

Adiuvet Ecclésiam tuam, Dómine, beátus Domínicus méritis et doctrínis, atque pro nobis efficiátur

piíssimus intervéntor, qui tuæ veritátis éxstitit prædicátor exímius. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas.

Textus Sacérdos Dei ex prece beati Iordani de Saxonia.

Sacérdos Dei sanctíssime, conféssor alme
et prædicátor egrégie
beatíssime Pater Domínice
adésto et inclína aurem pietátis tuæ
ad vocem supplicatiónis nostræ.

Tu reguláribus armis instrúctus
ascensiónes in corde tuo disposuísti.
Tu de virtúte crescens in virtútem,
de bono semper in mélius profecísti.
Tu corpus tuum, hóstiam vivéntem,
sanctam, Deo placéntem exhibuísti.
Tu institutióne divína formátus,
teípsum totum Deo sacrásti.
Tu zelo Dei et supérno igne succénsus,
propter nímiam caritátem tuam,
in veheménti spíritus fervóre,
et paupertátis voto, perfectíssimæ
adeóque apostólicæ religióni
temetípsum totum impendísti,
et ad hoc opus alto iamdúdum
consílio próvidens, Ordinem Fratrum
Prædicatórum instituísti.

Dux ínclite et pater alme,
beáte Domínice, nobis precámur adsis
et ómnibus te invocántibus.
Esto nobis vere Domínicus,
hoc est, Domínici gregis custos assíduus.
Custódi nos semper, et gubérna
tibi commíssos et cum gáudio
post hoc exsílium nos repræsénta
benedícto Dómino et dilécto

altíssimo Dei Fílio Dómino nostro
Iesu Christo Salvatóri nostro.
Cui honor, laus et glória,
inenarrábile gáudium, et beatitúdo perpétua.

Textus criticus integer invenitur infra, in Supplemento, 735.

Die 27 maii

B. ANDREÆ FRANCHI, EPISCOPI

Pistoriis [Pistoia], in Italia, anno 1335 natus, ex nobili genere de Franchis seu de Boccagnis, adulescens 14 annorum Florentiæ Ordinem Prædicatorum ingressus est. Vitam regularem post pestem nigram restauravit. Prior patrii conventus (1370) dein Lucani et Urbevetani (1371-75), episcopus Pistoriensis demum renuntiatus (1382), strenuus pacis promotor in populo suo exstitit et pastor pervigil, pietate austeritate et prædicatione conspicuus. Peculiari devotione infantem Iesum cum Virgine Matre et Magis coluit. Advenas et peregrinos ad mensam suam recipiens, ipsis inserviebat ac pedes lavabat. Liberalium artium cultor multa præclara Pistoriis agenda curavit. Demisso post 18 annos pastorali munere (1400), ad suum rediit conventum, ubi simpliciter ac religiose conversatus est. Obiit die 26 maii 1401. Cultus illi præstitus die 23 novembris 1921 a Benedicto XV confirmatus fuit.

De Communi pastorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Andréam epíscopum in verbi tui prædicatióne et boni pastóris múnere, pietáte ac doctrína excéllere voluísti, eius intercessióne nobis præsta ut, animóse in tuo sancto servítio certántes, copiósum fructum inde referre mereámur. Per Dóminum.

Die 28 maii

B. MARIÆ BARTHOLOMÆÆ BAGNESI, VIRGINIS

Florentiæ die 15 augusti anno 1514 nata, ibique habitum Sororum de Pœnitentia anno 1547 induit. Per 45 annos in lecto iacuit, acerbis laniata doloribus quos mira animi fortitudine pertulit multosque ad se accedentes, ostensione spiritus fidei et divinæ voluntatis obsequio, erigebat et solabatur. Obiit die 28 maii 1577 et eius corpus Florentiæ asservatur apud moniales Carmelitas. Illius cultus die 11 iulii 1804 a Pio VII approbatus fuit.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátæ Maríæ Bartolomǽæ vírgini miram ægritúdinum tolerántiam pari cum innocéntia sociáre tribuísti, concéde ut qui multa perpétimur tua grátia adiuvémur. Per Dóminum.

Die 29 maii

BB. GUILLELMI ARNAUD ET SOCIORUM, MARTYRUM

Guillelmus unus fuit ex primis fratribus cui munus inquisitoris commissum fuit in Tolosana diœcesi « pro fide Christi et obœdientia Ecclesiæ Romanæ ». Avenioneti dolose ab hæreticis captus est simul cum duobus aliis ex Ordine nostro fratribus, Bernardo de Rochefort, presbytero, et Garcia de Aure, cooperatore, una cum diversis utriusque cleri sociis. Hi incliti fidei testes, « gaudentes ... ut viri apostolici » martyrio se obtulerunt cantando *Te Deum*. Itaque nocte Ascensionis Domini, 29 maii 1242, simul coronati sunt glorioso martyrio. Pius IX illorum cultum approbavit die 6 septembris 1866. Quorum exuviæ sæculo XVI dispersæ sunt.

De Communi plurimorum martyrum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, tuórum fidélium fortitúdo, qui Beátis Guillélmo et sóciis, pro Christi fide et Ecclésiæ obœdiéntia vitam offérre tribuísti, eórum nobis interventióne concéde ut, cum ipsis partem cálicis Christi capiéntes, in tua semper dilectióne crescámus. Per Dóminum.

Die 30 maii

B. IACOBI SALOMONI, PRESBYTERI

Ex nobili et antiqua familia Venetiis ortus anno 1231, patre defuncto et matre inter moniales Ordinis Cisterciensis adscripta, adulescens 17 annorum, bonis pauperibus distributis, Iacobus Ordinem nostrum amplexus est. Venetiis profectus, Forum Livii [Forlì] petiit ubi 45 annos vixit Spiritus Sancti charismatibus donatus, meritis ac virtutibus insignis, humilitate præcipue et caritate qua « pauperum pater » cognomen meruit. Obiit die 31 maii 1314. Illius cultus liturgicus a Gregorio XV die 22 septembris 1621 permissus fuit. Eius corpus Venetiis colitur.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui pópulo tuo, ad mystérium salútis plénius attingéndum, Beátum Iacóbum próvide donásti, illíus méritis et exémplis præsta, Fílium tuum ita agnóscere ut ipsum plénius vita exprímere valeámus. Qui tecum.

IUNIUS

Die 2 iunii

BB. SADOC ET SOCIORUM, MARTYRUM

Sadoc adhuc iuvenis a sancto Dominico, ut tradunt, habitum Ordinis recepit et ab ipso, in Capitulo generali Bononiensi anni 1221, missus fuit in Pannoniam ad Ordinem propagandum. Ita, una cum fratre Paulo Hungaro, fundator exstitit et amplificator illius Hungariæ provinciæ, ibique multos annos transegit. Dehinc postea Sandomiriam [Sandomierz] in Poloniam regendis fratribus admotus fuit. Ibi, ipse et universa quadraginta octo fratrum communitas, ad Completorium canentes antiphonam *Salve Regina*, a Tartaris necati sunt anno 1260. Quod excidium recenter comprobatum fuit cum Sandomiriæ effossa sunt rudera cœnobii. Pius VII die 18 octobris 1807 illorum cultum liturgicum permisit.

De Communi plurimorum martyrum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Osténdat te nobis, Dómine Iesu, post hoc exílium clemens et pia Virgo María, mater tua, quam Beátus Sadoc et sócii, inter hostíles ímpetus, salutántes, præoptátam martýrii palmam a te recípere meruérunt. Qui vivis.

Die 4 iunii

S. PETRI DE VERONA, PRESBYTERI ET MARTYRIS

Memoria obligatoria

Sæculo XII exeunte Veronæ in Italia, parentibus Manichæorum asseclis natus, puerulus ad fidem catholicam conversus est. Adulescens, studiorum causa, Bononiam petiit et Ordinem amplexus est, prædicatione sancti Dominici — a quo habitum accepit — impulsus. Inde prædicationi deditus est præcipue apud Catharos ac, Magistro sancto Dominico, evangelica regula dialogo utens, Evangelii salutis præco et testis præclarus effectus.

Spiritus Sancti donis mirifice suffultus, in veræ fidei pro-

pagationem et defensionem impense adlaboravit, de cuius promotione in populo sollicitus, « Consociationes fidei » et « Confraternitates laudum B. V. Mariæ » instituit. Fraternitatis amator et sectator, communitariam vitam ferventer promovit, sapienter ut prior ordinavit strenueque defendit. De bono quoque spirituali Sororum valde sollicitus, illis peramanter astitit consilio et adhortatione atque ut moderator spiritus plurimum profuit.

Postremo vitæ tempore, inquisitoris officio auctus, medietate anni 1251, apostolicam missionem summa cum humanitate efficaciter implevit. Die 6 aprilis 1252 Como Mediolanum revertens hæreticorum gladio occubuit « pro fidei pietate et obœdientia romanæ Ecclesiæ », suprema voce symbolum *Credo* confitens et sanguine firmans. Unus ex sicariis, Carinus, postea Ordinem amplexus est. Die 9 martii 1253 Innocentius IV Petrum in sanctorum catalogum adscripsit et festum die 29 aprilis statuit. Post novissimam instaurationem liturgicam eius festum hodierno celebratur die translationis reliquiarum anniversario (1340).

De Communi martyrum (LH II, 1536; III, 1414), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Regem mártyrum Dóminum, veníte, adorémus (T.P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Cæléstis exércitus Regem adorémus: * Et pro palma mílitis eius iubilémus (T.P. allelúia).

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Adhibetur textus congruus, vel sequens:

Adest dies célebris,
quo lumen de ténebris
exórtum emícuit.

Nam ab infidélibus
Petrus dispar móribus
ortus mundo cláruit.

Mundum mundus ábicit,
Ordini se súbicit
evangelizántium.

Fit salútis spéculum
morum et spectáculum,
vas virtútum ómnium.

Verbi semen séminat,
erróres extérminat,
Verbo pugnans fórtiter.

A profánis mánibus,
Sanctus diris íctibus
procúmbit viríliter.

Christi factus hóstia,
cæli transit óstia
cum palma martýrii.

Sempitérna gáudia
póssidet cum glória
trecenténi præmii.

Nobis ergo véniam
det Deus et grátiam
Petri prece sédula.

Et post hanc miséria
largiátur glóriam
per ætérna sæcula.

Sicubi gradu festi celebratur:

PSALMODIA

Ant. 1 Venit hora ut omnis qui intérficit vos arbitrétur obséquium se præstáre Deo (T.P. allelúia).

Psalmi de Communi unius martyris (LH II, 1538; LH III, 1416).

Ant. 2 Si quis mihi minístrat me sequátur, et ubi sum ego, illic et miníster meus erit (T.P. allelúia).

Ant. 3 Ego sum via, véritas et vita: nemo venit ad Patrem nisi per me (T.P. allelúia).

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine (T.P. allelúia).

℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum (T.P. allelúia).

Lectio prior

De Epístola secúnda beáti Pauli apóstoli ad Timótheum 3, 10 - 4, 5

Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur

Caríssime, tu assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes, quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, Lystris, quales persecutiónes sustínui; et ex ómnibus me erípuit Dóminus. Et omnes qui volunt pie vívere in Christo Iesu, persecutiónem patiéntur; mali autem hómines et seductóres profícient in peius in errórem mitténtes et errántes.

Tu vero pérmane in his, quæ didicísti et crédita sunt tibi, sciens a quibus didíceris, et quia ab infántia Sacras Lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem per fidem quæ est in Christo Iesu. Omnis Scriptúra divínitus inspiráta est et útilis ad docéndum, ad arguéndum, ad corrigéndum, ad erudiéndum in iustítia, ut perféctus sit homo Dei, ad omne opus bonum instrúctus.

Testíficor coram Deo et Christo Iesu, qui iudicatúrus est vivos ac mórtuos, per advéntum ipsíus et Regnum eius: prædica verbum, insta opportúne importúne, árgue, íncrepa, óbsecra, in omni patiéntia et doctrína. Erit enim tempus cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros pruriéntes áuribus, et a veritáte qui-

dem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila in ómnibus, labóra, opus fac evangelístæ, ministérium tuum imple.

RESPONSORIUM Mt 5, 11-12; Io 15, 21

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis et persecúti vos fúerint propter me. * Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis (T.P. allelúia).

℣. Hæc ómnia fácient vobis propter nomen meum, quia nésciunt eum qui misit me. * Gaudéte.

LECTIO ALTERA [***]

E Bulla canonizatiónis sancti Petri, presbýteri et mártyris

(25 martii 1253: BOP I, Romæ 1729, pp. 228-230)

Petrus ad petram Christum digne laureandus ascendit

Vox fusi sánguinis íntonat, ínclyti martýrii tuba clangit, terra non silet sudans aspersióne cruóris. Hæc sunt certe, certa fídei sacræ indícia. Propter quod lætáti sunt cæli; et terra in tanti perceptióne gáudii páriter exsultávit. Grandis adest matri Ecclésiæ causa lætítiæ; multa ei matéria iucunditátis advénit.

Habet unde Dómino cánticum novum cantet, unde imménsæ laudis hymnum réferat Deo suo. Habet plebs cathólica unde plaudat levátis Altíssimo mánibus, sonóris iúbilet vócibus, et lætis ánimis iucundétur; habet christiána cóntio, unde devótas Conditóri cóncinat cantiónes. De orto síquidem fídei, nuper in mensam Regis ætérni, dulcis allátus est fructus. De vínea Ecclésiæ in régium cálicem áffluens nóviter liquor influxit; quóniam fecúndus palmes hostíli mucróne concísus hábuit plus humóris, quia cohæsit préssius vivæ viti.

De Prædicatórum Ordine flórido pródiit rosa rubens. De huius Ecclésiæ fábrica eléctus est lapis, qui pressúra et tunsióne polítus decénter supérnis

ædibus est insértus. Unde factum est magnum in cælo gáudium, exsultántibus sanctis ómnibus, et sollemnitátem agéntibus tanti festi.

Sane beátus Petrus de Ordine Fratrum Prædicatórum, vitæ sémitam éligens tutiórem, ad divína obséquia se totáliter tránstulit, in evangélicæ institutiónis observántiam cuncta sua convértens stúdia, et univérsas dírigens actiónes, rectum ac lúcidum callem sequens, salúbrem vidélicet ipsíus Ordinis régulam, per quam regi valéret, et dírigi, duci étiam, et indúci ad sperátam réquiem post labórem. In qua útique trigínta fere annórum spátio, fide præámbula, cómite caritáte, sic præváluit et profécit, circa ipsíus máxime defensiónem fídei, pro qua totus ardébat. Et sic ipse Petrus, firmus in petra fídei, petra demum passiónis allísus, ad petram Christum digne laureándus ascéndit.

Pro fide mortem subíre cúpiens, hoc principáliter a Dómino atténtis, et crebris supplicatiónibus postulásse probátur, quod non síneret, eum ex hac luce migráre, nisi sumpto pro illa cálice passiónis. Ipso sacrílego, percussúras in Christi minístrum géminas inculcánte, ille non querulósa voce múrmurans, sed súfferens ómnia patiénter, suum Dómino spíritum commendábat, dicens: *In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum.* Sýmbolum etiam cœpit dícere fídei, cuius nec in hoc artículo désiit esse præco.

Sic granum fruménti cadens in terram, et infidélium mánibus compréssum, et mórtuum, úberem consúrgit in spicam; sic botrus in torculári calcátus, liquóris redúndat in cópiam; sic tríticum attrítum in área, in Domínicum hórreum, excússa pálea, deportátur; sic arómata pilo contúsa, odórem plénius circumfúndunt; sic regnum cælórum a violéntis percípitur; sic per fidem a sanctis regna sublímia devincúntur.

RESPONSORIUM

℟. Prædicátor férvidus, fídei zelátor, * Veritátis lúcidus doctor et amátor (T.P. allelúia).

℣. Verbo, vita prædicat, signis crebris émicat legis æmulátor. * Veritátis lúcidus.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Iste sanctus, ut in Appendice, 656.

Vel alia:

E Lítteris cuiúsdam fratris Romæi vel Roderíci de Aténcia ad Sanctum Raimúndum de Pényafort

(Année dominicaine ou Vie des saints, bienheureux, martyrs O.P., vol. 4, Lyon 1889, pp. 901-903)

Victimæ paschali laudes vitamque immolavit

Domínica in octáva Paschæ cum pro causa fídei oportéret ipsum fratrem Petrum Mediolánum veníre de Como, iter arrípuit sábbato præcedénti. Cumque summo mane accépta benedictióne iter arrípere vellet, súbito venit in cor eius, ut ántea Missam de resurrectióne celebráret, et cuiúsdam fratris qui secum ire debébat pédibus provolútus, ut frequénter confitéri consuéverat, sólito morósius et curátius est conféssus, ut dictus frater rétulit viva voce et, sic Missa devóte celebráta, una cum tribus frátribus iter fecit et, ut póstmodum fratres dixérunt, dum irent per totam illam viam nihil áliud fecit quam narráre devóte quorúndam mártyrum fortíssimas passiónes; qua sic longa narratióne finíta, contra morem suum cœpit alta voce cantáre « *Victimæ paschali laudes* » et statim iuvit eum frater Domínicus, futúrus sócius próximæ passiónis. Cum vero álius frater, Conrádus nómine, eúndem cantum in quinta voce cantáre cum quadam consonántia niterétur, frater Petrus ad fratrem benígne convérsus

ait: « Rogo vos quod permittátis me cantáre solum et fratrem Domínicum, quia vos discordátis in cantu », et sic fratre tacénte ipsi duo alta voce totam sequéntiam cantavérunt.

Qua finíta, iam hora prándii quendam burgum qui Meda dícitur, Mediolanénsis diœcésis, intravérunt et, ne hóspites gravaréntur, se ad prándium divisérunt: duo namque ivérunt ad unum locum, frater vero Petrus cum fratre Domínico ad quoddam monastérium declinavérunt, ubi prándium parátum inveniéntes celériter manducavérunt et, misso ad álios fratres núntio ut suum eis nuntiáret recéssum et díceret eis quod sumpto prándio sequeréntur, iter arrípuit próperans celériter ad corónam.

Cum autem in quodam montículo a burgo per duo miliária essent longe, duo conductítii prétii, idest minístri Sátanæ latitábant, qui fratres vidéntes a longe de ipsórum nece collóquium habuérunt; sed unus illórum pœniténtia ductus, horrens tanto scéleri consentíre, ab áltero recédens versus prædíctum burgum cursu céleri properábat et habens óbvios álios duos fratres totum iníquum consílium cum lácrimis propalávit; et tunc fratres fórtiter cúrrere cœpérunt ubi fratri Petro fíerent in salútem, sed cum pervenérunt, alter miníster Sátanæ cum quodam falcástro quinque íctibus fratrem Petrum crudéliter trucidávit.

Qui, cum ferirétur, ut sócius eius testátus est qui per dies sex póstmodum supervíxit, exémplo Salvatóris non múrmurans, non se deféndens, non fúgiens, sed constánter sústinens benígne feriénti remísit iniúriam et pro eo rogans proténsis in cælum mánibus clara voce dicéndo: *In manus tuas, Dómine, comménd̄o spíritum meum,* Christo crucifíxo et resurgénti, témpore nonis, hora sexta spíritum réddidit impollútum.

RESPONSORIUM Cf. Io 1, 20; Eph 5, 2

℟. Gáudeo plane, quia hóstia Christi éffici mérui: accusátus non negávi nomen sanctum eius, interrogátus Christum conféssus sum, * Plagátus grátias ago (T.P. allelúia).

℣. Ego me óbtuli sacrifícium Deo in odórem suavitátis. * Plagátus.

Vel alia:

Epístola sancti Petri mártyris ad prioríssam Sancti Petri in Campo Sancto mediolanénsi

(Ed. A. Dondaine: AFP 23, 1953, pp. 91-93)

Pennas contemplationis desiderans, pro aliis totam vitam expendit

Lítteras tuas desiderábiles ánimo lætabúndo suscépi et ex tenóre eárum plénius intelléxi, quod de die in diem de virtúte in virtútem profíciens claustrális milítiæ bravíum meruísti. Ascendísti in montem sacrifícii: ego adhuc in valle sollicitúdinis moror et pro áliis fere totam vitam meam expéndi. Tu, pennas contemplatiónis assúmens, hæc ómnia transcéndis: me autem glútinum aliénæ sollicitúdinis ádeo inviscávit, quod voláre non possum. *Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est. Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, et volábo et requiéscam? In ómnibus réquiem quæsívi, in ómnibus labórem et dolórem invéni.* Non est réquies nisi in hereditáte sanctórum, de qua scriptum est; *Hæc réquies mea in sæculum sæculi.* Ego autem libertátem filiórum Dei, sicut vellem et desídero, respícere non váleo, nec ad ipsam respiráre possum.

Adiuva me in oratiónibus tuis, soror caríssima: *dies mei transiérunt,* iuxta verbum Iob. Per viam

qua ingrédior non revértor. Non sum longe ab illa meta quæ præfíxa est omni carni; iam canos vídimus horæ finális prænúntios. Ora ígitur, soror dulcíssima, inter secretióres lácrimas tuas ibi memóriam fácias, ófferens in conspéctu Fílii Dei: scio quod multum valet deprecátio iusti assídua, et quod própria vota non óbtinent facit intercéssio aliéna.

Elécta es, soror amantíssima, in minístram a Christo, ut ei ministério suffragéris oratiónis, ut reddas soróres tuas Dómino acceptábiles, sectatríces bonórum óperum, ipsas verbo struens et oratiónis exémplo, et depósita omni vanitáte stúdeas móribus implére ministérium, et ut Sancto sanctórum devótæ servitútis impéndas offícium, índuas sanctitátem. Sis, quæso, in divítiis recta, in loquéndo modésta, in iubéndo discréta, in auxiliándo sollícita, in consíliis fida, in responsiónibus circumspécta, ad patiéntiam prona. Exhibe te maióribus devótam, minóribus blandam, æquálibus benígnam, rígidam supérbis, benígnam humílibus, pæniténtibus misericórdem, obstinátis inflexíbilem. Quanto áltior est títulus tui offícii, tanto gloriósius tibi erit si álios súperas sanctitáte.

Hæc te, amantíssima soror, mea exhortatióne exhortári decrévi, non ut admonitióne mea indígeas, sed ut ad palmam et bravíum animósius curras et in domo Dei et sancti Petri, cum soróribus tuis et meis caríssimis, intráre festínes ut, cum de Cápítulo ad vos vénero, consolatiónem de hábitu et religióne plenam hábeam. Veniébam ad vos, sed quibúsdam novis cásibus emergéntibus veníre non possum. Sed versus Capítulum cum fratre Ulríco pergo et vos omnes Deo recomménDo donec vénero. Véniam autem cito.

Salútat vos frater Ulrícus in Dómino et se vestris oratiónibus recomméndat.

RESPONSORIUM Ps 93, 18-19; 2 Cor 1, 5

℟. Misericórdia tua, Dómine, sustentábat me; * In multitúdine sollicitúdinum meárum in corde meo, consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

℣. Sicut abúndant passiónes Christi in nobis, ita per Christum abúndat et consolátio nostra. * In multitúdine.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Magnæ dies lætítiæ
nobis illúxit cælitus,
Petrus ad thronum glóriæ
martyr pervénit ínclitus.

Puer in fide cláruit,
paréntum carens nébula,
Deo servíre stúduit
sub paupertátis régula.

Carnem afflíxit iúgiter
in labóre multíplici,
viam sequens humíliter
Patris sui Domínici.

Triúmphat per martýrium
Christi fortis in ácie,
consérvans semper lílium
virgináli mundítiæ.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
in sempitérna sæcula.

PSALMODIA

Antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus: Series A, e Scripturis Sacris deprompta; Se-

ries B, historica et gregoriana melodia ornata, pro Officio in cantu præsertim utilis.

Sicubi gradu festi celebratur, hæ antiphonæ cum psalmodia de dominica hebd. I dicendæ sunt.

Antiphona 1

Ser. A Sitívit in te ánima mea, semper te desiderávit et caro mea: in velaménto alárum tuárum exsultábo in ætérnum (T.P. allelúia).

Ser. B Summa pollens Petrus mundítia et præfúlgens doctrínæ grátia, martýrii clarus victória, trinæ fulget corónæ glória (T.P. allelúia).

Antiphona 2

Ser. A Agnus qui in médio throni est dedúxit eum ad vitæ fontes aquárum et abstérsit Deus omnem lácrimam ab óculis eius (T.P. allelúia).

Ser. B Prædicatórum Ordinis mílitans in ácie, nunc coniúnctus est ágmini cæléstis milítiæ (T.P. allelúia).

Antiphona 3

Ser. A Sedénti in throno et Agno benedíctio et honor et glória et potéstas in sæcula sæculórum (T.P. allelúia).

Ser. B Mens fuit angélica, lingua fructuósa, vita apostólica, mors quam pretiósa! (T.P. allelúia).

Lectio brevis 2 Tim 1, 8-10

Noli erubéscere testimónium Dómini nostri neque me vinctum eius, sed collábora evangélio secúndum virtútem Dei, qui nos salvos fecit et vocávit vocatióne sancta, non secúndum ópera nostra sed secúndum propósitum suum et grátiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante témpora sæculária. Manifestáta est autem nunc per illustratiónem Sal-

vatóris nostri Iesu Christi, qui destrúxit quidem mortem, illumināvit autem vitam et incorruptiónem per Evangélium.

RESPONSORIUM BREVE

Tempore per annum:

℟. Fortitúdo mea * Et laus mea Dóminus. Fortitúdo.

℣. Et factus est mihi in salútem. * Et laus mea Dóminus. Glória Patri. Fortitúdo.

Tempore paschali:

℟. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti, * Allelúia, allelúia. Lætámini.

℣. Et gloriámini, omnes recti corde, * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Lætámini.

Ad Benedictus, ant. Qui volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam, et qui perdíderit ánimam suam propter me invéniet eam (T.P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Accingímini fílii poténtes, et estóte paráti pugnáre in prœlio: quóniam mélius est nobis mori in bello, quam vidére mala gentis nostræ, et sanctórum. Sicut fúerit volúntas in cælo, sic fiat (T.P. allelúia).

Preces congruæ vel de Communi unius martyris.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Petri mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro eiúsdem fídei dilatatióne, martýrii palmam méruit obtinére. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas.

Sicubi gradu festi celebratur:

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS 2 Cor 6, 4-7

In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in angústiis, in labóribus, in vigíliis, in ieiúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu Sancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei.

℣. Hic est vere martyr qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit (T.P. allelúia).

℟. Ad cæléstia regna pervénit (T.P. allelúia).

Ad Sextam

LECTIO BREVIS 2 Th 1, 3b-5

Abúndat cáritas uniuscuiúsque ómnium vestrum in ínvicem, ita ut et nos ipsi in vobis gloriémur in ecclésiis Dei pro patiéntia vestra et fide in ómnibus persecutiónibus vestris et tribulatiónibus quas sustinétis, indícium iusti iudícii Dei, ut digni habeámini regno Dei, pro quo et patímini.

℣. In Deo sperávi (T.P. allelúia).

℟. Non timébo quid fáciat mihi homo (T.P. allelúia).

Ad Nonam

LECTIO BREVIS Cf. Ap 19, 7. 9

Gaudeámus et exsultémus et demus glóriam Deo, quia venérunt núptiæ Agni. Beáti qui ad cenam nuptiárum Agni vocáti sunt.

℣. Veniéntes vénient cum exsultatióne (T.P. allelúia).

℟. Portántes manípulos suos (T.P. allelúia).

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

Hymnus

Adhibetur textus congruus, vel sequens:

Exsúltet claro sídere
fulgens mater Ecclésia:
Petrus Martyr in æthere
nova profúdit gáudia.

Pauper, pudícus, húmilis,
Christo se totum dédicat,
in lege Dei dócilis,
verbis, exémplis prædicat.

Roboráre cum nítitur
fidem, verbi præcónio,
pro fide tandem cæditur
hæreticórum gládio.

Dum sic in petra fídei
Petri tenet vestígia,
ad Petram Christum próvehi
merétur cum victória.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
in sempitérna sæcula.

Psalmodia

Antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus. Pro celebratione in cantu, antiphonæ sumuntur ad libitum ex serie B ad Laudes matutinas, 238, cum psalmodia feriali.

Sicubi gradu festi celebratur, hæ antiphonæ cum psalmis et cantico de Communi unius martyris dicendæ sunt (LH II, 1553; III, 1428).

Ant. 1 Dóminus erípuit ánimam meam de morte, óculos meos a lácrimis, pedes meos a lapsu: placébo Dómino in regióne vivórum (T.P. allelúia).

Ant. 2 O Dómine, ego servus tuus, vota mea reddam tibi in átriis domus tuæ in ætérnum (T.P. allelúia).

Ant. 3 Agnus qui occísus est, redémit nos in sánguine suo et fecit nos Deo nostro regnum et sacerdótes (T.P. allelúia).

LECTIO BREVIS 1 Tim 6, 11-14

Sectáre iustítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam ætérnam, ad quam vocátus es, et conféssus es bonam confessiónem coram multis téstibus. Præcípio tibi coram Deo, qui vivíficat ómnia, et Christo Iesu, qui testimónium réddidit sub Póntio Piláto bonam confessiónem, ut serves mandátum sine mácula irreprehensíbile usque in advéntum Dómini nostri Iesu Christi.

RESPONSORIUM BREVE

Tempore per annum:

℟. Probásti nos, Deus, * Et eduxísti nos in refrigérium. Probásti.
℣. Igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum. * Et eduxísti nos in refrigérium. Glória Patri. Probásti.

Tempore paschali:

℟. Fulgébunt iusti, sicut sol in conspéctu Dei, * Allelúia, allelúia. Fulgébunt.
℣. Et lætabúntur omnes recti corde, * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Fulgébunt.

Ad Magnificat, ant. Grátias agámus Dómino Deo nostro qui secúndum magnam misericórdiam suam, per mortem beáti Petri, fratris nostri, veritátem fídei sublimávit (T.P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Iste est qui pro lege Dei sui morti se trádidit: non dubitávit mori; ab

iníquis interféctus est, et in ætérnum vivit cum Christo, Agnum secútus est et accépit palmam (T.P. allelúia).

Preces congruæ vel de Communi martyris.

Oratio

Deus, fídei auctor et custos, qui beátum Petrum in professióne veræ fidei perseveránte martýrio coronásti, concéde fidélibus tuis, ut eándem fidem ore et ópere profiténtes, salútem inde reportémus animárum. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas.

Die 8 iunii

BB. DIANÆ ET CÆCILIÆ, VIRGINUM

Memoria ad libitum

Diana de Andalò, Bononiæ ineunte sæculo XIII nata, B. Reginaldum in conventu Bononiensi ædificando adiuvit. Anno 1219 petente Dominico Bononiam, Diana cum aliis puellis propositum vitæ religiosæ in manibus beati Patriarchæ emisit. Superatis molestiis familiarium qui etiam costam ei fregerunt, monasterium S. Agnetis a B. Iordano de Saxonia erectum adiit, ac vera mater sororibus exsistens, anno 1236 obiit. Extant quinquaginta epistolæ a Iordano de Saxonia illi scriptæ quæ pulchrum sunt documentum spiritualitatis Dominicanæ Familiæ ac fraternitatis fratrum sororumque. Eius cultus die 8 augusti 1888 a Leone XIII confirmatus fuit.

Cæcilia, quæ ineunte sæculo XIII Romæ ortum habuit, a S. Maria in Tempulo anno 1221 in monasterium S. Xisti se transtulit, ubi S. Dominicum cognovit eiusque vultus et spiritus testis fuit fidelissima. Postea, exeunte anno 1223 vel ineunte anno 1224, cum tribus aliis sororibus a papa Honorio III Bononiam missa est ad spiritum S. P. Dominici in monasterium S. Agnetis a B. Diana conditum inferendum. Ibidem obiit anno 1290. Eius cultus a Leone XIII die 24 decembris 1891 approbatus fuit.

De Communi virginum (LH III, 1474), vel sanctarum mulierum: pro religiosis (1539), præter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA [**]

Ex Epístolis beáti Iordáni de Saxónia presbýteri
(Epist. 34: ed. A. Walz, MOPH 23, Romæ 1951, pp. 40-41)

Da operam pietati

[Frater Iordánis Ordinis Prædicatórum, servus inútilis, caríssimæ in Christo soróri Diánæ deliciári iúgiter in gáudio et delíciis paradísi.]

Ecce, caríssima, prævia Dei grátia comitántibus et nihilóminus prosequéntibus tuis ac filiárum meárum oratiónibus próspere veni Parísios sanus et incólumis competénter. Et tunc præséntes tibi curávi destináre lítteras, ut saltem ex litterárum salutatióne aliquále tibi generétur solátium, cui subláta est ad tempus corporális præséntia et allocútio personális et ex his duóbus consolátio qualiscúmque.

Tu vero, fília, una cum filiábus tuis et meis in Dómino non corporálibus tantum afflictiónibus, in quibus ratiónis et discretiónis mensúra fácile quidem excéditur, studére summópere sátagas, sed virtúti pótius, sed et quæ secúndum Apóstolum valet ad ómnia, inténde et da óperam pietáti. Sit iúgiter in corde, fervénter in desidério beáta cívium supernórum régio, gloriósum illud gáudii et exsultatiónis univérsæ promptuárium, locus vere replétus lúmine pulchritúdinis univérsæ, omnem humánam superexcédens intellegéntiam, divína vere régio et digna ad conversándum ei qui secúndum Dei imáginem est creátus.

Sit frequens et devóta in sponsárum méntibus sponsi memória, ad cuius intúitum, quidquid deformitátis est aut máculæ, stúdio pulchritúdinis excolátur, ne, quod absit, vel in módico Sponsi sacer óculus offendátur. Sit cordis púritas, sit vitæ innocéntia, sit morum únitas, sit pax et concórdia, sit cáritas inconcússa, sit et pia humílitas bonórum ómnium conservátrix, ut, dum in virtútum delíciis iúgiter deliciátur ánima, et in ánima delícias sibi

fáciat Dei Fílius benedíctus in sæcula sæculórum. Amen. Valéte.

Ora pro me. Salúta soróres, fílias in Dómino diléctas et oráre móneas pro scholáribus Parisiénsibus, ut Dóminus adapériat corda ipsórum, ut ad conversiónem efficiántur fáciles, et ii, qui bonæ voluntátis propósitum concepérunt, inveniántur in ópere efficáces et ad vitam perseveránter proficiant sempitérnam. Valéte.

Salútant te frater Archángelus et frater Ioánnes. Salúta etiam convérsas Sanctæ Agnétis, familiáres illas, dico, dóminas et amícas. Vale.

RESPONSORIUM 1 Petr 3, 8. 9; Rom 12, 10. 11

℟. Sitis omnes unánimes, compatiéntes, fraternitátis amatóres, misericórdes, modésti, húmiles; * Quia in hoc vocáti estis, ut benedictiónem hereditáte possideátis (T.P. allelúia).

℣. Caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes, honóre ínvicem præveniéntes, Dómino serviéntes. * Quia.

Vel alia, ut infra: quæ tamen, brevitati consulendi gratia, membratim legi potest, nempe una [A] vel alia [B] ex duabus sectis partibus, sub unica conclusiva sectione [C].

Ex Chrónica de fundatióne monastérii Bononiénsis Sanctæ Agnétis ab auctóre coævo conscripta

(H.-M. Cormier, La bienheureuse Diane d'Andalò et les bienheureuses Cécile et Aimée fondatrices du couvent de Sainte-Agnès de l'Ordre des Frères Prêcheurs à Bologne, Rome 1892, pp. 149 sqq.)

Beatum Dominicum tota animi affectione Diana diligere cœpit

[A]

Anno Dómini 1218, missi sunt a Roma Bonóniam per sanctum Domínicum Fratres Prædicatóres. Qui

veniéntes, a fratre Rodúlfo Ecclésiam Beáti Nicolái petivérunt. Erat prædíctus frater, sacérdos illíus ecclésiæ, quæ sita erat in loco, qui dicebátur ad Víneas. Locus vero ille erat dómini Andalótis, patris vidélicet illustríssimæ féminæ dóminæ Diánæ. Prædíctus dóminus Andalò nolébat locum præmemorátum frátribus dare: sed ad petitiónem dóminæ Diánæ, fundatrícis póstea domus Sanctæ Agnétis, assénsum dedit, eísque locum concéssit. Qui fratres ædificavérunt ibídem domum et claustrum, et per grátiam Christi cœpérunt multiplicári.

Intérea magístro Reginàldo veniénte Bonóniam et prædicánte verbum Dei cum magno fervóre, prædícta dómina Diána divíno spíritu attrácta, cœpit pompas et vanitátes sæculi contémnere et cum suis Frátribus Prædicatóribus familiaritátem et colló-quium habére frequéntius. Proptérea cum beátus Domínicus advenísset Bonóniam, ipsum tota ánimi affectióne dilígere cœpit, ac cum ipso de ánimæ suæ salúte tractáre. Tandem non multum post in mánibus ipsíus se misit ac professiónem fecit.

Cœpérunt prætérea multæ nóbiles dóminæ et illústres matrónæ de civitáte Bonóniæ ipsíus exémplo cum Frátribus Prædicatóribus familiaritátem et colló-quium habére de salúte ánimæ. Exínde expergefácta est devótio mílitum nobílium et consanguineórum dominárum, qui cœpérunt Fratres adiuváre et venerári.

Interim Diána voti sui non ímmemor, cum beáto Domínico cœpit tractáre quáliter votum suum possit dúcere ad efféctum. Quadam ígitur die beátus Domínicus coadúnans fratres suos ac requírens beneplácitum ipsórum, vidélicet de ædificánda domo dominárum quæ Ordinis dicerétur et esset; cum fratres respondíssent prout sibi videbátur, ipse beátus more sólito ad oratiónis stúdium se convértit. Alia vero die post oratiónem résidens in capítulo, dixit: « Opórtet, fratres, omníno ut domus dominárum

ædificétur, etiámsi domus hæc nostra oportéret intermítti ».

Intérea beátus Domínicus recessúrus a Bonónia commísit hoc negótium quáttuor frátribus, vidélicet magístro Paulo de Ungária, Gualæ qui póstmodum epíscopus Brixiénsis fuit, Ventúræ Veronénsi qui póstmodum Prior provinciális éxstitit, ac Rodúlfo Favénsi. (Sequitur [C]).

[B]

Dómina Diána residébat in domo patris sui córpore, non mente. Cum autem propter timórem paréntum non posset implére quod optábat et beáto Domínico promíserat, vidélicet ædificáre domum dominárum quæ Ordinis dicerétur et esset, quadam die dixit se velle invísere monastérium, quod dícitur Ronzánum. Perréxit ígitur ad domum cum magna glória et ingénti pompa, petiítque repénte hábitum et accépit. Cum hoc multitúdo dominárum, quæ cum ea vénerant, cognovíssent miserunt cito núntium ad civitátem. Fit repénte concúrsus ingens populórum, qui veniéntes ad monastérium extraxérunt eam cum magna vi, in tantum quod costam illíus fregérunt et iácuit infírma fere per annum in domo patris sui.

Erat tunc témporis Bonóniæ sanctus Pater Domínicus, qui postquam audívit iniúrias quas perpéssa est, condóluit valde dirigebátque ad eam lítteras occúltas; nam paréntes eius non sinébant eam loqui cum áliqua persóna, nisi præsens esset áliquis ex consanguíneis suis. Inter hæc beátus Domínicus ad extréma gáudia felíciter migrávit, et soror Diána cum páululum convaluísset fugam íniit ac monastérium præmemorátum ádiit. Desperáti ítaque paréntes ipsíus de illa, dimisérunt eam. Permánsit autem in illo monastério a festo Omnium Sanctórum usque ad hebdómadam infra octávam Ascensiónis, in cuius médium, felícis recordatiónis magíster Iordánus, qui tunc témporis erat Provinciális Lombardíæ, una cum

frátribus supramemorátis, quibus hoc negótium beátus Domínicus commíserat, fidéliter adiuvábant eam dantes óperam, ut opus diu optátum possit perfícere. (Sequitur [C]).

[C]

Ædificáta domúncula, ivérunt pro illa fratres et introduxérunt illam in domúnculam cum áliis dominábus quáttuor de Bonónia anno Dómini 1223, infra octávam domínicæ Ascensiónis. In festo autem Apostolórum Petri et Pauli suscepérunt a prædícto Patre magístro Iordáno hábitum Ordinis.

Magíster Iordánus bonæ memóriæ accersíri vóluit quáttuor soróres de Sancto Sixto per licéntiam Summi Pontíficis, ut eas docérent órdinem et modum religiónis. Sicque quáttuor soróres, quæ proféssæ erant in mánibus beáti Domínici et ab eo hábitum suscéperant, ad monastérium Sanctæ Agnétis devenérunt. Fuerúntque in eárum collégio usque ad diem mortis suæ magno sanctitátis vigóre polléntes; quarum sorórum una éxtitit soror Cæcília, quæ adhuc súperest.

Responsorium

℟. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Iesu Christi, * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi (T.P. allelúia).

℣. Eructávit cor meum verbum bonum; dico ego ópera mea Regi. * Quem vidi.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Congregávit nos Christus ad glorificándum seípsum; reple, Dómine, ánimas nostras Sancto Spíritu (T.P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Símile est regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ (T.P. allelúia).

Oratio

Lætífica nos, quæsumus, Dómine, in Beatárum vírginum Diánæ et Cæcíliæ grata festivitáte, earúmque intercessióne nobis præsta, ut fraternitátis dilectiónem ac veritátis amórem corde exhibeámus et ópere. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Qui sunt Christi Iesu carnem crucifixérunt cum vítiis et concupiscéntiis. Si vívimus Spíritu, Spíritu et ambulémus (T.P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Prudéntes vírgines aptáte lámpades vestras: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei (T.P. allelúia).

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 10 iunii

B. IOANNIS DOMINICI, EPISCOPI

Memoria ad libitum

Anno circiter 1355 Florentiæ natus, adulescens 17 annorum Ordinem amplexus est in conventu Sanctæ Mariæ Novellæ. Reformationi a Raimundo de Capua post pestem nigram anni 1348 inceptæ quam maxime favit et in plurimis cœnobiis illam statuit ita ut « primus suscitator observantiæ regularis in Italia existeret ». Anno 1395, Venetiis cum aliquibus discipulis sanctæ Catharinæ Senensis, quam magna veneratione prosequebatur, monasterium Corporis Christi pro monialibus dominicanis condidit. Eius apostolatus repente interruptus fuit anno 1399 iussu magistratuum quorum interdictum neglexerat.

Per quinque annos expulsus, Florentiam profectus est ubi prædicationi totum se dedit facundia et animarum zelo

præclarus. Sollicitudine affectus quæstionibus fidei ac moralis ab humanismo sui temporis positis, librum composuit qui inscribitur *Lucula noctis* fundamentum exponens educationis christianæ. Romam a Florentinis delegatus anno 1406, ut de schismate tractaret, fiduciam sibi acquisivit Gregorii XII nuper electi qui Ioannem consiliarium suum fecit et anno 1408 archiepiscopum Ragusinum et cardinalem a titulo Sancti Xisti nominavit.

Prudentem ac fidelem se præbuit temporibus etiam ærumnosis Concilii Constantiensis. A novo papa Martino V pariter fiducia donatus, missus est legatus in Bohemiam et in Hungariam ad laborandum contra hæresim a Ioanne Hus nuncupatam. His in negotiationibus mortuus est Budæ, die 10 iunii anno 1419. Gregorius XVI cultum illi tributum confirmavit, die 9 aprilis 1832.

De Communi pastorum (LH III, 1437), vel sanctorum virorum: pro religiosis (1539), præter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA [**]

E libro beáti Ioánnis Domínici epíscopi De amóre caritátis

(Capp. 39-40: ed. A. Ceruti, Bologna 1889, pp. 464-474)

Maior autem est caritas

Fides et spes ad hómines tantum ratiónem habent, cáritas in Deo; fides montes tradúcere potest, cáritas autem montes cælum terrámque creat; fides creatúram hortátur ut díligens ad paradísum conténdere nitátur; cáritas Deum rogat ut ardens in terram descéndat ita ut homo via caritátis suæ in cælum pervéniat.

[Fides dicit: servi, homo, Deo tuo, sicut débitum est; dicit cáritas: fac te, Deus, hóminem atque hómini servi qui tibi debet plura quam habet.

Dicit fides: homo pulsa cælum ut tibi aperiátur. Dicit cáritas: Deus, frange cælum ut homo cælum apértum invéniat. Fides docet hóminem propter Dei amórem mori, cáritas Deum invítat ut Deus pro

hómine moriátur et homo pro Deo suo. Fides hómini Deum a longe osténdit, cáritas hóminem ad Deum affert et quæ Deum hóminem fecit, et hunc Deum facit.]

Fides tantum dómina est quia hic tantum regnat ubi non habémus manéntem civitátem sed exspectámus futúram; cáritas autem imperátrix est cæli et terræ. Fides agrícola est, cáritas civis. Fides imperátrix est multárum humílium creaturárum, cáritas angelórum; fides supra servos est, cáritas supra fílios diléctos sanctósque.

Hoc bene consídera. Si in sole esset univérsus velut noster, a quo ipse illuminarétur, calefíeret, lætificarétur, dirigerétur? Mínime quidem rádiis, sed esséntia eius tantum, quia sol in esséntia sua univérsum illum totum cóntinet. Univérsum nostrum illúminat, caléfacit, lætíficat, dírigit non seípso — ad nos enim veníre nequit — sed rádio suo quem ad nos mittit. Rátio ígitur quare sol rádio suo hæc perfíciat est quia ad nos veníre nequit. Ita et multo magis de Deo cógita.

Pater velut sol rádium suum gignit, Verbum vidélicet ætérnum et essentiále. Pater Verbúmque, velut sol ac rádium æstum essentiálem producunt, hoc est Spíritum Sanctum, ita ut sol iste divínus poténtia lux ignísque sit, Pater, Fílius et Spíritus Sanctus, poténtia véritas et cáritas, Deus unus et tres persónæ; et sol iste divínus totus est potens, totus lucens, totus ardens. Non tres poténtiæ sed una; non tres luces sed una; non tres ignes sed unus.

Hic nihilóminus parvum dúbium óritur. Dictum est quod nos omnes in Deo sumus et Deus cáritas est; ígitur vidéri potest quod omnes in caritáte sumus, et ita omnes sumus in veritáte et omnes in vera poténtia sumus. Hoc autem falsum est quia pauci sunt in caritáte; multi contra in erróre ac mendácio versántur, et plures débiles sunt et fragilitáte reténti.

Primum autem exémplo respóndeo: multi pisces in sole sunt sed aqua coopérti et non concaléscunt; multi cæci in luce consístunt et non vident; multa vasa cibum cóntinent et non edunt. Vide ígitur quóniam non súfficit esse in loco áliquo ad loci virtútem participándam, sine débita dispositióne. Ægrótus sine utilitáte cómedit, mórtuus in igne pósitus calórem non pércipit. Etsi quis in sole consístit et frigidíssima aqua sine intermissióne respérgere se facit, non concaléscit sed sine intermissióne cóntremit.

Ita, etsi pósiti in igne divíno sumus — qui non corpus caléfacit, sed ánimam incéndit — nullum de hoc divíno igne benefícium accípimus si grándinem carnis, gláciem mundi, ventum tentatiónis super ánimam inícere quis non désinat. Ex his prædíctis necésse est ánimam remótam habeámus nec quisquam erit qui a calóre eius abscondátur, sicut Psalmísta dicit.

RESPONSORIUM 1 Tim 1, 12. 5; 2 Tim 2, 3

℟. Grátias ago ei, qui me confortávit, Christo Iesu Dómino meo, * Quia me fidélem existimávit, ponens in ministério (T.P. allelúia).

℣. In caritáte de corde puro et consciéntia bona et fide non ficta, sicut bonus miles Christi laborávi. * Quia.

Vel alia:

E Tractátu beáti Ioánnis Domínici epíscopi De obligatióne Constitutiónum in Ordine Prædicatórum (Ed. R. Creytens: AFP 23, 1953, pp. 207-208; 230-232)

Verbis professionis Deus, beata Maria et beatus Dominicus sicut vades sponsionis præponuntur et quasi fideiussores donantur

Ad artículum: *an Constitutiónes Fratrum Prædicatórum óbligent suos professóres*, indúbie respondéndum est quod sic. Hoc enim notum est tam ex

textu ordinánte, mandánte, præcipiénte et prohibénte quam ex ratióne.

Verum in prólogo dictárum constitutiónum dícitur: « Nólumus quod prædíctæ constitutiónes óbligent nos ad culpam sed ad pœnam, nisi propter præcéptum vel contémptum ». Quisquis autem créditur secúndum se obligári ad id quod suæ salúti et iustæ commoditáti est magis propínquum.

Quæro quid per professiónem importétur per primum, cum dicit: « Promítto obœdiéntiam Deo »? Numquid sensus erit: Deo et céteris sanctis qui sequúntur, obœdíre promítto secúndum régulam et constitutiónes, aut simplíciter Deo ad obœdiéndum se obligáre de novo? Si primo modo, aut hoc est legem impónere Deo, quod non possit sibi áliud imperáre quam sit in illis scriptum, aut se obligáre per votum ad observántiam régulæ et constitutiónum. Primum est derisíbile et nugatórium, secúndum est formidábile et nimis obligatórium.

Quidquid autem sit sentiéndum de obœdiéntia Deo per professiónem illam promíssa, quid dicémus de Vírgine gloriósa, quia addit: « et beátæ Maríæ »? Sive de prætéritis sive de futúris imperándis ab ipsa id exponátur, ad rem non pertinére sciétur.

Tandem addit: « et beáto Domínico ». Utinam sic crederémus profitéri, ut institútis beáti Patris Domínici, vita et verbis expréssis, scirémus nos obligátos! Nam floréret spatiósus Ordo Domínici rosis et líliis, víolis cum croco, et sicut cynnamómum et bálsamum aromatízans daret suavitátem odóris, contínue egrédiens de desérto, sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris et univérsi púlveris pigmentárii!

Dicámus ígitur hos tres, verbis professiónis, sicut vades sponsiónis præpóni et recipiénti profiténtes quasi fideiussóres donári, secúndum quod in contráctibus spirituálibus consuévit servári tam in Vé-

teri quam in Novo Testaménto. Hos lædit et quasi negat profé́ssus si tribus illis téstibus advocátis, quæ promíttit non servat, et contra se eos próvocat in iudício.

Et vide quam notánter tria vota cum suis circumstántiis professúrus, tres illos, Deum, beátam Maríam et beátum Domínicum tantum indúcit, et non beátum Augustínum, secúndum cuius régulam principáliter profitétur. Nam beátus Augustínus non fuit sine possessiónibus quoad primum; non castus ante baptísmum sed de concubína prolem, nómine Adeodátum, suscépit quoad secúndum; et non súbditus sed prælátus, áliis ímperans quoad tértium.

[Sed tres illi, in his tribus votis, fuérunt potíssimi. Hoc patet de Hómine Deo, non habénte ubi caput reclináret, quoad paupertátem; vírgine de vírgine nato, quoad castitátem; qui non venit própriam voluntátem fácere sed Patris, quoad obœdiéntiam.

Nota sunt hæc de Vade secúnda, quæ étiam puélla sive infántula, summi sacerdótis se súbdidit disciplínæ, et hoc quantum ad tértium; non cognóvit virum, semper inexpérta viri thori, et hoc quoad médium; tantúmque paupertátem diléxit, ut non posset émere agnum pro oblatióne fílii sui nupérrime a Magis ditíssime muneráta.

At tértius asséssor, beátus Domínicus, altíssimæ paupertátis éxstitit patriárcha; virginitátem conservávit in ævum; et tantæ obœdiéntiæ bono flóruit férvidus amátor illíus, ut nollet, cum tamen esset sciéntia plenus et spíritu, conscríbere régulam sed elígere scriptam, ut obœdíret priúsquam obœdirétur, et semper étiam magistrátui Ordinis renúntians, ávidus súbici fíliis suis per obœdiéntiæ salubérrimum bonum.]

RESPONSORIUM 2 Tim 1, 9. 10

℟. Vocávit nos Deus vocatióne sua sancta, secúndum grátiam suam, quæ manifestáta est nunc * Per

illuminatiónem Salvatóris nostri Iesu Christi (T.P. allelúia).

℣. Qui destrúxit mortem, illumináv it autem vitam in incorruptiónem. * Per illuminatiónem.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. In sanctitáte et iustítia sérviens Dómino, diréxit plebem Dei in viam pacis (T.P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi (T.P. allelúia).

Oratio

Deus, supérni consílii et caritátis largítor, qui, in conservánda Ecclésiæ unitáte promovendáque regulári observántia, Beátum Ioánnem epíscopum virtúte roborasti, eius intercessióne nobis concéde ut quæ sunt unitátis et pacis, iúgiter sectémur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Vita vestra abscóndita est cum Christo in Deo (T.P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Qui verbum Dei rétinent corde perfécto et óptimo, fructum áfferunt in patiéntia (T.P. allelúia).

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 12 iunii

B. STEPHANI BANDELLI, PRESBYTERI

Eloquens et sedulus apostolus ita ut novus Paulus diceretur, natus est anno 1369 Castrinovi ad Scriviam [Castelnuovo Scrivia], apud Alexandriam, in Italia et habitum Ordinis Placentiæ accepit. Philosophiam et theologiam docuit in universitate Papiensi, sed præcipue excelluit in prædicatione et in confessionibus audiendis. Multi peccatores conversi sunt

eius prædicatione. Mortuus est plus quam octogenarius die 11 iunii 1450 Salutiis [Saluzzo] quam urbem post mortem magna liberavit obsidione. Pius IX die 21 februarii 1856 illius cultum confirmavit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui ad errántes in viam salútis revocándos, Beátum Stéphanum exímium evangélii præcónem effecísti, illíus méritis et imitatióne nobis concéde, arcta cum Christo unióne, in labóre profícere ut mercédem operáriis regni promíssam recípere mereámur. Per Dóminum.

Die 18 iunii

B. HOSANNÆ DE MANTOVA, VIRGINIS

Hosanna Andreasi Mantuæ, in Italia, orta est anno 1449, affinitate coniuncta cum familia Gonzaga quæ sæculo xv Mantuæ ducatum regebat. A prima iuventute, abdicatis nuptiis, habitum Sororum de Pœnitentia S. Dominici induit, christianas virtutes summopere exquirens, humilitatis præsertim. Celeberrimi theologi Francisci de Silvestri [Ferrariensis] prudenti spiritus moderatione frui potuit, qui inde Magister Ordinis fuit eiusque vitæ historiam conscripsit. Læta et caritativa, divinorum contemplationem una cum sæcularibus occupationibus et bonorum operum exercitio mira sapientia coniunxit, ut plures quoque eius epistolæ commonstrant. Mysticis extraordinariis cumulata gratiis, obiit die 18 iunii 1505. Decem vix post annos (1515) eius cultum Leo X pro Mantuana diœcesi permisit, universaliter vero Innocentius XII confirmavit, die 27 novembris 1694.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum: pro iis quæ opera misericordiæ exercuerunt, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Bonórum ómnium largítor, Deus, qui Beátæ Hosánnæ investigábiles Christi divítias ómnibus præ-

férre tribuísti et docére, da nobis eius exémplis ínstrui et mónitis ut, in tua sciéntia crescéntes, secúndum evangélii lumen fidéliter conversémur. Per Dóminum.

Die 20 iunii

B. MARGARITÆ EBNER, VIRGINIS

Circa annum 1291 Donauworth in Bavaria nata est ac in paterna domo virtutibus et litteris erudita. Anno circiter 1306 in monasterio Medingen, diœcesis Augustanæ [Augsburg], Deiparæ Virgini Assumptæ dicato, devotam selegit conversationem inter moniales Ordinis Prædicatorum. Anno 1311, admonita de plena sui in divinam voluntatem conversione perficienda, vitam iniit perfectiorem ad instar Patris sui Dominici « salutarem sibi, exemplarem hominibus, iucundam angelis, gratam Deo ». Sancti Spiritus donis aucta multisque afflictionibus Christo compatiens, cotidiano mentis in Deum ascensu per omnes contemplationis gradus, summam cum Ipso animæ unionem anno 1347 adepta est.

Margarita una exstat ex præcellentibus mysticis rhenanis quæ sæculo XIV floruerunt in plus quam 70 monasteriis Ordinis nostri Teutoniæ. Amica Ioannis Tauler, frequens quoque illi habitudo fuit cum bonæ voluntatis hominibus qui « amici Dei » dicebantur. Et ipsa auctrix fuit autobiographicæ experientiæ mysticæ insignis, cuius testimonium exstant « Revelationes » seu « Diarium » atque spiritualium elevationum collectio « Paternoster » dicta, quæ divinum nos erudit affectum. Supernam petivit domum die 20 iunii 1351. Cultum ei ab immemorabili præstitum Ioannes Paulus II ratum habuit et confirmavit die 24 februarii 1979.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Summæ bonitátis, Deus, qui Beátam Margarítam, Sancti Spíritus igne succénsam, divíni amóris tui arcána penetráre fecísti, eius nobis interventióne concéde ut, eódem Spíritu repléti, ad te per Christi sémitas gradiámur. Qui tecum.

Die 23 iunii

B. INNOCENTII V, PAPÆ

Petrus de Tarantaise, a patrio loco in Francia ubi ortum habuit anno circiter 1224, antea dictus, adulescens conventum Lugdunensem Ordinis Prædicatorum ingressus est. Anno 1255 ad Studium Parisinum cœnobii Sancti Iacobi missus, magister sacræ theologiæ est effectus. Anno 1259 cum Alberto Magno, Thoma de Aquino, Florentio de Hesdin et Bonhomine Bretone, a Capitulo generali Valentiennensi designatus est ut commissionem extra-capitularem « ad promotionem studii » constitueret, ac simul confecta sunt Statuta, charta perennis institutionis scholarum Ordinis.

Ab anno 1259 usque ad annum 1264 et ab anno 1267 usque ad annum 1269 theologicas disciplinas in Academia Parisiensi docuit. Bis docendi munus intermisit, ad regimen Provinciæ Ordinis semel et iterum vocatus (1264-1267; 1269-1272). Anno 1272, invitus, archiepiscopus Lugdunensis est creatus ac postea, nondum episcopus ordinatus, mense maii 1273 factus est cardinalis ordinis episcopalis Ostiæ Tiberinæ. Una cum sancto Bonaventura moderatus est negotia maioris momenti in Concilio Lugdunensi, anno 1274, quo Græcorum coniunctio cum latinis probata est.

Magisterio clarus sed honestate vitæ morumque suavitate clarior, ad Petri cathedram evectus, mense ianuario anni 1276, nomen sibi imposuit Innocentium. Ecclesiale servitium in œcumenicam unitatem redintegrandam præsertim versum, raptim explevit: « Ecclesiæ ostensus, potius quam datus ». Obiit enim eodem anno die 22 iunii. Eius cultus confirmatus fuit die 14 martii 1898 a Leone XIII. Sepulcrum vero eius sæculo XVIII terræ motu disparuit.

De Communi pastorum: pro papis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Innocéntium papam, sciéntiæ ac prudéntiæ donis decorátum, pacis et unitátis conciliatórem effecísti, eius intercessióne nobis concéde, cæléstia sápere et ómnia bona concórdi stúdio sectári. Per Dóminum.

IULIUS

Die 7 iulii

B. BENEDICTI XI, PAPÆ

Nicolaus Boccasini, Tarvisii, in Italia anno 1240 ex humili lotaria natus, humilis « benignus et mitis, iurgia oderat et pacem amabat », ad se civium fratrumque animos trahens, fidelitate quoque ac fortitudine præclarus. Provinciam Lombardiæ rexit ac postea Ordinem (1296), « magnus communitatis amator atque sectator ». A papa Bonifacio VIII creatus cardinalis (1298) apud illum erat cum Nogaret emissarius regis Philippi IV Pontificem iniuria læsit.

Paulo post, Bonifacius VIII obiit ac Nicolaus, illi in Pontificatu succedens, nomen cepit Benedicti XI. Pontificatus sui tempore (22 octobris 1303 - 7 iulii 1304) operam dedit ad pacem restaurandam in Britannia et in Germania et ad reconciliationem Galliæ cum Sancta Sede procurandam. Fratres Mendicantes paterna benignitate iuvit. Perusiæ sancte obiit die 7 iulii anno 1304. Cultum ei ab immemorabili præstitum die 24 aprilis 1736 Clemens XII confirmavit.

De Communi pastorum: pro papis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui magno fraternitátis amóre tuíque gregis suprémo servítio, Beátum Benedíctum papam præclárum effecísti, concéde ut eius intercessióne in fratérna semper simus conversatióne fervéntes, et in Ecclésiæ famulátu unanímiter constántes. Per Dóminum.

Die 8 iulii

B. HADRIANI FORTESCUE PATRISFAMILIAS, MARTYRIS

Anno circiter 1476 nobili familia in comitatu Devonensi [Devon] in Anglia natus, coniux et pater præclaræ virtutis fuit. Iudex pacis Ordinisque Melitensis eques, regulam Fraternitatis laicalis oxoniensis S. Dominici professus, tamquam

ascetice vivendi normas hæc inter alias sibi imposuit: divini beneplaciti impletionem in omnibus quærere, motioni Sancti Spiritus semper obsequi in agendis, quotidie bona consilia renovare omniaque diligenter explere et a Deo perseverantiam impetrare. Ob eius virtutem invisus, bis carcere detentus, demum capite mulctatus est die 8 vel 9 iulii anno 1539 ob dedignationem præstandi iuramentum fidelitatis regi in rebus fidei. Eius cultus confirmatus fuit die 13 maii 1895 a Leone XIII.

De Communi unius martyris, vel sanctorum virorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui admirábili spíritu pietátis ac fortitúdinis Beátum Hadriánum singuláriter roborásti, exáudi preces pópuli tui et præsta ut, glorióso eius edócti exémplo, tibi magis quam homínibus obœdíre discámus. Per Dóminum.

Die 9 iulii

SS. IOANNIS DE KÖLN PRESBYTERI, ET SOCIORUM, MARTYRUM

Memoria obligatoria

Ioannes Heer, catholicæ veritatis et pastoralis caritatis præclarus testis, natus est in Germania, initio sæculi XVI. Frater fuit conventus Coloniensis, et a suis superioribus instanter postulavit Hollandiam petendi ut catholicos, qui sub dura persecutione calviniana erant, sublevaret. Cum ibidem parochi munere Hornariensis ecclesiæ fungeretur, ab hæreticis captus, martyr occubuit strangulatus suspendio extra muros civitatis Brielle ad Mosam, in Hollandia meridionali, ad mediam noctem inter 8 et 9 iulii 1572, una cum aliis 18 presbyteris et religiosis a proximiore civitate Gorcum maiori ex parte provenientibus. Qui omnes pro catholica veritate circa Eucharistiam et Romani Pontificis primatum in Ecclesia pariter laqueo suspensi sunt; eorumdem corpora membratim discerpta. Clemens X die 24 novembris 1675 illum et socios sollemni ritu beatificavit; Pius IX die 29 iunii 1867 sanctos proclamavit.

De Communi plurimorum martyrum (LH III, 1395), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Veníte, adorémus Regem regum, qui beátis martýribus corónam dedit glóriæ.

Vel, præsertim in cantu: Deum, qui suos mártyres ætérnis corónis decorávit, * Veníte, adorémus.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Adhibetur textus congruus, vel Nocte iam pulsa, ut ad Laudes matutinas, 266.

Sicubi gradu festi celebratur:

PSALMODIA

Antiphonae propriae ex una alterave serie adhiberi poterunt ut ad Laudes matutinas cum psalmis de Communi plurimorum martyrum (LH III, 1395).

℣. Anima nostra sústinet Dóminum.
℟. Quóniam adiútor et protéctor noster est.

LECTIO PRIOR

De Epístola ad Hebræos 11, 33 - 12, 3

Aspexerunt in Iesum
auctorem et consummatorem fidei

Sancti per fidem devicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, extinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum; accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos; álii autem distenti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem; álii vero

ludíbria et vérbera expérti sunt, ínsuper et víncula et cárcerem; lapidáti sunt, secti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt, circumiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus, in solitudínibus errántes et móntibus et spelúncis et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónium per fidem consecúti non reportavérunt promissiónem, Deo pro nobis mélius áliquid providénte, ut ne sine nobis consummaréntur.

Ideóque et nos, tantam habéntes circumpósitam nobis nubem téstium, deponéntes omne pondus et circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus propósitum nobis certámen, aspiciéntes in auctórem fídei et consummatórem Iesum, qui pro gáudio sibi propósito sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera throni Dei sedet. Recogitáte enim eum, qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semétipsum contradictiónem, ut ne fatigémini ánimis vestris deficiéntes.

RESPONSORIUM Sap 3, 4. 5. 6

℟. Si coram homínibus torménta passi sunt, tamen spes illórum immortalitáte plena est. * Quóniam Deus tentávit eos, et invénit eos dignos se.

℣. Tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos. * Quóniam.

LECTIO ALTERA [**]

Ex Epístola beáti Humbérti de Románs presbýteri De reguláris observántia disciplínæ

(Opera de vita regulari, ed. J.-J. Berthier, vol. I, Romæ 1888, pp. 23 sqq.)

De patientia

Virtútum clýpeum patiéntiam apprehéndite, quæ in sanctis Dei mirabília operátur. Facit enim ipsa patiéntia víncere puéllam frágilem totum mundum:

immo sine pugna vincit adversárium, et amaritudínibus mundi páscitur, et contráriis delectátur. *Apóstoli certe dignos se hábitos gaudéntes iudicábant, quia pro Christi nómine contumélias sustinébant.*

Si bene considerámus, *non sunt condígnæ passiónes huius témporis,* quas sustinémus, ad magnitúdinem passiónum Christi, nostrorúmque delictórum, et infernálium tormentórum, atque cæléstium præmiórum.

Proínde *lætáti sunt* patres nostri *pro diébus quibus humiliávit eos* Dóminus, *et annis quibus vidérunt mala,* sicut apérte nobis beátus Domínicus osténdit, qui loca insidiárum tránsiens, incéssit alácriter et cantávit. Idem quoque Pater fuit Carcassónæ libéntius quam Tolósæ, quia recépit ibi moléstias, hic honóres.

Exémplum patiéntiæ nobis exhíbuit qui dicébat: *Nonne dissimulávi? nonne sílui et iam quiévi?* Dissimulávit quidem foris per ópera, ne impatiéntiæ signum osténderet; tácuit a verbis inordinátis, ne vel ore dura verba proférret; quiévit et corde, ne seípsum vel intrínsecus turbáret.

Patiéntia est ádamas, quo mens incómmodis non frángitur; medicína, per quam ab omni læsióne curátur; et clýpeus quo ne lædi váleat communítur. Ab álio certe lædi non potérimus, nisi prius contra nosmetípsos intrínsecus dimicémus.

Tribulatiónis fructum ille novit, qui prétium iniuriántibus erogávit.

Hunc fructum Sacra Scriptúra satis ínnuit, ubi tribus púeris ignis in nullo nócuit, sed víncula tantum solvit.

Idem osténdit artifícium, quia lapis ad hoc túnditur aut scúlpitur, ut in sollémni loco póstmodum collocétur. Sic et nos nunc in mundo prémimur, ut in templo cæléstis pátriæ, ubi nullus sonat málleus, collocémur. Nam gáudium tristítia præcédit, qua, vel

pro exigéntia culpæ, vel perfectióne grátiæ, vel augménto glóriæ nunc ferímur. O labor, o dolor, o beátæ lácrimæ, quas ab afflictórum óculis manus omnipoténtis abstérget!

Cælórum regnum eórum dícitur qui propter iustítiam persecutiónem patiúntur. Cum vero in persecutióne duo sint, culpa vidélicet et pœna, meliórem partem habet pátiens quam pérsequens, cum culpa sit lædéntis, et pœna tantúmmodo sustinéntis.

RESPONSORIUM 2 Cor 4, 8. 17; Rom 8, 18

℟. In mortem trádimur propter Iesum, sed non angustiámur: id enim quod in præsénti est momentáneum et leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte, * Ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis.

℣. Non enim sunt condígnæ passiónes huius témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. * Ætérnum glóriæ pondus.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Audíta est, ut in Appendice, 657.

Vel alia:

Ex Exhortatióne Orígenis presbýteri ad martýrium
(Nn. 41-42: PG 11, 618-619)

Socii passionum Christi, socii erunt et consolationis

Si a morte transívimus ad vitam, eo quod ab infidelitáte ad fidem transiérimus, ne mirémur si nos odit mundus. Nemo enim qui a morte ad vitam non transíerit, sed remánserit in morte, eos amáre potest qui transiérunt a tenebrósa mortis, ut ita dicam, domo ad ædifícia lucis vitæ, vivis ex lapídibus compléta.

Pro nobis pósuit ánimam suam Iesus, et nos ígitur ponámus eam, non dicam pro ipso, sed pro

nobis, opínor autem pro iis qui martýrio nostro ædificándi sunt.

Adest nobis tempus, christiáne, gloriándi. Ait enim: *Non solum autem, sed et gloriámur in tribulatiónibus, sciéntes quia tribulátio patiéntiam operátur; patiéntia autem probatiónem; probátio autem spem; spes vero non confúndit. Tantum cáritas Dei diffúsa sit in córdibus nostris per Spíritum Sanctum.*

Si, *sicut abúndant passiónes Christi, ita per Christum abúndat consolátio,* summa alacritáte passiónes Christi suscipiámus, et abúndent illæ in nobis, si abundántem consolatiónem appétimus, quam consequéntur omnes qui lugent; forte non ex æquo: si enim æquális consolátio esset, non esset scriptum: *Sicut abúndant passiónes Christi in nobis, sic abúndat et consolátio nostra.*

Qui sócii passiónum sunt, proportióne passiónum quas cum Christo partiúntur, sócii erunt et consolatiónis. Hæc ab illo díscitis, qui confidénter dixit: *Sciéntes quod sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis.*

Ait autem per Prophétam Deus: *Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te.* Quodnam ígitur áliud tempus accéptius quam cum, propter nostram erga Deum in Christo pietátem, sub custódiam in pompa incedéntes in mundo, sed triumphántes pótius quam triumpháti, abdúcimur?

Mártyres enim Christi cum ipso *exspóliant principátus et potestátes,* cum ipso triúmphant illos, ut cum sócii fúerint passiónum eius, et sic in iis quæ patiéndo fórtiter gessit, partem hábeant. Quæ autem ália perínde dies salútis est ac illa qua hinc tali modo excéditis?

Sed, óbsecro, *némini date ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum, sed in ómnibus exhibeátis vosmetípsos sicut Dei minístros in multa patiéntia,* dicéntes: *Et nunc quæ est exspectátio mea, nonne Dóminus?*

RESPONSORIUM Eph 6, 12. 14. 13

℟. Non est nobis colluctátio advérsus carnem et sánguinem, sed advérsus príncipes et potestátes, contra spiritália nequítiæ in cæléstibus; * State ergo succíncti lumbos vestros in veritáte.

℣. Accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, et in ómnibus perfécti stare. * State.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Adhibetur textus congruus, vel sequens:

Nocte iam pulsa, rutilántis astri
splendor illústrat púgilum triúmphos,
qui modo in campo cecidére fortes
gorcomiénsi.

Mártyrum surgit nova turma: crescit
mílitum Christi píetas et ardor,
scútaque invíctæ fídei tenéntes,
fórtiter instant.

Tu, Deus, clamant, hómini parásti
cælicum panem, solidáque in arce,
Christe, tu Petro fídei dedísti
esse magístrum.

Iam phalanx pergit generósa morti
óbviam; Iesum vocat hic, Maríam
alter implórat, moriénte Matrem
ore salútans.

Sic diem fortes óbeunt suprémum,
hostis insáni fera vis triúmphat,
membra spargúntur temeráta, terram
sanguis inúndat.

Sit Patri virtus, honor et potéstas,
Fílio sit laus párilis per ævum,
Flámini sancto résonent perénni
cántica voce.

PSALMODIA

Antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus: Series A, e Scripturis Sacris deprompta; Series B, pariter biblica sed gregoriana melodia ornata, pro Officio in cantu præsertim utilis.

Sicubi gradu festi celebratur, hæ antiphonæ cum psalmodia de dominica hebd. I dicendæ sunt.

Antiphona 1

Ser. A Sicut abúndant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abúndat consolátio nostra.

Ser. B Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia, ut hærédes fíerent in domo Dómini.

Antiphona 2

Ser. A Veritátis verbum Christi tenens, sacraménto et fundaménto fídei, sánguine fuso, méruit adhærére.

Ser. B Ecce merces sanctórum copiósa est apud Deum: ipsi vero mórtui sunt pro Christo et vivent in ætérnum.

Antiphona 3

Ser. A Non sunt condígnæ passiónes huius témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis.

Ser. B Hi sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

LECTIO BREVIS Col 1, 24-25

Gáudeo in passiónibus pro vobis et adímpleo ea, quæ desunt passiónum Christi, in carne mea pro córpore eius, quod est Ecclésia, cuius factus sum ego miníster secúndum dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Lavérunt stolas suas * In sánguine Agni. Lavérunt.

℣. Et dedit illis Dóminus nomen sanctum glóriæ. * In sánguine Agni. Glória Patri. Lavérunt.

Ad Benedictus, ant. Fluénta grátiæ propinávit pópulo Ioánnes, et stolam glóriæ accépit cum sóciis in consummatióne virtútis.

Vel, præsertim in cantu: Memor sit Dóminus sacrifícii nostri, et holocáustum nostrum pingue fiat.

Preces congruæ vel de Communi plurimorum martyrum.

Oratio

Deus, qui in beatórum Ioánnis et sociórum glorióso martýrio mirum fídei ac fortitúdinis exémplum nobis præbes, concéde quæsumus ut, eórum præcónio et exémplo, advérsis mundi fórtiter obsisténtes, in veræ fídei confessióne perseverántes inveniámur. Per Dóminum.

Ad Horam mediam

Sicubi gradu festi celebratur, psalmi de feria currente cum antiphona de Tempore. Lectio brevis de Communi plurimorum martyrum (LH III, 1404). Oratio ut supra.

Ad Vesperas

HYMNUS

Adhibetur textus congruus, vel sequens:

Mártyrum virtus validúmque robur,
palma victórum, decus et coróna,
Christe Rex, tanti mémorum triúmphi
vócibus adsis.

Hac die sacra pópulus fidélis
mílites Christi, fídei colúmnas,
agmen invíctum celebráre digno
cármine gestit.

Inter hos noster iúbilans triúmphum
ordo præclári récolit Ioánnis,
qui suam pastor bonus immolávit
pro grege vitam.

Férvidi sacro pietátis igne,
pábulum præbent pópulo salútis
nec minæ terrent: Deus ipse corda
próvidus afflat.

Sit Patri virtus, honor et potéstas,
Fílio sit laus párilis per ævum,
Flámini sancto résonent perénni
cántica voce.

Psalmodia

Antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus. Pro celebratione in cantu, antiphonæ sumuntur ad libitum ex serie B ad Laudes matutinas, 267, cum psalmodia feriali.

Sicubi gradu festi celebratur, hæ antiphonæ cum psalmis et cantico de Communi plurimorum martyrum dicendæ sunt (LH III, 1406).

Ant. 1 Beátus Ioánnes, Spíritus Sancti ductu, viam Domínici secútus, viam Dómini custodívit usque ad sánguinis effusiónem.

Ant. 2 Dignus Domínici fílius, próximis compatiebátur et salútem eórum ardentíssime desiderábat.

Ant. 3 Fidúciam habens per Christum in Deo, contémpsit vitam mundi et pervénit ad prǽmia regni.

Lectio brevis 2 Cor 4, 17-18

Quod in præsénti est, leve tribulatiónis nostræ supra modum in sublimitátem ætérnum glóriæ pondus operátur nobis, non contemplántibus nobis, quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur: quæ enim vidéntur, temporália sunt, quæ autem non vidéntur, ætérna sunt.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Lætámini in Dómino * Et exsultáte iusti. Lætámini.
℣. Et gloriámini, omnes recti corde * Et exsultáte iusti. Glória Patri. Lætámini.

Ad Magnificat, ant. In hoc nóvimus caritátem, quóniam Dóminus pro nobis ánimam suam pósuit; et nos debémus pro frátribus ánimas pónere.

Vel, præsertim in cantu: Gaudent in cælis ánimæ sanctórum qui Christi vestígia sunt secúti; et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo regnábunt in ætérnum.

Preces congruæ vel de Communi plurimorum martyrum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 13 iulii

B. IACOBI DE VARAZZE, EPISCOPI

Circa annum 1228 lucem aspexit. Anno 1244 Ianuæ [Genova] Ordinem amplexus est. Doctrina et facundia præditus, benignitate magis ac virtutum exemplis corda hominum ad Christum trahebat. Prior conventus Astensis (anno c. 1260), bis postea Provinciam Lombardiæ rexit. Mortuo Ioanne Vercellensi Magistro generali fuit Vicarius Ordinis et electioni Magistri Munionis de Zamora (1285) præfuit. Archiepiscopatum Ianuensem recusavit, sed papa Nicolaus IV aliquot post annos ipsi illum imposuit (13 aprilis 1292).

Gregi sibi commisso eximia pastorali caritate se totum impendit, de Cultu Divino instaurando deque vita christiana et pace in populo promovenda peculiariter sollicitus. Claræ exstant famæ pro *Legènda aurea*, quæ occidentalem spiritualitatem diu profunde affecit quæque amplum constituit documentum spiritus et culturæ illius ætatis. Obiit die 13 iulii 1298. Eius cultus liturgicus a Pio VII permissus fuit die 11 maii 1816. Reliquiæ eius Voraginem [Varazze] translatæ sunt.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Iacóbum epíscopum, exímium veritátis prædcónem et pacis conciliatórem effecísti, eius nobis intercessióne, concéde ut pacem et veritátem diligámus, et ad te, in quo pax summa est et pura véritas, perveniámus. Per Dóminum.

Die 17 iulii

B. CESLAI DE POLONIA, PRESBYTERI

Memoria ad libitum

Anno circiter 1180 in Polonia natus, unus fuit ex primis fratribus Ordinis sancti Dominici. Romam episcopum Cracoviensem comitans cum Hyacintho de Polonia, S. Patris Dominici vita et moribus capti, ambo Ordinis habitum induerunt. Prædicandi atque dilatandi Ordinem susceptam missionem flagranti zelo adimplens, apostolicis virtutibus clarus, partem habuit fundationi Provinciæ Poloniæ, præcipue cœnobii Wratislaviensis. Obiit die 15 iulii 1242. Eius reliquiæ Wratislaviæ asservatæ sunt in cappella quæ mirabiliter integra remansit secundo bello orbis universi perdurante. Eius cultum die 27 augusti 1712 Clemens XI confirmavit.

De Communi pastorum (LH III, 1437), vel sanctorum virorum: pro religiosis (1539), præter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA [**]

Ex Opúsculo de Vita beáti Ceslái « tuteláris Silésiæ »
(Commentarius F. Abraham Bzovii, Cracoviæ 1608)

Scientiam salutis docuit verbo et exemplo

Silésia a Deo proméruit claríssimum confessórem Cesláum velut excélsum ac divínum munus. Nihil sibi eo iucúndius, nil utílius, nihil divínius afférri pótuit. Sicut ex Océano solem ferunt ascéndere, ita Cesláus ex Polónia univérsam Silésiam, ne dum Wra-

tisláviam illustratúrus, tamquam splendidíssimum iubar emérsit sua équidem et integérrima ac cælésti vita pérditos hómines ad honéstos et íntegros mores alléxit, bonos et frugáles adhortatiónibus fovit, Wratisláviam quoque suis précibus magnópere iuvit.

Quicquid virtútis, quicquid probáti óperis, quicquid cæléstis grátiæ in religióso unquam visum est, id omne effúlsit in beáto Cesláo, qui vere dignus glorificándus. Hunc ingéntibus miráculis omnípotens Deus in dies magis magísque decoráre non cessat.

Véniens Wratisláviam Cesláus singuláre ómnium virtútum exémplar, sua vitæ honestáte et sancta prædïcatióne flagitiósos multos et ímprobos hómines haud paucos a turpitúdine et scélere revocávit et ad amórem Christi atque virtuóse vivéndi stúdium convértit, necnon ad Ordinem quam plúrimos indúxit.

Erat namque illi suávitas verbórum in exhortándo, in laudándis virtútibus præcípua ubértas ac doctrínæ et eloquéntiæ præclaríssima laus. Unde non solum suam, sed et aliórum haud paucórum efficáciter operátus est salútem verbo páriter et exémplo. Unde hic est præco salútis, Christi testis, qui testimónium perhíbuit veritáti, cuius secúndum nomen eius, ita et laus erit.

Hic circa annum Dómini millésimum ducentésimum quadragésimum primum cum Tartarórum rábie Polónia et Silésia devastaréntur, exístens in castro ínclitæ civitátis Wratislaviénsis, cum áliis Christi fidélibus oratiónibus suis civitátem ab eórum insánia poténter deféndit. Ipso namque oránte, globus ígneus super caput eius appáruit, quo pertérritæ legiónes Tartarórum fugæ præsídia assumpsérunt et abeúntes civitátem reliquérunt.

Appropínquans morti frátribus dixit: Quantum ad me áttinet, fílii, ne sollíciti estóte. Propítius, spero, mihi erit Deus curárum meárum acer olim spectátor et nunc iustus simúlque miséricors iudex. Cursum mortális vitæ, si pro illíus laude ut exístimo

exégi, inque hac aréna palæstritam me invíctum gessi, áderit mihi prǽmia et corónas decérnens. Vestri, quos córpore quidem non ánimo désero, me cura premit. Proínde cum vobíscum diútius diurnáre néqueo, herédes vos ex asse iúbeo meárum divitiárum. Hæ autem sunt, quas mecum étiam in cæléstem gazam défero, nec mihil eas sera rápiet, sed cumulábit dies.

Ad eius venerábile sepúlcrum usque hódie váriis oppréssi languóribus ad invocatiónem nóminis eius méritis ipsíus gratióse liberántur.

RESPONSORIUM 1 Cor 4, 1-2; Prov 20, 6

℟. Sic nos exístimet homo ut minístros Christi et dispensatóres mysteriórum Dei: * Hic iam quǽritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur.

℣. Multi hómines misericórdes vocántur, virum autem fidélem quis invéniet? * Hic iam quǽritur.

Vel alia:

E Constitutiónibus antíquis Ordinis Prædicatórum (ASOP 2, 1895-1896, pp. 622. 644)

Ordo noster specialiter ob prædicationem et animarum salutem ab initio institutus fuit

Quóniam ex præcépto Régulæ habére cor unum, et ánimam unam in Dómino, iustum est ut qui sub una régula, et uníus professiónis voto vívimus, unifórmes in observántia canónicæ religiónis inveniámur, quátenus unitátem quæ intérius servánda est in córdibus, fóveat et repræséntet unifórmitas extérius serváta in móribus.

Quod profécto eo competéntius, et plénius póterit observári et memóriter retinéri: si ea quæ agénda sunt scripto fúerint commendáta; si ómnibus quáliter sit vivéndum scriptúra teste innotéscat, si mutáre, vel áddere, vel minúere nulli quicquam própria voluntáte líceat, ne si mínima neglígimus, paulátim

defluámus. Ad hæc tamen in convéntu suo prælátus dispensándi cum frátribus hábeat potestátem, cum sibi aliquándo vidébitur expedíre. In iis præcípue quæ stúdium, vel prædicatiónem, vel animárum fructum videbúntur impedíre, cum Ordo noster speciáliter ob prædicatiónem et animárum salútem ab inítio noscátur institútus fuísse et stúdium nostrum ad hoc principáliter ardentérque summo ópere débeat inténdere, ut proximórum animábus possímus útiles esse.

Hi qui apti sunt cum in prædicatiónem exíre debúerint eis sócii dabúntur a prióre secúndum quod móribus eórum et honestáti iudicáverint expedíre. Qui recépta benedictióne exeúntes ubíque, tamquam viri qui suam et aliórum salútem procuráre desíderant, honéste et religióse se hábeant sicut viri evangélici sui sequéntes vestígia Salvatóris cum Deo vel de Deo secum vel próximis loquéndo vitábunt suspiciósi comitátus familiaritátem.

Eúntes vero ad iam dictum prædicatiónis offícium exercéndum vel álias itinerántes aurum argéntum pecúniam et múnera excépto victu et vestítu et necessáriis induméntis et libris nec accípient nec portábunt. Omnes qui ad offícium prædicatiónis vel stúdium sunt deputáti nullam hábeant curam seu administratiónem temporálium ut expedítius et mélius iniúnctum ministérium sibi spirituálium váleant adimplére, nisi forte non sit áliquis álius qui necessária procúret cum in necessitátibus diéi præséntis opórteat aliquándo occupári.

RESPONSORIUM 2 Cor 6, 4. 7. 3. 2. 3

℟. In ómnibus exhibeámus nos sicut Dei minístros in multa patiéntia: * Ut non vituperétur ministérium nostrum.

℣. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: némini dantes ullam offensiónem. * Ut non vituperétur.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Manifestávit nomen Iesu homínibus, et verba quæ accépit a Deo nuntiávit eis.

Vel, præsertim in cantu: In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum Dóminus et osténdit illi glóriam suam.

Oratio

Deus, qui Beátum Cesláum presbýterum, salútis animárum zelo succénsum, mira Evangélii nuntiándi grátia collustrásti, da ut eius sequéntes cum fidelitáte vestígia, fidem móribus et prædicatióne dilatáre possímus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Si quis díligit me, sermónem meum servábit: et Pater meus díliget eum; et ad eum veniémus, et mansiónem apud eum faciémus, allelúia.

Vel, præsertim in cantu: O quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona, dicéntium Sion: regnávit Deus tuus.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 22 iulii

S. MARIÆ MAGDALENÆ

Memoria obligatoria

Maria de Magdala, a Domino Iesu sanata, eum sequens dilectione magna ipsi ministrabat (cf. Lc 8, 3). Postremo cum discipuli fugissent, stabat Maria Magdalena iuxta crucem Domini cum Maria, Ioanne nonnullisque mulieribus (cf. Io 19, 25). In die Pascha Iesus mane apparuit illi et misit eam ad ipsius resurrectionem discipulis nuntiandam (cf. Mc 16, 9; Io 20, 11-18).

Cultus eius in Ecclesiam occidentalem maxime a sæculo XI diffusus est, et in Fratrum Prædicatorum Ordine viguit,

testante Humberto de Romans: « postquam conversa est [Magdalena] ad pænitentiam, facta est a Domino tanta gratia, ut post beatam Virginem non inveniatur mulier, cui in mundo maior exhibeatur reverentia, et in cælo maiorem gloriam credatur » (ed. J. Catalani, Romæ 1739, p. 210).

Eam Ordo Prædicatorum in numero protectorum habuit. Fratres sororesque omni tempore tamquam « Apostolorum apostolam » — sicut et in liturgia byzantina celebratur — coluerunt et Magdalenæ officium resurrectionem nuntiantis cum officio suo comparaverunt.

Omnia ut in Liturgia Horarum (III, 1277), præter elementa sequentia quæ ad libitum adhiberi possunt.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA [**]

E Vita beátæ Maríæ Magdalénæ a Rabáno Mauro presbýtero conscrípta

(Capp. 26-27: PL 112, 1474-1475)

Resurrectionis evangelista et Ascensionis apostola

María credit Christo, cuius háuriens fidem ex audítu Dómini desiderátæ vocis et ex visu faciéi desiderábilis — nam *granum sinápis, quod in* cordis eius *horto* bonus hortulánus *seminăverat* Iesus, íllico radicátum, *crevit in árborem magnam* firmíssimæ fídei — credidítque indubitánter, quem vidébat Christum Fílium Dei, verum esse Deum, quem diléxerat vivéntem; vere a mórtuis resurrexísse, quem víderat moriéntem; vere Deo Patri æquálem esse, quem quæsíerat in sepúlcro iacéntem.

Persuásus dénique Salvátor suavíssima prærogatíva prístini, qui in primicériæ suæ et speciális amícæ pectóre numquam ardére desíerat, amóris; sciens certíssime, quippe quem nullum latet secrétum, se in corde credéntis pigmentáriæ suæ iam ad Patrem ascendísse, ascensiónis suæ eam ad Apóstolos instítuit apóstolam, digna mercéde grátiæ et glóriæ pri-

móque et præcípuo honóris privilégio digne pro méritis ómnium ministrárum suárum remúnerans signíferam, quam ante módicum institúerat resurrectiónis evangelístam, et ait illi: « *Vade ad fratres meos, et dic eis:* Hæc dicit Dóminus: *Ascéndo ad Patrem meum* per natúram, et *Patrem vestrum* per grátiam; *ad Deum meum,* sub quo sum homo, *et Deum vestrum,* inter quos et ipsum mediátor sum ». Dicit, moxque evánuit ex óculis eius.

At illa tanta tamque præcípua dignitáte honóris et grátiæ sublimáta ab ipso Dei Fílio Dómino Salvatóre, apostolátus offício quo honoráta fúerat fungi non dístulit, quinímmo incontinénti própere venit ad Apóstolos et ait illis: « *Congratulámini mihi,* omnes *qui dilígitis Dóminum,* quia quem quærébam appáruit mihi; et dum flerem ad monuméntum *vidi Dóminum* meum; et hæc dixit mihi: *Vade ad fratres meos, et dic eis:* Hæc dicit Dóminus: *ascéndo ad Patrem meum,* qui me ante sæcula génuit; *et ad Patrem vestrum,* qui vos sibi fílios adoptávit. *Ad Deum meum,* quia descéndi; *et ad Deum vestrum,* quia ascendístis ».

María suis coapóstolis evangelizávit Messíæ resurrectiónem: *Quia vidi Dóminum,* et prophetávit ascensiónem: *Et hæc dixit mihi: Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum.*

RESPONSORIUM Mt 28, 1. 5-6; Mc 16, 7

℟. María Magdaléne et áltera María ibant dilúculo ad monuméntum. Iesum quem quæritis, non est hic, surréxit sicut locútus est: * Præcédet vos in Galilæam: ibi eum vidébitis, allelúia, allelúia.

℣. Cito eúntes dícite discípulis eius et Petro quia surréxit Dóminus. * Præcédet vos.

Præsertim in cantu, serie antiphonæ et responsorium prolixum, ut in Appendice, 657.

Vel alia:

Ex Commentáriis in Evangélium fratris Maríæ Ióseph Lagrange presbýteri

(L'Evangile de Jésus-Christ, Paris 1946, pp. 583 sqq., 586 sqq.)

Maria Magdalena Apostolorum apostola est consecrata

Céteras mulíeres María Magdaléna præcucúrrerat, quia nondum illucescébat cum respíciens vidit sublátum lápidem, id est revolútum, ita ut monuméntum esset apértum. Dilápsi erant custódes, at illa non mirátur, nésciens eos ibi constitútos. Aspéxit, et statim corpus sublátum cognóvit. Nullum ángelum vidit: volébat enim Iesus eam ipse certiórem fácere. Mox autem sollicitúdine trépida, timens ne corpus Iesu dilectíssimum profanarétur, cucúrrit et venit ad Simónem Petrum et ad álium discípulum quem amábat Iesus. Qua erat perturbatióne turbáta, dicit illis: *Tulérunt Dóminum de monuménto, et nescímus ubi posuérunt eum. Nescímus* dicit quia idem persuásum sibi habéntes céteras facit quæ secum exíerant sed tunc primum ad monuméntum perveniébant.

Cum póstea Petrus et Ioánnes domum revérsi sunt, ut Ioánnes ipse testátur (Io 20, 10), illa non discedébat: crucem et sepultúram última relíquerat, ad sepúlcrum prima cucúrrerat, vácuum invéniens. Ab illo recédere non póterat, foris manébat plorans. Deínde rursus vóluit vidére, in vestíbulum introívit et inclinávit se, quasi últimum prospíciens áliquid invenire posset. Et ecce vidit duos ángelos in albis vestiméntis, sedéntes álterum ad caput et álterum ad pedes, ubi pósitum fúerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: *Múlier, quid ploras?* Angelos non agnóverat

illa, quia ángeli scire debúerant quid ea ploráret. Dicit eis: *Quia tulérunt Dóminum meum, et néscio ubi posuérunt eum.* Linteámina non videt, extráneos non curat, quasi vácuum, quasi nihil ómnia sunt ei.

Rursus inclínat se, nunc retrórsum convérsa ut álio quæsítum abíret. Tunc videt Iesum nec agnóscit eum: étiam ne áspicit quidem, quia solum curat corpus illud diléctum quod unguénto pretióso úngere volébat et in mánibus est sacrilegórum. Dicit ei Iesus: *Múlier, quid ploras? quem quæris?* Illa exístimat eum hortulánum esse, suspéctum hortulánum, infidélem fórsitan, qui ómnia novísse, qui sollicitúdinem eius compreléndere debéret: *Si tu,* inquit, *abstulísti eum, dic mihi ubi posuísti eum; et ego eum tollam.* Vénerat enim de lápide non sollícita. Illum solum vult, sed vult. Et ecce vox quæ in cor descéndit et óculos áperit, nomen lingua pátria familiáre: *María!* Et statim Magdaléna clamat: *Rabbúni!* — quod dícitur Magíster — et iam ad pedes eius est provolúta, adhuc lácrimans sed gáudio lácrimans.

Consístit illa in loco suo, ibi manére vult, ibi effusiónes amóris sui protráhere. At lácrimis peccatrícis ad pedes Salvatóris effúsis iam non est locus: Iesus de supérnis est, et si nondum ad Patrem ascénderit, cito ascéndet, quod illa discípulis nuntiáre debet. Talis esse vidétur sensus verbi huius: *Noli me tángere, nondum enim ascéndi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.*

Posthac María Magdaléna Apostolórum apóstola est consecráta. Obœdit enim ut qui conversatióni Magístri se erípiunt ad evangélium nuntiándum: *Quia vidi Dóminum!*

RESPONSORIUM

℟. O certe præcípuus Maríæ Magdalénæ amor: * Quæ a monuménto Domínico, discípulis recedentibus, non recéssit!

℣. Ardóre caritátis succénsa, quem sepúltum nóverat, sublátum crédidit de sepúlcro. * Quæ a monuménto Domínico.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Celsi mériti María, quæ Solem verum resurgéntem vidére meruísti mortálium prima: óbtine ut nos visu glóriæ suæ tecum lætíficet in cælis.

Oratio

Deus, cuius Unigénitus Maríæ Magdalénæ ante omnes gáudium nuntiándum paschále commísit, præsta quæsumus ut, eius intercessióne et exémplo, Christum vivéntem prædicémus, et in glória tua regnántem videámus. Qui tecum vivit.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. O mundi lampas et margaríta præfúlgida, quæ resurrectiónem Christi nuntiándo Apostolórum apóstola fíeri meruísti, María Magdaléna, semper pia exorátrix pro nobis adsis ad Deum, qui te elégit.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 24 iulii

B. IOANNÆ DE ORVIETO, VIRGINIS

Carnaiolæ in agro Urbevetano [Orvieto] nata anno circiter 1264 adhuc parvula parentibus orbata est. Inter sorores Fraternitatis S. Dominici cooptata cum Domino mysticis utebatur colloquiis et Christi participabat passionibus. Modestam et sedulam, omnes eam diligebant et ab illa consilia vel curationem petebant. Obiit die 23 iulii 1306. Benedictus XIV cultum confirmavit die 11 septembris 1754.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátæ Ioánnæ vírginis puritátem exímiam et férvidam caritátem divínis charismátibus cumulásti, fac nos vitæ innocéntia ac operositáte quod in ea cólimus imitári. Per Dóminum.

Eodem die 24 iulii

B. AUGUSTINI DE BIELLA, PRESBYTERI

Ex nobili familia ortus anno 1430 Bugellæ [Biella] in Italia, ibi Ordinem amplexus, Deo laudem Altissimo gloriam dicens exspiravit Venetiis die 22 iulii anno 1493. Hæc verba erant signum vitæ deditæ orationi, prædicationi, confessionibus audiendis, usui auctoritatis dulcis atque severæ. Pius IX cultum eius ratum habuit die 5 septembris 1872. Eius corpus Bugellæ colitur.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui ad mystéria salútis nuntiánda et ad mæréntes sublevándos, Beátum Augustínum exímia caritáte donásti, da nobis ita eius vestígia sectári, ut in tua semper grátia et cognitióne crescámus. Per Dóminum.

AUGUSTUS

Die 2 augusti

B. IOANNÆ, MATRIS S. P. DOMINICI

Memoria ad libitum

Iordanus de Saxonia in *Libello* appellat Felicem patrem et Ioannam matrem sancti Dominici. Tres habuit filios, quorum primum ex priore coniugio, ut fertur. Mulier fuit — teste Roderico Cerratensi — « fide plena » atque « honesta, pudica et prudens, miseris et afflictis valde compatiens, et inter omnes mulieres terræ illius bonæ famæ prærogativa refulgens ». Mortua est ineunte sæculo XIII. Calarogæ sepulta, deinde in ecclesia S. Petri de Gumiel d'Izan ac postea Rupefideli [Peñafiel], nunc Calarogæ [Calaruega] in provincia Burgos requiescit. Leo XII die 1 octobris 1828 illius cultum confirmavit.

De communi sanctarum mulierum: pro iis quæ opera misericordiæ exercuerunt (LH III, 1545).

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA [**]

E Chrónica Sanctórum Roderíci Cerraténsis

(V. Diego Carro, Domingo de Guzman, Historia documentada, Madrid 1973, pp. 775-778)

Valde misericors erat

Beátus Domínicus, Prædicatórum dux et pater ínclitus, qui, appropinquánte fine sæculi, quasi novum sidus emicúerit, ex Hispánia, ex Regno Castéllæ, ex villa quæ dícitur Calaróga, Oxoménsis diœcésis, oriúndus fuit. Decébat sane ut extrémis tempóribus ab extrémis terræ fínibus, occidénte sæculi luce, lucem Deus produceret ab occásu, quæ totum mundum umbris involútum suis rádiis illustráret.

Unde volens Deus, præscius futurórum, qualis et quantus hic beatíssimus futúrus esset ecclésiæ ostén-

dere hoc quibúsdam revelatiónibus vóluit demonstráre. Huius étenim mater, priúsquam ipsum concípereret, vidit in somnis se cátulum gestántem in útero, ardéntem in ore fáculam baiulántem, qui egréssus ex útero totum mundum incéndere videbátur. Quo præfigurabátur ex ea prædicatórem exímium nascitúrum, qui fasce igníti elóquii, frigescéntem in mundo caritátem veheméntius inflammáret. Quod et rei póstmodum probávit evéntus. Fuit enim vitiórum mirábilis obiurgátor, oppugnátor hæresum, fidélium diligentíssimus exhortátor.

Fuit autem pater eius vir venerábilis et dives in próprio suo. Mater vero honésta, pudíca, prudens, míseris et afflíctis valde compátiens, et inter omnes mulíeres terræ illíus bonæ famæ prærogatíva refúlgens.

Mater enim eius valde miséricors erat, nam quodam témpore fórsitan iam prædícto, videns afflictórum afflictiónes, multis datis de rebus suis, dólium quoddam illo loco notíssimum, quod habébat plenum vino, distríbuens paupéribus erogávit. Redeúnti ígitur viro et Calarógam appropinquánti exiérunt óbviam vicíni sui, ex quibus quidam suasérunt ei de vino paupéribus erogáto.

Véniens ígitur domum dixit uxóri suæ, vicínis præséntibus, ut de vino prædícti dólii eis fáceret ministrári. At illa, timens confusiónem non módicam, intrávit íllico cellárium ubi erat dólium prædíctum, et flexis génibus rogávit Dóminum dicens: « Dómine Iesu Christe, etsi non digna exaudíri propter mérita mea, exáudi me propter fámulum tuum, fílium meum, quem tuis obséquiis mancipávi ». Nóverat enim mater fílii sanctitátem, et surgens plena fide, statim fuit ad dólium et invénit eum óptimo vino plenum. Quæ grátias agens gratiárum ómnium largitóri, fecit de illo vino viro suo et áliis largíssime propinári. Et miráti sunt univérsi.

RESPONSORIUM Is 58, 7-8

℟. Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam; * Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam iustítia tua.

℣. Cum víderis nudum óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris. * Tunc erúmpet.

Vel alia:

E Mýsticis quæstiónibus fratris Ioánnis Arintero presbýteri
(Cuestión II, Art. 1: ed. Fr. S.-M. Lozano, BAC 154, Madrid 1956, pp. 158-162)

Ad plenam sanctitatem Deus omnes vocat

Longe absens a consílio excipiéndi vel excludéndi quémlibet, sicut odióse solent hómines ágere, divína Sapiéntia se ómnibus præbet neminémque exclúdens omnes invítat. Magnos quidem et parvos vocat, doctos et indóctos, religiósos et láicos, iustos et peccatóres, dúmmodo ei ex ánimo se tradant atque ipsi diligénter ac docíliter obtemperántes illam sequántur, ab eiúsdem suavíssimo ducti spíritu. Omnibus sane sibi consentiéntibus cum univérsis infinitísque suis divítiis se tradet.

Idcírco omnes plene confídere quidem póssumus, pro tanta liberalitáte, de divína bonitáte ac misericórdia si vere nosípsos abrenuntiántes toto ex corde ei confídimus eíque adhærémus fidénter. Cum autem ánima quædam, de se deque própria sciéntia, habilitáte et prudéntia diffídens, óculos constánter in Deum defíxos tenet in eius manus se tradens omniáque ab eo exspéctans, Deus illam non dimíttit ita ut plenam de eius possessiónem non hábeat, sibi ipsi

assúmens munus illam dirigéndi ac gubernándi atque in ómnibus ei providéndi.

Ipsa divína Sapiéntia certióres nos revéra facit diligéntes se dilígere atque prius vel póstea se reveláre ómnibus illam cupiéntibus et ex toto corde quæréntibus, semper paráta illos táliter expléndi glória ac divítiis necnon et iustítia ac felicitáte, ut, infántia spirituális vitæ relícta, vias mýsticæ prudéntiæ ingrediántur. Ipsa divína Sapiéntia vitam largítur, vires infúndit, affabíliter éxcipit, consolatiónem affert, dírigit ac benedictiónibus complet omnes qui illam vere exquírunt atque ipsi obtemperáre parátos se præbent.

Nullus autem, quantumcúmque húmilis, despéctus vel vitiósus, rudis vel incúltus aut pauper sit, assérere póterit in rei veritáte se mínime invitátum esse ad istas íntimas communicatiónes divínas, quóniam Deus mínime tales acceptiónes pérpetrat. Ipse enim ad veram plenámque sanctitátem omnes indiscriminátim vocat: sanctitátem nimírum filiórum eius, qui illi símiles omníno esse debent; cum ómnibus seípsum íntime et ex ánimo communicáre desíderat, et certe communicáret si illi consentírent neque impediméntis obstárent; in ómnibus delícias suas quærit inveníre illásque gustándas ómnibus præbéret nisi sibi ipsi impediméntum præstárent illi resisténdo vel sanctitátem ipsam neglegéndo.

Re quidem vera, omnes ad consolatiónes eius gustándas vocántur, per ascensiónem ad montem sanctum eius, atque ad lætándum in eius mýstica oratiónis domo; quippe possunt, si revéra id quærunt, ad pectus eius se refícere ibídem accédere divinísque munéribus cumulári ac ampléxibus mulcéri; omnes item peramánter invitántur in disciplínæ domum intráre ut veritátis et iustítiæ sitim exstínguant atque a Deo ipso erudiántur: quot enim divínæ grátiæ fidéles inveniúntur, hos Spíritus Sancti únctio docet ómnia.

[Itaque pro ómnibus fidélibus et non pro alíquibus tantum Apóstolus *Spíritum sapiéntiæ et revelatiónis* petit, ut *illuminátis óculis cordis Deum agnóscere possent atque scire quæ sit spes vocatiónis eius, et quæ divítiæ glóriæ hæreditátis eius in sanctis.* Verum, idípsum possidére hunc peramántem Spíritum et ab ipso possidéri vitam constítuit mýsticam, seu veram supernaturálem contemplatiónem, quam revéra assequúntur quicúmque talem póssident iustítiæ sitim, quique haud quiéscunt donec ad arcánum illum bibant *Flúvium aquæ vivæ procedéntem* in ætérnum *de sede Dei et Agni.*

Verúmtamen si prætiosíssimum hoc præ áliis donum mínime quandóque obtinétur, id ex eo évenit quod non illo fervóre et instántia pétitur quibus Apóstolus petébat; quod autem non tali modo petátur, hoc únice ex eo pendet quod non rite nóscitur nec débite existimátur. Sunt enim hæc mýstica et secretíssima Dei dona, quæ nemo novit, nisi qui áccipit, nisi qui desíderat, nec desíderat nisi quem ignis Spíritus Sancti inflámmat. *Si scires donum Dei..., tu fórsitan petísses ab eo, et dedísset tibi aquam vivam... saliéntem in vitam ætérnam.* Omnibus probe dícitur: *Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus.*]

RESPONSORIUM 1 Petr 1, 15. 2, 9; Ps 33, 9

℟. Secúndum Deum, qui vocávit vos, sanctum, et ipsi sancti in omni conversatióne sitis: * Ut virtútes annuntiétis eius, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum.

℣. Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus. * Ut virtútes.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Fundaménta ætérna super petram: sic Dei mandáta in corde mulíeris sanctæ.

Vel, præsertim in cantu: Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus suæ.

Oratio

Excita, Dómine, in pópulo tuo spíritum evangélicum quo repléta Beáta Ioánna fílios Domínicum et Mannem ad vitam apostólicam præparávit. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Si quis fécerit voluntátem Patris mei, ipse meus frater, soror et mater est, dicit Dóminus.

Vel, præsertim in cantu: Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem: fortitúdo et decor induméntum eius, et ridébit in die novíssimo.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 3 augusti

B. AUGUSTINI KAZOTIC, EPISCOPI

Augustinus Tragurii [Trogir] in Dalmatia natus est anno circiter 1260 et adulescens Ordinem amplexus est. Anno 1303 electus fuit episcopus Zagrebiensis a Benedicto XI, ac deinde anno 1322 Lucerinus [Italia] ob hostilitatem regis qui a sede Zagrebiensi episcopum repellebat. Pastor sedulus, « pauperum pater et defensor » contra potentes, multa itinera pedibus percurrit ad populum visitandum. Salutaris vivendi norma illi fuit « divinorum mysteriorum assidua contemplatio et mortis meditatio ». Noctes oratione consumabat, sicut

sanctus Dominicus, ad divinam misericordiam implorandam. A sancto Augustino, eius patrono, bene illud didicerat: « Artem bene vivendi didicit qui artem bene orandi cognoscit ». Mortuus est die 3 augusti 1323. Cultus illi tributus die 17 iulii 1700 ab Innocentio XII confirmatus fuit.

De Communi pastorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Concéde nos, quǽsumus, piíssime Pater, Beáti Augustíni epíscopi mónita et exémpla sectári ut, salútis mystéria assídue meditántes et Ecclésiæ iugi servítio inténti, ad ætérnæ vitæ gáudia perducámur. Per Dóminum.

Die 8 augusti

S. P. DOMINICI, PRESBYTERI

Sollemnitas

Calarogæ [Caleruega] in Hispania anno circiter 1172-73 natus, Palenciæ theologicis disciplinis incubuit ac misericordia in pauperes enituit. Canonicus Oxomensis [Osma], orationis studio ac regiminis prudentia ut Supprior (1201) profecit. In partibus Tolosanis hæresi Albigensi perturbatis, prædicationis sedulus minister effectus (1206), evangelicæ paupertatis exemplo ac fraterno in doctrina dialogo novam, approbante Innocentio III, fidei proponendæ rationem attulit. Mulierum quoque partem plurimi faciens in evangelizationis labore, monasterium pro illis Prouille fundavit (1206), quod ipsis proficiendi locum præbere et prædicatoribus auxilium vel, pro adiunctis, refugium præstare posset. Quorundam in « Prædicatione Iesu Christi » sociorum oblationem in suis excipiens manibus, primam fraternitatem conventualem Tolosæ constituit (1215), novi Ordinis ita fundamenta iaciens.

Canonicalem vitam in apostolicam augens sub Augustini *Regula* (1216), officium verbi, quod tunc episcoporum tantum munus erat, sibi et Ordini suscepit, quem Honorius III approbavit die 22 decembris 1216. Tunc de universali eiusdem Ordinis missione Romæ certior factus (18 ianuarii 1217), in Dei gratia confidens et beatæ Mariæ Virginis patrocinio innixus, fratres in universam Europam dispersit (15 augusti 1217), Parisiis et Bononiæ præsertim, præcipuis tunc studiorum centris, onerosam sibi reservans missionem in partibus Italiæ septentrionalibus hæresi cathara infestis.

« Cum Deo semper loquebatur » ut inde « et de Deo » efficaciter loqui posset. Dum fervida prædicatione Deum hominibus tradebat, vi orationis homines ad Deum trahebat. « Ubicumque virum evangelicum verbo se exhibebat et opere. Cum fratribus sociisve nemo communior, nemo iucundior, optimus et summus consolator ». Bononiæ obiit die 6 augusti 1221. Gregorius IX, qui, cardinalis Ostiæ Tiberinæ, familiarissime illo usus fuerat, ipsum sanctorum albo adscripsit die 3 iulii 1234.

Ad I Vesperas

HYMNUS

Te patrem magnum cólimus libéntes,
quem sibi fecit Dóminus sacrátum,
nómine insígni proprióque iungens
pígnora amóris.

Sígnifer sanctæ sápiens cohórtis,
éxcitas illam, gregis ut redémpti
et fides vivat vigeátque virtus
intemeráta.

Prædicas, instas, alacrésque fratres
mittis ut cunctas próperent ad oras,
lumen ut Christi referántque vitæ
dona supérnæ.

Tu Deo fidus Domíque Sponsæ,
ínnocens, pauper nitidúmque morum
factus exémplar, rénovas ad alta
púraque mundum.

Glóriæ laudes Tríadi beátæ,
quæ tibi tantos státuens honóres,
te sequi nobis tríbuat, datúra
gáudia cæli.

Vel hymnus Gaude, mater Ecclésia, ut in Translatione S. Dominici, 216.

PSALMODIA

Loco psalmorum qui sequuntur, adhiberi possunt psalmi de Communi pastorum (Pss 112 et 145).

Ant. 1 Præco novus et cælicus, missus in fine sæculi, pauper fulsit Domínicus, forma prævísus cátuli.

Psalmus 95
Annuntiate inter gentes gloriam Domini

Futurum erat ut per omnem terram audiretur prædicatio et ut terra quasi a priore suo statu commoveretur (S. Athanasius).

Cantáte Dómino cánticum novum, *
cantáte Dómino, omnis terra.
Cantáte Dómino, benedícite nómini eius, *
annuntiáte de die in diem salutáre eius.

Annuntiáte inter gentes glóriam eius, *
in ómnibus pópulis mirabília eius.

Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis, *
terríbilis est super omnes deos.
Quóniam omnes dii géntium inánia, *
Dóminus autem cælos fecit.
Magnificéntia et pulchritúdo in conspéctu eius, *
poténtia et decor in sanctuário eius.

Afférte Dómino, famíliæ populórum, †
afférte Dómino glóriam et poténtiam, *
afférte Dómino glóriam nóminis eius.
Tóllite hóstias et introíte in átria eius, *
adoráte Dóminum in splendóre sancto.
Contremíscite a fácie eius, univérsa terra, *
dícite in géntibus: « Dóminus regnávit ».
Etenim corréxit orbem terræ
qui non commovébitur; *
iudicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli et exsúltet terra, †
sonet mare et plenitúdo eius; *
gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.
Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum †
a fácie Dómini, quia venit, *
quóniam venit iudicáre terram.
Iudicábit orbem terræ in iustítia *
et pópulos in veritáte sua.

Ant. Præco novus et cælicus, missus in fine sæculi, pauper fulsit Domínicus, forma prævísus cátuli.

[Oratio super psalmum, 635].

Ant. 2 Agonízans pro Christi nómine, mundum replet divíno sémine, paupertátis degens sub tégmine.

Psalmus 97
Notum fecit Dominus salutare suum

Videamus nova quæ per Christum gesta sint. Non unica gens redempta est, ut olim solus Israel, sed universa potius terra salutem obtinuit (S. Cyrillus Alexandrinus).

Cantáte Dómino cánticum novum, *
quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera eius, *
et brácchium sanctum eius.
Notum fecit Dóminus salutáre suum, *
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
Recordátus est misericórdiæ suæ *
et veritátis suæ dómui Israel.
Vidérunt omnes términi terræ *
salutáre Dei nostri.

Iubiláte Deo, omnis terra, *
erúmpite, exsultáte et psállite.
Psállite Dómino in cíthara, *
in cíthara et voce psalmi;
in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ, *
iubiláte in conspéctu regis Dómini.

Sonet mare et plenitúdo eius, *
orbis terrárum et qui hábitant in eo.
Flúmina plaudent manu, †
simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini, *
quóniam venit iudicáre terram.
Iudicábit orbem terrárum in iustítia *
et pópulos in æquitáte.

Ant. Agonízans pro Christi nómine, mundum replet divíno sémine, paupertátis degens sub tégmine.

[Oratio super psalmum, 636].

Ant. 3 Liber carnis vínculo cælum introívit, ubi pleno póculo gustat quod sitívit.

Canticum Eph 1, 3-10

Facti sumus regnum et sacerdotes Deo nostro

Benedíctus Deus
et Pater Dómini nostri Iesu Christi, *
qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli
in cæléstibus in Christo;

sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, †
ut essémus sancti et immaculáti *
in conspéctu eius in caritáte,

qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum †
per Iesum Christum in ipsum, *
secúndum propósitum voluntátis suæ,

in laudem glóriæ grátiæ suæ, *
in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo,

in quo habémus redemptiónem
per sánguinem eius, *
remissiónem peccatórum.

Secúndum divítias grátiæ eius, †
quæ superabundávit in nobis *
in omni sapiéntia et prudéntia;

ut notum fáceret nobis
sacraméntum voluntátis suæ, *
secúndum beneplácitum eius,

quod propósuit in eo, *
in dispensatióne plenitúdinis témporum,
instauráre ómnia in Christo, *
quæ in cælis et quæ in terra sunt.

Vel, ad libitum, canticum Ap 4, 11; 5, 9. 10. 12, 168.

Ant. Liber carnis vínculo cælum introívit, ubi pleno póculo gustat quod sitívit.

[Oratio super canticum, 636].

Lectio brevis 2 Tim 4, 1-2

Testíficor coram Deo et Christo Iesu, qui iudicatúrus est vivos ac mórtuos, per advéntum ipsíus et

regnum eius: prædica verbum, insta opportúne, importúne, argue, íncrepa, óbsecra, in omni patiéntia et doctrína.

Responsorium breve

℟. In die mandávit Dóminus * Misericórdiam suam. In die.

℣. Et nocte cánticum eius apud me est. * Misericórdiam suam. Glória Patri. In die.

Ad Magnificat, ant. Beátus Domínicus elevátis mánibus ad cælum dixit: « Pater sancte, tu scis, quia libénter pérstiti in voluntáte tua, et illos, quos dedísti mihi, custodívi et conservávi. Et recomméndo eos tibi, consérva et custódi eos. »

Vel, præsertim in cantu: Transit pauper ad regni sólium, dux ad sceptrum, victor ad prǽmium, mors in vitam, labor in ótium: præsens cedit luctus in gáudium.

Preces

Beáti Patris Domínici sollémniis congregáti ad eius instar vespertínas preces ad Deum dirigámus: *Famíliam tuam, Dómine, benígnus réspice.*

Providentíssime Deus,
qui Ecclésiam tuam beáto Domínico ditáre voluísti,
— nobis ad eius sequélam vocátis
largíre páriter illíus veritátis zelum.

Nos ad eius similitúdinem custódi, Dómine,
— in advérsis gaudéntes
et in tua semper misericórdia fidéntes.

Frátribus nostris nomen sanctum tuum
et tuæ veritátis verbum profiténtibus
— copiósam inter huius mundi insídias
grátiam largíre et virtútem.

Fratres nostros atque soróres,
qui ministério verbi hominúmque salúti
se mancipavérunt, propítius réspice:

— fac ut quamvis repúlsi aut detractáti
mínime frangántur.
Defúnctis frátribus et soróribus nostris
áperi portam paradísi,
— et concéde nos tuam cum ipsis tandem glóriam
contemplári.
[Nunc ora nostra résonent oratióne domínica, quæ supplicatiónes nostras in unum cólligit atque confírmat:]
Pater noster, etc.

Oratio

Adiuvet Ecclésiam tuam, Dómine, beátus Pater Domínicus méritis et doctrínis, atque pro nobis efficiátur piíssimus intervéntor, qui tuæ veritátis éxstitit prædicátor exímius. Per Dóminum.

Benedictio finalis

Deus, Pater omnípotens qui Evangélii minístrum constítuit sanctum Domínicum, confírmet nos in vocatióne nostra.
℟. Amen.

Ad Invitatorium

Ant. Apostolórum Dóminum veníte adorémus, qui Evangélii præcónem Domínicum effécit.

Vel, præsertim in cantu: Adsunt Domínici læta sollémnia: * Laude multíplici plaudat Ecclésia.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

Hymnus

Novus athléta Dómini
collaudétur Domínicus,
qui rem confórmat nómini,
vir factus evangélicus.

Consérvans sine mácula
virginitátis lílium,
ardébat quasi fácula
pro zelo pereúntium.

Mundum calcans sub pédibus
accínxit cor ad prœlia,
nudus occúrrens hóstibus,
Christi suffúltus grátia.

Pugnat verbo, miráculis,
missis per orbem frátribus,
crebros adiúngens sédulis
fletus oratiónibus.

Sit trino Deo et símplici
laus, honor, decus, glória,
qui nos prece Domínici
ducat ad cæli gáudia.

PSALMODIA

Sumitur ad libitum alia vel alia series antiphonarum ex iis quæ hic proponuntur: Series A, ex Scripturis Sacris præsertim collecta; Series B, vitam et virtutes Sancti referens; Series C, gregoriano cantu ornata.

Antiphona 1

Ser. A Quos præscívit, Dóminus prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus.

Ser. B Raro loquebátur nisi cum Deo, scílicet orándo, vel de Deo, et de hoc monébat fratres suos.

Ser. C Documéntis ártium erudítus satis, tránsiit ad stúdium summæ veritátis.

Psalmus 41
Anima sitiens Dominum

Ad Deum sitiunt hi qui in Evangelio propter sitim suam beati prædicantur ... Sanctus enim sitit ea quæ ad Deum spectant (Origenes).

Quemádmodum desíderat cervus
ad fontes aquárum, *
ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum, Deum vivum: *
quando véniam et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrimæ meæ panis die ac nocte, *
dum dícitur mihi cotídie: « Ubi est Deus tuus? »
Hæc recordátus sum et effúdi in me ánimam meam; *
quóniam transíbam in locum
tabernáculi admirábilis usque ad domum Dei,
in voce exsultatiónis et confessiónis, *
multitúdinis festa celebrántis.

Quare tristis es, ánima mea, *
et quare conturbáris in me?
Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi, *
salutáre vultus mei et Deus meus.

In meípso ánima mea contristáta est; †
proptérea memor ero tui *
de terra Iordánis et Hermóniim,
de monte Módico.
Abýssus abýssum ínvocat
in voce cataractárum tuárum; *
omnes gúrgites tui et fluctus tui
super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, †
et nocte cánticum eius apud me est: *
orátio ad Deum vitæ meæ.

Dicam Deo: « Suscéptor meus es; †
quare oblítus es mei? *
et quare contristátus incédo,
dum afflígit me inimícus? »
Dum confringúntur ossa mea, †
exprobravérunt mihi qui tríbulant me, *
dum dicunt mihi cotídie: « Ubi est Deus tuus? »

Quare tristis es, ánima mea, *
et quare conturbáris in me?
Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi, *
salutáre vultus mei et Deus meus. [Gl.]

Series A: Ant. Quos præscívit, Dóminus prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus.

Series B: Ant. Raro loquebátur nisi cum Deo, scílicet orándo, vel de Deo, et de hoc monébat fratres suos.

Series C: Ant. Documéntis ártium erudítus satis, tránsiit ad stúdium summæ veritátis.

[Oratio super psalmum, 636]

Antiphona 2

Ser. A Deus illúxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis eius, in fácie Christi Iesu.

Ser. B Próximis compatiebátur et salútem eórum ardentíssime desiderábat.

Ser. C Sub Augustíni régula mente profécit sédula: tandem virum canónicum auget in apostólicum.

Psalmus 76
Manus meæ nocte expansæ sunt

In die tribulationis tuæ Deum exquire: non per Deum aliud, sed ex tribulatione Deum; ut ad hoc Deus removeat tribulationem, ut securus inhæreas Deo (S. Augustinus).

Voce mea ad Dóminum clamávi; *
voce mea ad Deum, et inténdit mihi.
In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, †
manus meæ nocte expánsæ sunt, *
et non fatigántur.
Rénuit consolári ánima mea; †
memor sum Dei, et ingemísco, *
exérceor, et déficit spíritus meus. —

Vígiles tenuísti pálpebras óculi mei, *
turbátus sum et non sum locútus.
Cogitávi dies antíquos, *
et annos ætérnos in mente hábui.
Meditátus sum nocte cum corde meo, *
et exercitábar, et scopébat spíritus meus.

Numquid in ætérnum proíciet Deus, *
aut non appónet, ut complacítior sit adhuc?
Aut defíciet in finem misericórdia sua, *
cessábit verbum a generatióne in generatiónem?
Aut obliviscétur miseréri Deus, *
aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi: « Hoc vulnus meum, *
mutátio déxteræ Excélsi ».
Memor ero óperum Dómini, *
memor ero ab inítio mirabílium tuórum.
Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, *
et in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in sancto via tua; *
quis deus magnus sicut Deus noster?
Tu es Deus qui facis mirabília, *
notam fecísti in pópulis virtútem tuam.
Redemísti in brácchio tuo pópulum tuum, *
fílios Iacob et Ioseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, †
vidérunt te aquæ, et doluérunt; *
étenim commótæ sunt abýssi.
Effudérunt aquas núbila, †
vocem dedérunt nubes, *
étenim sagíttæ tuæ tránseunt.
Vox tonítrui tui in rota; †
illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ, *
commóta est et contrémuit terra.

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis; *
et vestígia tua non cognoscúntur.
Deduxísti sicut oves pópulum tuum *
in manu Móysi et Aaron. [Gl.]

Series A: Ant. Deus illúxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis eius, in fácie Christi Iesu.

Series B: Ant. Próximis compatiebátur et salútem eórum ardentíssime desiderábat.

Series C: Ant. Sub Augustíni régula mente profécit sédula: tandem virum canónicum auget in apostólicum.

[Oratio super psalmum, 636]

Antiphona 3

Ser. A Deus spei répleat vos omni gáudio et pace in credéndo, ut abundétis in spe et virtúte Spíritus Sancti.

Ser. B Ubíque virum evangélicum verbo se exhibébat et ópere.

Ser. C Florem pudicítiæ servans illibátum, áttigit exímiæ vitæ cælibátum.

Psalmus 144, 1-9
Magnificentia gloriæ Domini

Etiam vocaliter oramus, ut nos ipsos et alios ad laudem Dei excitemus (S. Thomas de Aquino).

Exaltábo te, Deus meus rex, †
et benedícam nómini tuo *
in sæculum et in sæculum sæculi.
Per síngulos dies benedícam tibi, †
et laudábo nomen tuum *
in sæculum et in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus et laudábilis nimis, *
et magnitúdinis eius non est investigátio.
Generátio generatióni laudábit ópera tua, *
et poténtiam tuam pronuntiábunt. —

Magnificéntiam glóriæ maiestátis tuæ loquéntur, *
et mirabília tua enarrábunt.
Et virtútem terribílium tuórum dicent, *
et magnitúdinem tuam narrábunt.
Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, *
et iustítia tua exsultábunt.

Miserátor et miséricors Dóminus, *
longánimis et multæ misericórdiæ.
Suávis Dóminus univérsis, *
et miseratiónes eius super ómnia ópera eius.

Series A: Ant. Deus spei répleat vos omni gáudio et pace in credéndo, ut abundétis in spe et virtúte Spíritus Sancti.

Series B: Ant. Ubíque virum evangélicum verbo se exhibébat et ópere.

Series C: Ant. Florem pudicítiæ servans illibátum, áttigit exímiæ vitæ cælibátum.

[Oratio super psalmum, 637].

℣. Omnes sermónes meos quos ego loquor ad te.
℟. Adsúme in corde tuo et áuribus tuis audi.

LECTIO PRIOR

De Epístola prima beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 2, 1-16

Non iudicavi me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum

Ego cum veníssem ad vos, fratres, veni non per sublimitátem sermónis aut sapiéntiæ annúntians vobis mystérium Dei. Non enim iudicávi scire me áliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte et timóre et tremóre multo fui apud vos, et sermo meus et prædicátio mea non in persuasibílibus sapiéntiæ verbis, sed in

ostensióne Spíritus et virtútis, ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum sed in virtúte Dei.

Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos, sapiéntiam vero non huius sæculi neque príncipum huius sæculi, qui destruúntur, sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sæcula in glóriam nostram, quam nemo príncipum huius sæculi cognóvit; si enim cognovíssent, numquam Dóminum glóriæ crucifixíssent. Sed sicut scriptum est: « Quod óculus non vidit nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus his, qui díligunt illum ».

Nobis autem revelávit Deus per Spíritum; Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profúnda Dei. Quis enim scit hóminum quæ sint hóminis, nisi spíritus hóminis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo cognóvit nisi Spíritus Dei. Nos autem non spíritum mundi accépimus, sed Spíritum, qui ex Deo est, ut sciámus, quæ a Deo donáta sunt nobis; quæ et lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ, sed in doctis Spíritus verbis, spiritálibus spiritália comparántes. Animális autem homo non pércipit, quæ sunt Spíritus Dei, stultítia enim sunt illi, et non potest intellégere, quia spiritáliter examinántur; spiritális autem iúdicat ómnia, et ipse a némine iudicátur. « Quis enim cognóvit sensum Dómini, qui ínstruat eum? ». Nos autem sensum Christi habémus.

RESPONSORIUM 2 Tim 4, 2.5; Rom 10, 15

℟. Prædica verbum, insta opportúne, importúne, argue, íncrepa, óbsecra, in omni patiéntia et doctrína. * Vígila, in ómnibus labóra, opus fac evangelístæ.

℣. Quam speciósi pedes evangelizántium bona. * Vígila.

LECTIO ALTERA [****]

E Libéllo de princípiis Ordinis Prædicatórum beáti Iordáni de Saxónia presbýteri

(Nn. 103-109: MOPH 16, Romæ 1935, pp. 74-77)

De moribus Magistri Dominici

Tanta morum honestáte pollébat beátus Domínicus, tanto divíni fervóris ímpetu ferebátur, ut ipsum esse vas honóris et grátiæ, vas ornátum omni lápide pretióso haud dúbie probarétur. Inerat ei firma valde mentis æquálitas, nisi cum ad compassiónem et misericórdiam turbarétur; et quia cor gaudens exhílarat fáciem, plácidam interióris hóminis compositiónem manifésta de foris benignitáte ac vultus hilaritáte prodébat. Tantam autem servábat in his, quæ secúndum Deum rationabíliter fíeri concepísset, cordis constántiam, ut vix aut numquam semel enuntiátum cum digna deliberatióne sermónem acquiésceret immutáre. Et cum multa in eius fácie, sicut commemorátum est, de bonæ consciéntiæ testimónio semper elucéret hiláritas, lux tamen vultus eius non cadébat in terram.

Dénique per hanc ómnium sibi fácile vendicábat amórem; ómnium sine difficultáte mox, ut cum aspícerent, illabebátur affléctibus. Ubicúmque versarétur sive in via cum sóciis aut in domo cum hóspite reliquáque família, aut inter magnátes et príncipes et prælátos, semper ædificatóriis affluébat sermónibus, abundábat exémplis, quibus ad amórem Christi sæculíve contémptum audiéntium ánimi flecteréntur. Ubíque virum evangélicum verbo se exhibébat et ópere.

Témpore diúrno cum frátribus sociísve nemo commúnior, nemo iucúndior. Noctúrnis horis nemo vigíliis et obsecratiónibus per omnem modum instántior. Ad vésperum demorabátur ei fletus et ad matutínum lætítia. Diem impartiebátur próximis, noctem

Deo, sciens quóniam *in die mandávit Dóminus misericórdiam suam et nocte cánticum eius.* Flebat autem ubérrime atque crebérrime, *et fuérunt ei lácrimæ suæ panes die ac nocte;* die quidem tunc magis, cum missárum crebra et quotidiána celebráret sollémnia, nocte vero cum super omnes infatigabílibus excubáret vigíliis.

Erat ei pernoctándi in ecclésiis crebérrima consuetúdo usque ádeo, ut vix aut raro certum ad quiescéndum léctulum viderétur habére. Orábat ígitur nóctibus et perseverábat vígilans, quantum a fragilitáte córporis extorquére potuísset. Et cum tandem lassitúdine succedénte et lentescénte spíritu, somni interpelláret necéssitas, sive ante altáre sive álio quocúmque loco, aut certe super lápidem instar patriárchæ Iacob cápite reclináto, páululum requiéscens rursus evigilábat ad spíritum orationísque fervórem.

Omnes hómines largo excipiébat caritátis sinu, et cum omnes dilígeret, ab ómnibus amabátur. *Gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus* sibi próprium vendicábat, áffluens pietáte et se totum in proximórum curam atque miserórum compassiónem effúndens. Hoc étiam cunctis eum faciébat gratíssimum, quod símplici grádiens via, nullum umquam in verbo vel ópere duplicitátis aut fictiónis prætendébat vestígium.

Verus erat paupertátis amátor, vílibus utens induméntis. Et in cibo simul ac potu modum temperatíssimum observábat, delicáta vitans et libénter símplici pulménto conténtus, habens firmum suæ carnis impérium, et utens vino sic temperáte limpháto, ut necessitáti satisfáciens corporáli numquam subtílem eius ac ténuem spíritum hebetáret.

[Quis huius hóminis usquequáque virtútem imitári suffíciat? Mirári póssumus et ipsíus exémplo pensáre nostri témporis inértiam. Posse vero quod ille pótuit, non humánæ virtútis, sed singuláris est

grátiæ, nisi quem forte míserans Dei bónitas in símile dignáta fúerit prærogáre sanctitátis fastígium. Sed ad hoc quis idóneus? Imitémur tamen fratres, ut póssumus, patérna vestígia, simul et agámus grátias Redemptóri qui talem in via hac, qua ambulámus, ducem exhíbuit servis suis, per eum nos in huius conversatiónis lucem regénerans; et deprecémur misericordiárum Patrem, ut illo nos regénte spíritu, quo fílii Dei agúntur, per términos, quos posuérunt patres nostri, ad eándem metam perpétuæ felicitátis et sempitérnæ beatitúdinis, ad quam ille sine fine felix introívit, nos quoque indefléxo trámite pertíngere mereámur. Amen.]

RESPONSORIUM

℟. O spem miram, quam dedísti mortis hora te fléntibus, dum post mortem promisísti te profutúrum frátribus! * Imple, Pater, quod dixísti, nos tuis iuvans précibus.

℣. Qui tot signis claruísti in ægrórum corpóribus, nobis opem ferens Christi, ægris medére móribus. * Imple, Pater.

Vel alia:

E Novem modis orándi sancti Domínici presbýteri (Ed. I. Taurisano: ASOP 15, 1922, pp. 96-97; 99-100)

De oratione sancti Patris Dominici

Primus orándi modus humiliándo se ante altáre, ac si Christus per altáre significátus, reáliter et personáliter esset ibi, non tantum in signo, iuxta illum Iudith: *Humílium et mansuetórum tibi semper plácuit deprecátio;* humilitáte obtínuit Chananéa quod vóluit, et fílius pródigus; sed et *ego non sum dignus, ut intres sub tectum meum, nam, Dómine, ante te humiliátus sum usquequáque.*

Et sic sanctus Pater erécto córpore inclinábat caput suum et respíciens humíliter cápiti suo Christo,

consíderans servilitátem suam et Christi excellén-tiam, et totum se dans in eius reveréntiam. Et docébat fíeri a frátribus, dum transírent ante humiliatiónem Crucifíxi, ut Christus pro nobis humiliátus máxime vidéret nos humiliátos suæ maiestáti. Item toti Trinitáti mandábat frátribus sic humiliári, cum sollémniter dicerétur: « Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto ».

Post hæc sanctus Domínicus ante altáre sive in capítulo, fixo vultu ad Crucifíxum summo intúitu respiciébat eum, génua flectens íterum atque íterum sive plúries. Ideo quandóque a post Completórium usque ad médiam noctem modo elevábat se, modo génua flectébat, sicut Iacóbus apóstolus, sicut leprósus evangélicus, qui dicébat genu flexo: *Dómine, si vis, potes me mundáre;* et sicut Stéphanus, pósitis génibus, clamábat voce magna dicens: *ne státuas illis hoc peccátum.*

Et fiébat in sancto patre Domínico grandis fidúcia de misericórdia Dei pro se et pro cunctis peccatóribus, et pro conservatióne novitiórum fratrum, quos faciébat discúrrere ad prædicatiónem animárum. Et non póterat continére aliquándo vocem suam, sed audiebátur a frátribus dicens: *Ad te, Dómine, clamábo ne síleas a me, ne quando táceas a me*, et quædam simília divínæ Scriptúræ verba dicébat.

Quandóque autem loquebátur in corde suo, et vox pénitus non audiebátur, et quiescébat in genuflexióne stupefáctus ánimo, aliquándo diu valde; et aliquándo videbátur in ipso modo aspéctus eius intelléctum penetrásse cælum, atque cito videbátur exhilarátus gáudio, et extérgens lácrimas defluéntes. Et fiébat in magno desidério, sicut sítiens cum perveníret ad fontem, et sicut peregrínus cum iam est prope pátriam.

Et prævalébat et invalescébat, et multum compósite atque agíliter movebátur, et sursum erigéndo

se, et genuflecténdo. Et ita assuefáctus erat fléctere génua, ut in itínere, et in hospítiis, post labóres viárum et in viis, áliis dormiéntibus et quiescéntibus, quasi ad quandam suam artem et suum singuláre ministérium reverterétur ad genuflexiónes. Et hoc exémplo plus fáciens quam dicens docébat fratres.

RESPONSORIUM Eph 4, 15; Prov 4, 18

℟. Veritátem faciéntes in caritáte, * Crescámus in illum per ómnia, qui est caput Christus.

℣. Iustórum sémita, quasi lux splendens, procédit et crescit usque ad perféctam diem. * Crescámus.

Vel alia:

E Sermóne fratris Hierónymi Savonaróla presbýteri in festo sancti Domínici

(Ed. L. Ferretti: « Memorie Domenicane » 27, 1910, pp. 381-401)

Factus est totus caritas et sapientia

Ecce Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Hic est, fratres, beátus Domínicus, de quo hódie diem festum ágimus, qui cum beáto Francísco Ecclésiam cadéntem renovávit.

Ecce, inquit, Sacérdos magnus. Fratres, notáte verba et signáte mystéria. Multi sacerdótes et pauci sacerdótes. Et sacerdótes quoque boni non omnes sunt magni. Nam sacérdos debet pópulum illumináre, ad eum enim pértinet prædicáre. Quómodo ergo sacérdos est qui nescit illumináre? Sed quómodo qui nec illumináatus est, sed quómodo qui malus est!

Beátus Domínicus erat sanctus et illumináatus doctrína. Sed dicit áliquis: Ego edísco ut prædicem sancte. Hódie nostri sacerdótes, quia enim offícium prædicatiónis magni honóris est offícium, omnes vo-

lunt prædicáre, et sermonários et ália student propter hoc dicéntes omnem pópulum ædificáre. Ego áliqua bona fáciam in Ecclésia. Sed quid séquitur? *Qui in vita sua suffúlsit domum*, idest in témpore vitæ suæ. Vita peccátrix non est vita, sed mors. Dic ergo: in vita sua sancta, idest per vitam et bonum exémplum.

Rogáte, rogáte Dóminum, ut mittat bonos et sanctos sacerdótes qui domum idest Ecclésiam totam minántem magnam ruínam suffúlciant.

Et in diébus suis corroborávit templum. Templi enim altitúdo ab ipso fundáta est. Huius templi altitúdo est status perféctus aliquórum qui sunt in clero, idest religiosórum. Unde epíscopus debet esse perféctus, quia est in statu perfécto. Religiósi autem sunt in statu perfectiónis, eo quod vota emíttunt et ad ea se óbligant quæ ad perfectiónem vitæ ducunt. Inter religiósos quoque sumus in Ordine Prædicatórum. Quam perfécti autem débeant esse prædicatóres consideráte cum dicat: *Excélsi paríetes templi.* Nonne, fratres, in quálibet arte quílibet consíderat nomen artis suæ et pudet eum non esse consequéntem nómini, ut puta miles si sit tímidus, si fugit. Consideráte ergo et vos nomen vestrum.

Qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis. Dícitur enim de beáto Domínico quod conversátio eius hílaris et gratiósa semper éxtitit, unde et diligebátur ab ómnibus miro affféctu. Vóluit enim convéntus habére in civitátibus et cum homínibus conversári ut ómnibus posset prodésse. Unde diem expendébat in próximis et noctem Deo dabat: caritátem prædicábat quæ dilátat cor et ómnia facília facit. *Latum mandátum tuum nimis; viam mandatórum cucúrri cum dilatásti cor meum.* Interrogátus enim a quodam unde tam pulchras expositiónes inveníret, respóndit: « in libro caritátis ».

Et vos, o fratres, vultis ediscere Scriptúras, vultis prædicáre: habéte caritátem et ipsa docet vos.

Habéte caritátem et intélleges caritátem. Et quia beátus Domínicus totus erat déditus caritáti próximi ut oratióne, prædicatióne et exémplo eum ad vitam redúceret, et pro hac re seípsum óbtulit Deo sacrifícium in odórem suavitátis, ídeo séquitur: *Et thus ardens in igne*, scílicet Spíritus Sancti et caritátis próximi et tribulatiónum, quæ ómnia ascendébant coram Deo tamquam odor suavíssimus. Et fináliter factus est totus cáritas et sapiéntia et totus virtútibus ornátus.

RESPONSORIUM Cf. Ap 19, 9; Lc 14, 17

℟. Mundum vocans ad Agni núptias, hora cenæ Paterfamílias servum mittit, * Promíttens vária vitæ delícias.

℣. Ad hoc convívium tam permagníficum elégit núntium sanctum Domínicum. * Promíttens vária vitæ delícias.

Vel alia:

E váriis scriptis históriæ Ordinis Prædicatórum

(Libellus de principiis O.P.; Acta canonizationis sancti Dominici: MOPH 16, Romæ 1935, pp. 30 sqq., 146-147)

Cum Deo vel de Deo loquebatur

[LH IV 1042]

Ad Officium vigiliæ

Pro celebratione Vigiliæ protractæ hic adduntur cantica et Evangelium proprium, ut in Appendice, 646.

HYMNUS Te Deum.

Oratio ut ad I Vesperas, 295, vel ad Laudes matutinas, 312.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

Qui, totus Dómini nómine et áctibus
et fratres hómines díligis édocens,
e cælis véniens, o Pater, ínnova
mundo dicta salúbria.

Dic firmæ fídei dúlcia prǽmia,
cui tam sollícitis usque labóribus
servísti et précibus, tu quibus hæseras
iam cælo velut íncola.

Christi divítiæ dic super ómnia
quæ cordi frágili gáudia præparent
tu pauper, míseris dans bona plúrima,
terræ quæstibus áltior.

Quod cordis nívei te decus índuit,
mortáles móneat ne probra díligant
castóque ut stúdeant iúngere córpore
sese iúgiter ángelis.

Sit sanctæ Tríadi glória pérpetim,
cuius munéribus des ita pérfrui,
nobis ut líceat cántica fúndere
tecum témpora in ómnia.

Psalmodia

Sumitur ad libitum alia vel alia series antiphonarum ex iis quæ hic proponuntur: Series A, vitam et virtutes Sancti referens; Series B, gregoriano cantu ornata. Psalmi et canticum de dominica hebd. I.

Antiphona 1

Ser. A Sitívit in te ánima mea, quia mélior est misericórdia tua super vitas.

Ser. B Sitiébat Christi servus martýrium, sicut sitit cervus ad aquæ flúvium.

Antiphona 2

Ser. A Frater Domínicus erat in oratióne assíduus die ac nocte.

Ser. B Pauper in pecúlio, dives vita pura, paupertátis prétio cæli tenet iura.

Antiphona 3

Ser. A Mittébat Domínicus fratres ad prædicándum rogans et monens ut essent de animárum salúte sollíciti.

Ser. B Linguæ manus stúdio scalam hanc eréxit, quam Virgo cum Fílio Mater sursum vexit.

Lectio brevis Eph 3, 8-9

Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc: géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio mystérii abscónditi a sæculis in Deo.

Responsorium breve

℟. Annuntiáte inter gentes * Glóriam Dómini. Annuntiáte.
℣. In ómnibus pópulis mirabília eius. * Glóriam Dómini. Glória Patri. Annuntiáte.

Ad Benedictus, ant. O quam speciósi pedes annuntiántis pacem, prædicántis salútem, dicéntis Sion: regnábit Deus tuus.

Vel, præsertim in cantu: Benedíctus Redémptor ómnium, qui salúti próvidens hóminum, mundo dedit sanctum Domínicum.

Preces

In huius auróræ lætítia Dóminum laudémus, qui omnes hómines vult salvos fíeri et ad agnitiónem veritátis veníre. Ei iubilémus dicéntes:
Laus tibi, Dómine salútis largítor.

Benedíctus esto, Dómine, qui fámulum tuum Domínicum Ecclésiæ tuæ minístrum dedísti et multis frátribus ducem:
— præsta ut eius ductu semper læti proficiámus, et in tua misericórdia fidéntes.

Oculis ómnium corruscábat Domínicus virtútum nitóre, caritátis ardóre et evangélicæ prædicatiónis zelo:
— tibi, Dómine, grátias ágimus, qui nos ad eius imitatiónem vocas.

Ad eius sequélam decúrsu témporum fratres et soróres congregásti:
— de ómnibus tuum amóris mandátum verbo et vita proféssis te laudámus, Dómine.

Hódie, dum tibi placet ut permúlti tam láici quam religiósi viri et mulíeres Dominicánæ Famíliæ título glorièntur:
— ex eórum sollértia te cognoscéndi et glorificándi Magístrum, honor tibi succréscat in ætérnum.

[Dilaténtur corda nostra, dum illam Dómini fúndimus precem, qua exsultántes clamámus:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis, concéde ut eius intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per Dóminum.

Vel ut ad I Vesperas, 295.

[Formula benedictionis, 295 vel 323].

Ad Horam mediam

PSALMODIA

Antiphona

Ad Tertiam: Caritátem habéte, humilitátem serváte, paupertátem voluntáriam possidéte.

Ad Sextam: Fuit óptimus et summus consolátor in tentatiónibus fratrum et aliórum.

Ad Nonam: Verus erat paupertátis amátor, vílibus utens induméntis.

Vel, præsertim in cantu:

Ad Tertiam: Adest dies lætítiæ, quo beátus Domínicus aulam cæléstis cúriæ civis intrat magníficus.

Ad Sextam: Pauper in pecúlio, dives vita pura, paupertátis prétio cæli tenet iura.

Ad Nonam: Scala cælo próminens fratri revelátur, per quam Pater tránsiens sursum ferebátur.

Psalmus 33
Spes viri in Domino

Nonne omnes sunt administratorii spiritus, qui in ministerium mittuntur propter eos, qui hereditatem capient salutis? (Heb 1, 14).

I

Benedícam Dóminum in omni témpore, *
semper laus eius in ore meo.
In Dómino gloriábitur ánima mea, *
áudiant mansuéti et læténtur.
Magnificáte Dóminum mecum, *
et exaltémus nomen eius in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me, *
et ex ómnibus terróribus meis erípuit me.
Respícite ad eum, et illumináminí, *
et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, †
et Dóminus exaudívit eum, *
et de ómnibus tribulatiónibus eius salvávit eum.
Vallábit ángelus Dómini in circúitu timéntes eum, *
et erípiet eos.

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus; *
beátus vir qui sperat in eo.
Timéte Dóminum, sancti eius, *
quóniam non est inópia timéntibus eum.
Dívites eguérunt et esuriérunt, *
inquiréntes autem Dóminum
non defícient omni bono.

II

Veníte, fílii, audíte me: *
timórem Dómini docébo vos.
Quis est homo qui vult vitam, *
díligit dies ut vídeat bonum?

Próhibe linguam tuam a malo, *
et lábia tua ne loquántur dolum.
Divérte a malo et fac bonum, *
inquíre pacem et perséquere eam.

Oculi Dómini super iustos, *
et aures eius in clamórem eórum.
Vultus autem Dómini super faciéntes mala, *
ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt, et Dóminus exaudívit, *
et ex ómnibus tribulatiónibus eórum
liberávit eos.
Iuxta est Dóminus iis qui contríto sunt corde, *
et confráctos spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes iustórum, *
et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.
Custódit ómnia ossa eórum, *
unum ex his non conterétur. —

Interfíciet peccatórem malítia, *
et qui odérunt iustum, puniéntur.
Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum, *
et non puniéntur omnes qui sperant in eo.

Psalmus 18 B

Lex Domini sapientiam præstat parvulis

Evangelicam doctrinam legem Domini dicit quæ ab ipso omnium Domino promulgata fuit. Hanc immaculatam nuncupavit quia ex inscitia et tenebris ad lucem atque sapientiam convertit animas (S. Cyrillus Alexandrinus).

Lex Dómini immaculáta, refíciens ánimam, *
testimónium Dómini fidéle,
sapiéntiam præstans párvulis.
Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda, *
præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini mundus,
pérmanens in sæculum sæculi, *
iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul,
desiderabília super aurum
et lápidem pretiósum multum, *
et dulcióra super mel et favum stillántem.

Etenim servus tuus erudítur in eis, *
in custodiéndis illis retribútio multa.
Erróres quis intéllegit? †
Ab occúltis munda me, *
et a supérbia custódi servum tuum,
ne dominétur mei.
Tunc immaculátus ero, *
et emundábor a delícto máximo.

Sint, ut compláceant elóquia oris mei, *
et meditátio cordis mei in conspéctu tuo.
Dómine, adiútor meus *
et redémptor meus. [Gl.]

Ad alias Horas, psalmodia complementaris (LH IV, 1001). Loco psalmi 125 dici potest psalmus 128 (LH IV, 946).

Ad Tertiam

Ant. Caritátem habéte, humilitátem serváte, paupertátem voluntáriam possidéte.

Vel, præsertim in cantu: Adest dies lætítiæ, quo beátus Domínicus aulam cæléstis cúriæ civis intrat magníficus.

LECTIO BREVIS 1 Cor 2, 4-5

Sermo meus et prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne Spíritus et virtútis, ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum sed in virtúte Dei.

℣. Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine.

℟. Et de lege tua docúeris eum.

Ad Sextam

Ant. Fuit óptimus et summus consolátor in tentatiónibus fratrum et aliórum.

Vel, præsertim in cantu: Pauper in pecúlio, dives vita pura, paupertátis prétio cæli tenet iura.

LECTIO BREVIS Is 59, 21

Spíritus meus, qui est super te, et verba mea, quæ pósui in ore tuo, non recédent de ore tuo et de ore séminis tui et de ore séminis séminis tui, dicit Dóminus, ámodo et usque in sempitérnum.

℣. Ecce dedi verba mea in ore tuo.

℟. Ecce constítui te super gentes et regna.

Ad Nonam

Ant. Verus erat paupertátis amátor, vílibus utens induméntis.

Vel, præsertim in cantu: Scala cælo próminens fratri revelátur, per quam Pater tránsiens sursum ferebátur.

LECTIO BREVIS Mal 2, 6

Lex veritátis fuit in ore eius, et iníquitas non est invénta in lábiis eius; in pace et in æquitáte ambulávit mecum et multos avértit ab iniquitáte.

℣. Dírige me, Dómine, in veritáte tua et doce me.
℟. Quia tu es Deus salútis meæ.

Oratio, ut ad Laudes matutinas, 312.

Ad II Vesperas

HYMNUS

Præco salútis cælicæ,
quem nomen ipsum, Spíritu
movénte læta in ómina,
summo dicávit Príncipi,

Te corde tanto dívitem
quod esset orbe látius,
fides popóscit strénuum
Dei suíque víndicem.

Prudens, benígnus, cándidus,
zeli sed æstu férvidus,
tu veritátis íntegræ
aggréssus es certámina.

Venti ut sonántis ímpetu
erróris umbras díssipans,
securióre Ecclésiam
gressu dedísti pérgere.

Ardóris huius íntimi
fac simus et nos cómpotes,
fidéque spem perénniter
firmémus ad cæléstia.

Viríliter per áspera
da transigámus sæculum,
tecum beáti ut pérpetim
Deo canámus glóriam.

Psalmodia

Sumitur ad libitum alia vel alia series antiphonarum ex iis quæ hic proponuntur: Series A, vitam et virtutes Sancti referens; Series B, gregoriano cantu ornata.

Antiphona 1

Ser. A Omnes hómines largo excipiébat caritátis sinu, et cum omnes dilígeret, ab ómnibus amabátur.

Ser. B Pernox cum Christo próprium non possidébat léctulum; post lacrimárum flúvium, vix humi dans corpúsculum.

Psalmus 115
Tibi Domine sacrificabo hostiam laudis

Testis mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in evangelio Filii eius (Rom 1, 9).

Crédidi, étiam cum locútus sum: *
« Ego humiliátus sum nimis ».
Ego dixi in trepidatióne mea: *
« Omnis homo mendax ».

Quid retríbuam Dómino *
pro ómnibus quæ retríbuit mihi?
Cálicem salutáris accípiam, *
et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam *
coram omni pópulo eius.
Pretiósa in conspéctu Dómini *
mors sanctórum eius. —

O Dómine, ego servus tuus, *
ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ.
Dirupísti víncula mea: †
tibi sacrificábo hóstiam laudis, *
et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam *
coram omni pópulo eius,
in átriis domus Dómini, *
in médio tui, Ierúsalem.

Series A: Ant. Omnes hómines largo excipiébat caritátis sinu, et cum omnes dilígeret, ab ómnibus amabátur.

Series B: Ant. Pernox cum Christo próprium non possidébat léctulum; post lacrimárum flúvium, vix humi dans corpúsculum.

[Oratio super psalmum, 637].

Antiphona 2

Ser. A Motus pietáte et caritáte véndidit libros et ómnia quæ habébat et dedit pro cibo páuperum.

Ser. B Migrans Pater fíliis, vitæ firmaméntum, paupertátis húmilis condit testaméntum.

Psalmus 125

Vox apostolorum de conversione gentium et passionibus martyrum

Gratia data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Iesu ad gentes (cf. Rom 15, 15-16).

In converténdo Dóminus captivitátem Sion, *
facti sumus quasi somniántes.
Tunc replétum est gáudio os nostrum, *
et lingua nostra exsultatióne.
Tunc dicébant inter gentes: *
« Magnificávit Dóminus fácere cum eis ».
Magnificávit Dóminus fácere nobíscum; *
facti sumus lætántes. —

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, *
sicut torréntes in austro.
Qui séminant in lácrimis, *
in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, *
semen spargéndum portántes;
veniéntes autem vénient in exsultatióne, *
portántes manípulos suos.

Series A: Ant. Motus pietáte et caritáte véndidit libros et ómnia quæ habébat et dedit pro cibo páuperum.

Series B: Ant. Migrans Pater fíliis, vitæ firmaméntum, paupertátis húmilis condit testaméntum.

[Oratio super psalmum, 637].

Antiphona 3

Ser. A Et in clamóre dicébat: « Dómine miserére pópulo tuo. Quid fácient peccatóres? »

Ser. B Fulget in choro vírginum doctor veritátis, sertum honóris géminum gerens cum beátis.

Canticum Eph 1, 3-10

Gratia Christi superabundavit in nobis

Benedíctus Deus
et Pater Dómini nostri Iesu Christi, *
qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli
in cæléstibus in Christo;

sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, †
ut essémus sancti et immaculáti *
in conspéctu eius in caritáte,

qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum †
per Iesum Christum in ipsum, *
secúndum propósitum voluntátis suæ,

in laudem glóriæ grátiæ suæ, *
in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo, —

in quo habémus redemptiónem
per sánguinem eius, *
remissiónem peccatórum.

Secúndum divítias grátiæ eius, †
quæ superabundávit in nobis *
in omni sapiéntia et prudéntia;

ut notum fáceret nobis
sacraméntum voluntátis suæ, *
secúndum beneplácitum eius,

quod propósuit in eo, *
in dispensatióne plenitúdinis témporum,
instauráre ómnia in Christo, *
quæ in cælis et quæ in terra sunt.

Series A: Ant. Et in clamóre dicébat: « Dómine miserére pópulo tuo. Quid fácient peccatóres? »

Series B: Ant. Fulget in choro vírginum doctor veritátis, sertum honóris géminum gerens cum beátis.

[Oratio super psalmum, 637].

LECTIO BREVIS Phil 1, 3-4. 7-8

Grátias ago Deo meo in omni memória vestri semper in omni oratióne mea pro ómnibus vobis cum gáudio deprecatiónem fáciens super communióne vestra in Evangélio, sicut est mihi iustum sentíre pro ómnibus vobis, eo quod hábeam vos in corde et in defensióne et confirmatióne Evangélii sócios grátiæ meæ omnes vos esse. Testis enim mihi Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Christi Iesu.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Beáti qui áudiunt verbum Dei * Et custódiunt illud. Beáti.
℣. Fructum áfferunt in patiéntia * Et custódiunt illud. Glória Patri. Beáti.

Ad Magnificat, ant. Magne Pater sancte Domínice, mortis hora nos tecum súscipe, et hic semper nos pie réspice.

Vel: O lumen Ecclésiæ, doctor veritátis, rosa patiéntiæ, ebur castitátis, aquam sapiéntiæ propinásti gratis: prædicátor grátiæ, nos iunge beátis.

Preces

Sancti Patris Domínici tutélam cum iúbilo celebrántes Dei benignitáti nostras et mundi necessitátes committámus:
Salvum fac pópulum tuum, Dómine!

Benignissime Deus, ad serviéndum tibi vocásti nos beáti Patris Domínici vestígia sequéntes:
— impertíre nobis ígitur, quæsumus,
quo flagrábat veritátis ardórem.

Mandávit beátus Pater Domínicus fíliis,
ut mundum fructu stúdii et contemplatiónis locupletárent:
— custódi ígitur eos, Dómine, in stúdio assíduos,
in oratióne perseverántes, in prædicatióne fervéntes.

Sicut oves sine pastóre gentes vitæ páscua et veritátis fontes requírunt:
— multíplica, Dómine, in Ecclésia viros et mulíeres
qui cóngrue váleant mundo hodiérno tuam dilectiónem proclamáre.

Unigénitum Fílium tuum usque ad mortem crucis obœdiéntem resuscitásti in glória:
— iube, quæsumus, omnes nostros fratres et soróres defúnctos vultum tuum sine fine contemplári.

[Qui uníus Patris fílii sumus, cum Iesu Christo, primogénito eius, una voce dicámus:]

Pater noster, etc.

Oratio

Adiuvet Ecclésiam tuam, Dómine, beátus Pater Domínicus méritis et doctrínis atque pro nobis efficiátur piíssimus intervéntor, qui tuæ veritátis éxstitit prædicátor exímius. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas, 312.

Benedictio finalis

Deus, qui benignitátem et humanitátem Salvatóris nostri fecit apparére in fámulo suo Domínico, vos quoque confórmes fáciat imágini Fílii sui.
℟. Amen.

Die 9 augusti

B. IOANNIS DE SALERNO, PRESBYTERI

E nobili Normannorum stirpe Salerni anno 1190 ortum habuit et anno 1219 iam sacerdotio et doctoratu auctus, prædicatione B. Reginaldi permotus Ordinem est ingressus. Eodem anno a S. Patre Dominico præfectus fuit fratribus ad conventum instituendum Florentiam missis. Multum pro tuenda fide catholica adlaboravit ac Florentiæ obdormivit in Domino anno 1242. Pius VI die 2 aprilis 1783 eius cultum confirmavit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui in fídei increméntum, verbi tui prædcónem Beátum Ioánnem exímium effecísti, eius nobis intercessióne largíre, ut quod corde crédimus ad iustítiam, ore ad salútem confiteámur. Per Dóminum.

Die 14 augusti

B. AIMONIS TAPARELLI, PRESBYTERI

Saviliani, nobili stirpe, anno 1398 ortum habuit. Confirmata ætate, Prædicatorum Ordinem amplexus est. « Magister ac prædicator insignis », domus Dei zelo flagrans, magis veritatis quam hæreseos inquisitor exstitit indefessus post mortem Bartholomæi Cerveri (a. 1466). Centum fere annorum obiit anno 1495 in ipsa sollemnitate Assumptæ in Cælum Deiparæ, cuius eximius cultor exstiterat. Memoriam reliquit viri contemplationi dediti, qui Eucharistiam ac Divinum Officium profundissima devotione celebrabat. Pius IX die 29 maii 1856 eius cultum approbavit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, cui servíre regnáre est, per intercessiónem Beáti Aimónis, quem exímium fídei propugnatórem effecísti, concéde quǽsumus, ut tibi in Ecclésia paci et unitáti promovéndæ serviéntes, ætérno regno cum ipso pérfrui mereámur. Per Dóminum.

Die 15 augusti

IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Sollemnitas

Hac in sollemnitate intercessionem et protectionem B. Mariæ Virginis super Ordinem cum gratiarum actione recolimus, quam multimode liturgia exprimere potest: ante Missam per processionem vel sollemnem ingressum; in Missa unum vel aliud eucharisticæ celebrationis momentum magis extollendo; in Liturgia Horarum aliquam horam sollemniore forma celebrando vel elementa quædam particularia seligendo.

Omnia ut in Liturgia Horarum (IV, 1056). Pro opportunitate, præsertim in cantu, adhiberi etiam possunt sequentia elementa.

Ad I Vesperas

PSALMODIA

Pro Officio in cantu adhiberi potest hæc series antiphonarum ad I Vesperas vel ad Officium lectionis vel ad Laudes matutinas.

Ant. 1 Paradísi portæ per te nobis apértæ sunt: quas hódie gloriósa cum Angelis triúmphas. [MG 187]

Ant. 2 Hortus conclúsus es Dei Génetrix, hortus conclúsus, fons signátus. Surge própera, amíca mea, et veni. [MG 187]

Ant. 3 Pulchra es et decóra, fília Ierúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. [AG 903]

Adhiberi potest loco responsorii brevis:

RESPONSORIUM PROLIXUM Cf. Lc 1, 45

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génetrix, quæ credidísti Dómino: perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi, ecce exaltáta es super choros angelórum. * Intercéde pro nobis ad Dóminum Iesum Christum.

℣. Benedícta et venerábilis es, Virgo María, quæ sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris. * Intercéde. [Glória Patri. * Intercéde.] [AG 900]

Ad Magnificat, ant. Ascéndit Christus super cælos, et præparávit suæ castíssimæ Matri immortalitátis locum: et hæc est illa præclára festívitas ómnium Sanctórum festivitátibus incomparábilis, in qua gloriósa et felix, mirántibus cæléstis cúriæ ordínibus, ad æthéreum pervénit thálamum: quo pia sui mémorum ímmemor nequáquam exsístat. [AG 901]

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Homilíis sancti Ioánnis Damascéni presbýteri (Hom. 9 in Dormitionem B. V. Mariæ, 3.7.8.10: PG 96, 727.734.735)

Immortalitatis indumentum nobis peperisti

Olim équidem Deus mortáles ac géneris primos satóres, cum se inobœdiéntiæ mero ingurgitássent et per transgressiónis temuléntiam dormitánte mentis óculo, peccáti crápula sic affécti essent, ut oppréssis ánimi lumínibus mortífero somno tenerántur, e paradíso Eden exterminávit: nunc vero illam quæ vítii omnis ímpetum excússit, Deíque et Patris obœdiéntiæ germen produxit, et univérso mortálium géneri vitam inchoávit, paradísus non excéperit? Hanc vere beatíssimam, quæ Dei Verbi persónam totam secum Deo copulávit, quómodo mors devoráret? quómodo ínferi suscíperent? Cum enim Christus, qui via et véritas est, dicat: *Ubi sum ego,*

illic et minister meus erit, cur non multo magis cum eo mater ipsíus domicílium hábeat? Sane quidem pretiósa est mors sanctórum Dómini Dei virtútum: at pretiósior matris Dei ex hac vita migrátio.

Tunc quidem Adam et Eva nostri géneris auctóres, exsultántibus lábiis alte exclamárunt: « Beáta tu, fília, quæ violáti mandáti pœnas nobis sustulísti. Tu mortále corpus a nobis sortíta, immortalitátis induméntum nobis peperísti. Tu, cum a lumbis nostris ortum accepísses, nobis ut bene essémus rependísti. Ad véterem sedem nos postlimínio revocásti: nos paradísum cláusimus, tu ligni vitæ iter patefecísti. Per nos ex lætis trístia venérunt; ex tristibus contra lætióra per te rediérunt. Quo autem modo, o immaculáta, morti obnóxia efficéris? Tu vitæ pons et scala cæli: mors, ad immortalitátem ponto erit ».

Atque ipsa quidem, ut a vero non abhórret, dixit: « In manus tuas, Fili, comméndo spíritum meum. Accipe ergo caram tibi ánimam, quam immúnem a culpa servásti. Tibi, ac non terræ, corpus meum trado. Transfer me ad te, ut ubi es tu, víscerum meórum proles, illic quoque tibi sim contubernális. Ad te enim própero, qui ad me citra ullam spátii distántiam ventitásti ».

Hæc locúta cum esset, vicíssim audívit: « Veni in réquiem meam, benedícta Mater mea: surge, veni, amíca mea, pulchérrima mulíerum. Ecce enim hiems tránsiit. Tota pulchra es, amíca mea, et mácula non est in te: odor unguentórum tuórum super ómnia arómata ».

RESPONSORIUM

℟. Hódie María Virgo cælos ascéndit: * Gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

℣. Regína mundi hódie de sæculo nequam erípitur. * Gaudéte. [MG 195]

Vel responsorium Felix namque (MG, 197), 666.

Ad Officium vigiliæ

Ad cantica, ant. Virgo prudentíssima, quo progréderis quasi auróra valde rútilans? Fília Sion, tota formósa et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol. [AG 905]

Vel, præsertim in cantu: Tota pulchra es, amíca mea, et mácula non est in te: favus distíllans lábia tua, mel et lac sub lingua tua: odor unguentórum tuórum super ómnia arómata: iam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit: flores apparuérunt, víneæ floréntes odórem dedérunt, et vox túrturis audíta est in terra nostra. Surge, própera, amíca mea: veni de Líbano, veni, coronáberis. [AG 899]

Hymnus Te Deum.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Quæ est ista, quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? [AG 903]

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui immaculátam Vírginem Maríam, Fílii tui Genetrícem, córpore et ánima ad cæléstem glóriam assumpsísti, concéde quæsumus, ut, ad supérna semper intênti, ipsíus glóriæ mereámur esse consórtes. Per Dóminum.

Die 17 augusti

S. HYACINTHI DE POLONIA, PRESBYTERI

Memoria obligatoria

Sæculo XII exeunte Jacko [Iacobus], sæculo XIV Hyacinthus appellatus, in loco Camiensi diœcesis Breslaviensis [Kamién] ortum habuit. Canonicus ecclesiæ Cracoviensis, anno 1220 Ordinem amplexus est Romæ. Anno 1221 sanctus Dominicus eum designavit cum fratre Henrico de Moravia ut Ordinem in Polonia propagaret. Iam ab anno 1222 Cracoviæ institutus est conventus Prædicatorum. Anno 1225 Gerardus Breslaviensis, primus Provincialis Poloniæ, fratres Cracovienses per quinque itinera dispersit. Iacko conventum fundavit Dantisci [Gdańsk] in Pomerania, postea Chinelli [Kiel] ubi vixit ab anno 1229 ad annum 1233, morum candore et filiali pietate erga Domini Matrem præstans.

Multum adlaboravit inter orthodoxos atque catholicos illius regionis et urbem dereliquit paulo antequam fratres a principe Vladimiro Rurikovic eiecti essent. Hæc inter itinera miraculum illud memoratur quod flumen Vistulam, expansis super aquas palliis, siccis vestigiis traiecit una cum sociis qui ferebant Eucharistiam ac Virginis simulacrum. Obiit in conventu Cracoviensi die 15 augusti 1257. A Clemente VII anno 1527 inter beatos fuit relatus et a Clemente VIII die 17 aprilis 1594 in sanctorum catalogum adscriptus.

De Communi pastorum (LH IV, 1421), vel sanctorum virorum: pro religiosis (1523), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Christum, pastórum príncipem, veníte, adorémus.

Vel, præsertim in cantu: Grátiæ largitórem adorémus Dóminum, * Qui salútis præcónem glorificávit Hyacínthum.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Christi fidélis núntius
dum prædicátor míttitur,
præco salútis cælicus
late per orbem fúnditur.

Ubíque verbi sémina,
rectíque spargit lúmina,
fluunt ab ore fáculæ,
vitæ corúscant régulæ.

Rectas salútis sémitas
dignósque mores édocet,
verbóque tangens ánimas
ad pæniténdum cómmovet.

Ab hoste prædas éripit,
dum dura mollit péctora,
cælóque dignos éfficit,
dum frangit hostis róbora.

Tibi, Deus, sit glória
in sempitérna sæcula;
et nos Hyacínthi précibus
adiúnge cæli cœtibus.

Sicubi gradu festi celebratur:

PSALMODIA

Antiphonæ propriæ adhiberi poterunt ut ad Laudes matutinas cum psalmis de Communi pastorum (LH IV, 1422).

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus.
℟. Virtúte multa.

LECTIO PRIOR

De Epístola beáti Pauli apóstoli
ad Romános 15, 14-21

Minister Christi Iesu in gentibus,
ut fiat oblatio gentium accepta

Certus sum, fratres mei, et ego ipse de vobis, quóniam et ipsi pleni estis bonitáte, repléti omni sciéntia, ita ut possítis et altérutrum monére. Audácius autem scripsi vobis ex parte, tamquam in memóriam vos redúcens propter grátiam quæ data est mihi a Deo ut sim miníster Christi Iesu ad gentes, cónsecrans Evangélium Dei, ut fiat oblátio géntium accépta, sanctificáta in Spíritu Sancto.

Hábeo ígitur gloriatiónem in Christo Iesu ad Deum; non enim audébo áliquid loqui eórum, quæ per me non effécit Christus in obœdiéntiam géntium, verbo et factis, in virtúte signórum et prodigiórum, in virtúte Spíritus, ita ut ab Ierúsalem et per circúitum usque in Illýricum repléverim Evangélium Christi, sic autem conténdens prædicáre Evangélium non ubi nominátus est Christus, ne super aliénum fundaméntum ædificárem, sed sicut scriptum est: « Quibus non est annuntiátum de eo, vidébunt, et qui non audiérunt, intéllegent ».

RESPONSORIUM Is 66, 19-20; Rom 15, 16c

℟. Annuntiábunt glóriam meam géntibus; et addúcent omnes fratres vestros de cunctis géntibus, * Donum Dómino, ad montem sanctum meum Ierúsalem.

℣. Ut fiat oblátio géntium accépta, sanctificáta in Spíritu Sancto. * Donum Dómino.

Lectio altera [**]

E Vita sancti Hyacínthi presbýteri

(De vita et miraculis sancti Iacechonis Ordinis Fratrum Prædicatorum auctore Stanislao Cracoviensi eiusdem Ordinis, circa 1352)

Polonis nova lux orta est

Pópulus géntium, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam. Cónditor univérsi in princípio creans cælum et terram relíquit ténebras super fáciem abýssi. Ut autem has illumináret, dixit: *Fiat lux, et facta est lux.* Et sic facta luce mundum illumināvit. Sicut autem hoc fecit ténebras mundi illuminándo, sic revéra per beátum Iacechónem tamquam per rádium novi solis in Polónia ténebras peccatórum fugávit, et lúmine fídei corda Polonórum illustrávit. Unde iam complétum est, quod Isaías longe ante prædíxit dicens: *Pópulus géntium,* vidélicet in fínibus Polóniæ et *qui ambulábat in ténebris* mentis ignorántiæ, *vidit lucem magnam,* id est sanctum Iacechónem prædicatórem doctrínæ lúcidæ.

Sicut enim adveniénte luce diéi alleviántur ægritúdines, excitántur a somno hómines, aves gárriunt et béstiæ ad sua latíbula fúgiunt, sic sancto Iacechóne in Polóniam misso a beáto Domínico, Polóni alleviáti sunt a vítiis, excitáti a negligéntiis, animáti ad contemplatiónem cæléstium, liberáti a potestáte dæmonum, ita ut iam Polónis nova lux oríri visa est, gáudium, honor et tripúdium apud omnes pópulos.

De qua luce, vidélicet sancto Iacechóne ego frater Stanisláus, lector Cracoviénsis mínimus Fratrum Prædicatórum, ad honórem trini et uníus Dei, qui cunctos sanctos cóndidit atque inenarrábili luce decorávit, et ad ædificatiónem pópuli, ea quæ réperi et ex relatióne patrum fide dignórum, qui a suis antecessóribus, qui faciáliter sanctum Iacechónem novérunt et cum eo conversáti fuérunt, intelléxi, brevi et húmili stilo perstríngere curávi.

Ipse autem Christus, rex glóriæ, qui est splendor Dei patris et figúra substántiæ eius, per beáti Iacechónis patrocínium óperi meo dignétur dare increméntum, qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum. Amen.

Iacécho vulgáriter, Hyacínthus literáliter nuncupátus est. Dícitur autem Hyacínthus a hyacíntho flore vel lápide, et secúndum hoc dúplicem habet interpretatiónem.

Primo dícitur Hyacínthus quasi herba florem habens purpúreum, quod bene beáto Iacechóni convenit, nam ipse fuit herba húmilis per cordis obœdiéntiam, flos per córporis continéntiam, purpúreus per voluntáriam paupertátem seu indigéntiam.

Secúndo dícitur Hyacínthus a hyacíntho lápide, qui est fúlgidus per evangélicæ doctrínæ traditiónem; fuit cerúleus per vitæ sanctæ conversatiónem, et firmíssimus per fídei cathólicæ dilatatiónem. Et sic patet nóminis cognítio.

Responsorium

℟. Communicávit ei Dóminus sapiéntiæ suæ thesáurum, per evangélicæ prædicatiónis offícium. * Fidélibus et infidélibus lárgiter erogándum.

℣. Pósuit verba sua in ore eius, et cordis sui arcánum commísit ei. * Fidélibus et infidélibus.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Cánite tuba, ut in Appendice, 659.

Vel alia:

Ex Epístolis beáti Humbérti de Romans presbýteri ad Ordinem e Capítulis generálibus missis

(Epist. III: Opera de vita regulari, ed. J.-J. Berthier, vol. II, Romæ 1889, pp. 492-494)

Væ nobis si ab Apostolorum vestigiis deviamus

Signífico caritáti vestræ, quod inter multa desidéria cordis mei, quæ ratióne suscépti regíminis in me repério suscitáta, illud est non módicum, scílicet ut per ministérium Ordinis nostri et schismátici christiáni revocaréntur ad ecclesiásticam unitátem et nomen Dómini Iesu Christi deferrétur coram Iudæis, coram Sarracénis, coram pagánis, coram bárbaris et géntibus univérsis, ut essémus testes eius et salus ómnibus *usque ad últimum terræ.*

Sed effféctui rei huius óbviant duo quædam.

Unum est defféctus linguárum, quibus addiscéndis vix ullus frater vult vacáre, multis curiositátem multímodam utilitáti præponéntibus in studéndo.

Aliud est amor soli natális, cuius dulcédo sic multos illaqueávit, natúra nondum in eis per grátiam transformáta, *quod de terra et cognatióne sua nolunt égredi nec oblivísci pópulum suum,* sed vívere volunt et mori inter cognátos et notos suos, non expavescéntes, quod inter huiúsmodi Salvátor, étiam a matre *própria non pótuit inveníri.*

Expergiscímini, fratres a Deo vocáti, et vidéte, si in exempláribus apostólicis tale áliquid reperítur. *Numquid non omnes Galilæi fuérunt?* Et quis eórum remánsit in Galiláea? Nonne álius peregrinátus est in Indiam, álius in Æthiópiam, álius in Asiam, álius in Acháiam, et sic omnes per divérsas natiónes longe latéque diffúsi, fructum, quem nunc vidémus, produxérunt in mundo?

Quod si áliquis dicat, grávia sunt hæc, nos infírmi eos non póssumus imitári, væ nobis, si prædicatóres esse vólumus et a tálium prædicatórum vestígiis deviáre. Prætérea numquid hoc dixérunt patres illi nostri primitívi, quos sanctus Pater noster beátus Domínicus omnes tam novítios quam álios dispérsit per orbem? Non ascéndat, elécti Dei, huiúsmodi deiécta cogitátio corda nostra, sed professiónis nostræ vocatiónem et obœdiéntiæ promptæ

glorióſum prǽmium attendéntes, exponámus nosmetípſos ad ómnia pro animárum salúte et Salvatóris glória dilatánda.

Quod si quis inspiránte Dei grátia cor suum invénerit secúndum voluntátem gubernántis parátum ad linguam arábicam, hebráicam, grǽcam seu áliam addiscéndam, ex quo sibi mercédem acquírere possit in ópere salutári témpore opportúno, sive étiam repérerit se dispósitum ad exeúndum castra própriæ natiónis, transitúrus ad Provínciam Terræ Sanctæ seu Grǽciæ vel álias vicínas infidélibus, quæ procul dúbio multum índigent frátribus, qui paráti sint, multa pati pro Ordine, pro fide, pro animárum étiam salúte et propter nomen Dómini nostri Iesu Christi, precor et móneo, ut statum ánimi sui circa hoc mihi scríbere non omíttat.

Comménd vos omnes et síngulos grátiæ Salvatóris et gloriosíssimæ Matris eius, advocátæ nostræ, cuius patrocínium speciáliter his diébus Ordini adfuísse créditur et plúrimum profuísse.

Datum Medioláni in Capítulo generáli anno 1255.

RESPONSORIUM Ps 97, 2. 3c; 110, 9

℟. Notum fecit Dóminus salutáre suum, in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam, * Et vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei.

℣. Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo. * Et vidérunt.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

In hoc Hyacínthi iúbilo,
lætis canámus vócibus,
Deúmque, pulso núbilo,
puris colámus méntibus.

Dux et Pater Domínicus
hunc veste sacra índuit,
cunctísque mox appáruit
vir factus apostólicus.

Patrem secútus fílius,
Patris refúlget móribus,
corúsca lustrat ágmina,
bina decórus láurea.

Hunc Virgo visit ínclita
solátur et dat gáudia;
hunc post mundi currícula,
cæli suscépit cúria.

Tibi, Deus, sit glória
in sempitérna sæcula;
et nos Hyacínthi précibus
adiúnge cæli cœtibus.

PSALMODIA

Antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus: Series A, e Scripturis Sacris deprompta, pastorale munus Sancti evocat; Series B, gregoriano cantu ornata, vitam et virtutes Sancti refert.

Sicubi gradu festi celebratur, hæ antiphonæ cum psalmodia de dominica hebd. I dicendæ sunt.

Antiphona 1

Ser. A In fide veritátis Deus vocat nos per Evangélium, in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Iesu Christi.

Ser. B Voce sua lumen diffúndens fídei, a ténebris revocávit mília pópuli.

Antiphona 2

Ser. A Eúntes docéte omnes gentes, baptizántes eos et docéntes eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis.

Ser. B Divíni verbi sémine Christo génuit pópulos, et ad níhilum dedúxit malígnum.

Antiphona 3

Ser. A Omnes gentes vénient et adorábunt coram te, Dómine, et glorificábunt nomen tuum.

Ser. B Quasi tuba exaltávit vocem suam, ut confiteréntur tibi pópuli Deus.

Lectio brevis 1 Tim 2, 4-6

Deus salvátor noster omnes hómines vult salvos fíeri et ad agnitiónem veritátis veníre. Unus enim Deus, unus et mediátor Dei et hóminum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus, testimónium tempóribus suis.

Responsorium breve

℟. Notum fecit Dóminus * Salutáre suum. Notum.
℣. In conspéctu géntium revelávit iustítiam suam. * Salutáre suum. Glória Patri. Notum.

Ad Benedictus, ant. Qui facit veritátem, venit ad lucem, ut manifesténtur ópera eius, quia in Deo facta sunt.

Vel, præsertim in cantu: Prædicávit verbum Dei in omni pópulo, ad dandam sciéntiam salútis plebi eius in remissiónem peccatórum eórum.

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio

Deus qui beátum Hyacínthum prædicatiónis grátia perfudísti qua multas ad lumen veritátis addúceret gentes, quǽsumus, ut ópera bona in nobis tua virtúte perfícias, quibus hómines ut te glorífícent exciténtur. Per Dóminum.

Sicubi gradu festi celebratur:

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS Sir 49, 3-4

Ipse est diréctus divínitus in pæniténtia gentis, et tulit abominatiónes impietátis; et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

℣. Elégit Dóminus servum suum.

℟. Páscere Iacob hereditátem suam.

Ad Sextam

LECTIO BREVIS 1 Tim 1, 12

Grátiam hábeo ei, qui me confortávit, Christo Iesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit ponens in ministério.

℣. Non erubésco Evangélium.

℟. Virtus enim Dei est in salútem.

Ad Nonam

LECTIO BREVIS Is 58, 1

Clama fórtiter, ne cesses; quasi tuba exálta vocem tuam et annúntia pópulo meo scélera eórum et dómui Iacob peccáta eórum.

℣. Ecce dedi verba mea in ore tuo.

℟. Ecce constítui te super gentes et regna.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

HYMNUS

Textus congruus, vel Christi fidélis núntius, ut in Officio lectionis, 330.

PSALMODIA

Hæ antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus. Sicubi gradu festi celebratur, hæ anti-

phonæ, vel præsertim in cantu, series B Laudum, cum psalmodia de Communi pastorum (LH IV, 1441) dicendæ sunt.

Ant. 1 Evangélii factus sum miníster, secúndum donum grátiæ Dei.

Ant. 2 Omnia fácio propter Evangélium, ut compárticeps eius effíciar.

Ant. 3 Mihi data est grátia hæc: in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi.

LECTIO BREVIS 1 Cor 9, 16-17

Si evangelizávero, non est mihi glória; necéssitas enim mihi incúmbit. Væ enim mihi est, si non evangelizávero! Si enim volens hoc ago, mercédem hábeo; si autem invítus, dispensátio mihi crédita est.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Annuntiáte inter gentes * Glóriam Dómini. Annuntiáte.

℣. In ómnibus pópulis mirabília eius. * Glóriam Dómini. Glória Patri. Annuntiáte.

Ad Magnificat, ant. Nisi quis renuntiáverit ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus, dicit Dóminus.

Vel, præsertim in cantu: Magnus præco Hyacínthus ad iustítiam erudívit multos: Christi subégit légibus divérsos natiónum pópulos.

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Hyacínthum vocásti ut assídua verbi tui prædicatióne diversárum natiónum pópulos in fide renováret et confirmáret; eius intercessióne, quæsumus, fidem nobis auge ut ad tuam glóriam hominúmque salútem promovéndam roborémur. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas.

Die 18 augusti

B. MANNIS, PRESBYTERI, FRATRIS S. P. DOMINICI

Memoria ad libitum

Anno circiter 1170 Calarogæ natus, S. P. Dominici « uterinus frater » et adiutor in Ordinis propagatione, « vir contemplativus et sanctus », « suavis, humilis, lætus et misericors » sed etiam « prædicator ardens ». Cum aliis fratribus Parisiis conventum Sancti Iacobi anno 1217 condidit. Dominici iussu exinde ab anno 1219 in directionem monialium impense adlaboravit, prudenti spiritus moderatione ac virtutum exemplis, « Deo diu vivens in oratione ». Obiit in monasterio S. Petri de Gumiel de Izán anno c. 1235. Eius cultum Gregorius XVI die 2 iunii 1834 confirmavit.

De Communi pastorum (LH IV, 1421), vel sanctorum virorum: pro religiosis (1523), præter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA [**]

Epístola sancti Patris Domínici ad moniáles Matriténses

(MOPH 25, Romæ 1966, pp. 126-127)

Mannes multum laboravit et ad istum sanctissimum statum vos copulavit

Frater Domínicus, Magíster Prædicatórum, diléctæ prioríssæ totíque convéntui moniálium Matriténsi salútem et de die in diem melioraméntum.

Multum gaudémus et grátias Deo ágimus propter fervórem vestræ sanctæ conversatiónis, et quod Deus de huius mundi fœtóre vos liberávit.

Pugnáte, fíliæ, cum antíquo adversário, ieiúniis instánter quia non coronábitur nisi qui legítime certáverit. Et quia usque modo locum non habuístis in

quo vestram religiónem servarétis, modo non potéstis excusári quod non habeátis, per Dei grátiam, satis idónea ædifícia in quibus relígio conservétur.

Volo de cætero ut in locis interdíctis, scílicet in refectório, in dormitório et oratório siléntium teneátis, et in ómnibus áliis ordo vester custodiátur.

Nulla egrediátur per portam et nullus ingrediátur nisi epíscopus vel áliquis prælátus causa prædicándi vel visitándi. Non disciplínis et vigíliis parcátis. Sitis prioríssæ vestræ obœdiéntes. Nolíte ad ínvicem confabulári nec tempus vestrum in fabulatiónibus expendátis. Et quia vobis subveníre in temporálibus non póssumus, nólumus vos oneráre quod áliquis fratrum recipiéndi vel intromitténdi mulíeres áliquas hábeat potestátem, nisi prioríssa tantum cum consílio sui convéntus.

Prætérea fratri caríssimo nostro, scílicet fratri Manni præcípimus, qui multum laborávit et ad istum sanctíssimum statum vos copulávit, quod dispónat vos et órdinet, ut vidébitur ei expedíre in ómnibus, ut religiosíssime et sanctíssime vos habeátis. Tamen damus ei potestátem vos visitándi corrigendíque et prioríssam removéndi, si opus fúerit, cum maióris partis consénsu moniálium, et licéntiam ei concédimus ut possit vobíscum in alíquibus, si ei visum fúerit, dispensáre.

Valéte in Christo.

RESPONSORIUM Io 8, 12; Mt 16, 24

℟. Ego sum lux mundi: qui séquitur me non ámbulat in ténebris, * Sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus.

℣. Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me. * Sed habébit.

Vel alia:

Ex Epístola beáti Humbérti de Romans presbýteri
De reguláris observántia disciplínæ

(Opera de vita regulari, ed. J.-J. Berthier, vol. I, Romæ 1888, pp. 34-36)

Per silentium pax conservatur et mens per contemplationem elevatur

Numquam frater síleat loquénda, vel próferat tacénda. Quando vero loqui propónit quis, ipsa verba prius in ánimo témperet, quátenus honéste, modéste, veráciter et dúlciter quod volúerit illud propónat. Lingua enim mendax, duplíciter eláta vel inflammáta, Deo est et homínibus odiósa.

Diligénter ergo, caríssimi, respícite quid, vel quibus, quando vel ubi, quáliter vel quantum, vel certe qua de causa loquámini, ne sermónibus vestris, si débitæ circumstántiæ defúerint, generétur mala consciéntia in córdibus própriis, vel certe scándalum in ánimo auditóris. Hæc autem tria, vidélicet gestum, vocem, significatiónem in vestris locutiónibus attendátis, ita ut gestus sint disciplináti, vox lenis, significátio semper vera.

Verbis nolíte conténdere, sed nec in lítibus victóriam curétis obtinére. Vitánda sunt semper verba quæ vel loquéntibus, vel audiéntibus sunt nocíva. Ab his ítaque locutiónibus est abstinéndum, quæ vel illíus qui lóquitur, vel eius cui lóquitur, vel illíus de quo lóquitur non convéniunt honestáti.

Tempus étiam loquéndi considerándum est, quia quandóque nihil, quandóque áliquid dicéndum est. Sed nullum tempus invenítur quando mala, vel étiam bona ómnia sint proferénda. Aliquándo étiam tacére debémus propterea quod alter loqui cœpit, ne sermónem eius interrúmpere videámur. Aliquándo tacéndum est propterea quod auditórum ánimos ad id quod dícere propónimus advértimus imparátos.

Aliquándo tacéndum est propter multilóquium vitándum, vel étiam proptérea quod ipsi eórum quæ sumus locutúri nondum formam cóngruam concépimus proponéndi.

Senes loquántur de discretióne consuléndi, iúvenes de instántia operándi, sapiéntes de mystério Scripturárum, símplices de exémplis bonórum óperum, hi qui exterióra tractant de sollicitúdine vitæ actívæ, qui quiétam vitam ducunt de dulcédine vitæ contemplatívæ, prælàti de dispensatióne temporálium et spirituálium, súbditi de obœdiéntia præceptórum.

Cum ígitur propter ædificatiónem nostram loqui vólumus, ad hoc illos quórum doctrína póssumus ad virtútem próvehi, eligámus. Cum vero propter alióram ædificatiónem lóquimur, ad illos quos sperámus per nostram exhortatiónem posse córrigi, convertámur. Ad hoc autem doctrína nostra inténdat ut hortémur ad constántiam tímidos, ad timórem supérbos, ad quiétem importúnos, ad fervórem tépidos, ad siléntium verbósos, ad verbum exhortatiónis tácitos, ad mansuetúdinem impatiéntes, ad vigiliántiam negligéntes, ad indulgéntiam crudéles, ad verecúndiam præcípites et procáces.

Cavéndum est ínsuper ne frater in loquéndo membra inordináte móveat; neque oculórum nútibus, nec vultus transformatióne vel transmutatióne, sermónis sui grátiam decolóret.

Devitétis ítaque verbum amárum, supérbum, detractórium, adulatórium, malédicum, iuratórium, supérfluum, otiósum. Sicut autem absénti non debétis detráhere, sic nec præséntem aliquátenus deridére. Insipiéntibus non debétis illúdere, nec sapiéntibus invidére.

Sitis muti in otiósis, sed loquáces in fructuósis. In sermónibus vestris non cor in lingua, sed linguam in corde teneátis. Sane, cum ad loquéndum venéritis, pauca verba et rationabília proferátis. Taciturnitá-

tem diligátis et tumúltum hóminum fugiátis: per siléntium namque consciéntia serenátur, pœna vitátur, pax conservátur et mens per contemplatiónem expedítius elevátur. Quanto enim plus a negotiórum strépitu vos subtrahétis, tanto Deus vicínior erit vobis.

RESPONSORIUM Sap 9, 4-5. 10

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis, * Quóniam servus tuus sum ego et fílius ancíllæ tuæ.

℣. Mitte illam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret. * Quóniam.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Mihi autem adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino spem meam; ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas.

Vel, præsertim in cantu: Qui verbum Dei rétinent corde perfécto et óptimo, fructum áfferunt in patiéntia.

Oratio

Deus, qui Beátum Mannem fratri suo Domínico in prædicatiónis ópere sociáre voluísti; da nobis eórum sequi vestígia et in Evangélio salútis nuntiándo permanére fervéntes. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Vos qui reliquístis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis et vitam ætérnam possidébitis.

Vel, præsertim in cantu: Ecce quam bonum et quam iucúndum habitáre fratres in unum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 19 augusti

B. IORDANI DE PISA, PRESBYTERI

Anno c. 1260 ortus est in pago Rivalto et Pisis in conventu S. Catharinæ habitum religiosum induit ac fratrem se præbuit doctrina et facundia prænitentem. Pisis Florentiæque Iordanus memoriam reliquit prædicatoris claræ famæ et multos convertit, sermone utens quo abundantiam et altitudinem doctrinæ una cum simplicitate maxima iungebat. More temporum, latinum in prædicatione reliquit ac lingua vulgari prædicavit. Tempore ipso quo Dantes Alighierius vivebat, Iordanus operam dedit ad linguam vulgarem efformandam. Parisios petens morbo captus, Placentiæ obiit die 19 augusti anno 1311. Gregorius XVI die 23 augusti 1833 eius cultum adprobavit. Eius corpus Pisis requiescit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Iordánum, vitæ honestáte morúmque suavitáte, dignum Evangélicæ prædicatiónis minístrum effecísti, eius nobis imitatióne, concéde tui verbi servítio hominúmque salúti generóse inténdere, ut ætérnæ mercédis fructum cónsequi valeámus. Per Dóminum.

Die 23 augusti

S. ROSÆ DE LIMA, VIRGINIS

Memoria obligatoria

Isabella Flores, cui pulchritudo nomen « Rosa » vulgo obtinuit, Limæ in Peruvia anno 1586 orta, primus Americæ sanctitatis flos exstitit, pænitentiæ et orationis fragrantia prænitens. Plurimis donata ingenii muneribus, ut evangelicæ perfectioni plenius inhæreret inter sorores Ordinis ascribi voluit. Divinæ contemplationi insistens, alios quoque ad arcana « orationis secretæ » introducere cupiebat, libros spirituales ad hoc divulgans et vel ipsos presbyteros incitans ut omnes ad amorem orationis allicerent. Pæne reclusa in horto parentum, muneri tamen Ecclesiæ missionario animum patefaciebat: zelo ardens salutis peccatorum et « Indiorum », pro quibus vitam donare cupiebat, voluntariis afflictationibus se subiciebat ut

Christo eos lucrifaceret, « dolens, mulier cum esset, quod se applicare nequiret muneri apostolico ». Damnum peccati serio perpendens, « de seipsa petram et calcem facere vellet ut inferni ostium omnibus clauderet ».

Amore Iesu in Eucharistiæ Sacramento ac in Deiparam Virginem pietate flagrans, eius Rosarium inenarrabili zelo propagare sategit, illum existimans omnem christianum debere « voce prædicare et in corde infixum tenere ». Limæ obiit die 24 augusti anno 1617, 31 annos nata. A Clemente IX inter beatos relata anno 1668, a Clemente X sancta fuit declarata die 12 aprilis 1671. Ex anno 1671 America meridionalis patronam eam veneratur.

De Communi virginum (LH IV, 1458) vel sanctarum mulierum: pro religiosis (1523), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Laudémus Deum nostrum, in sanctis opéribus beátæ Rosæ.

Vel: Christum Regem, quem Rosa toto diléxit corde, veníte, adorémus.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Tellúris omnes íncolæ
plaudant Rosæ sollémniis,
eiúsque laudes cóncinant
a solis ort*u* ad Hésperum.

Hæc a paréntis úbere
prævénta donis grátiæ,
Deóque plena, víndicem
armávit in se déxteram.

Miris modis innóxios
afflíxit artus, spíneis
cinxit coróllis vérticem,
cibósque felle pólluit.

Horum Datóri múnerum
sit laus decúsque pérpetim,
qui trinus unus ómnia
regit Deus per sæcula.

Sicubi gradu festi celebratur:

PSALMODIA

Antiphonæ propriæ, præsertim in cantu, adhiberi poterunt ut ad Laudes matutinas cum psalmis de Communi virginum (LH IV, 1459).

℣. Notas mihi fecísti vias vitæ.
℟. Adimplébis me lætítia cum vultu tuo.

LECTIO PRIOR

De Epístola beáti Pauli apóstoli
ad Gálatas 5, 16-25; 6, 14-17

Fructus Spiritus

Spíritu ambuláte et concupiscéntiam carnis ne perfecéritis. Caro enim concupíscit advérsus spíritum, spíritus autem advérsus carnem; hæc enim ínvicem adversántur, ut non, quæcúmque vultis, illa faciátis.

Quod si Spíritu ducímini, non estis sub lege. Manifésta autem sunt ópera carnis, quæ sunt fornicátio, immundítia, luxúria, idolórum sérvitus, venefícia, inimicítiæ, contentiónes, æmulatiónes, iræ, rixæ, dissensiónes, sectæ, invídiæ, ebrietátes, comissatiónes, et his simília, quæ prædíco vobis, sicut prædíxi, quóniam, qui tália agunt, regnum Dei non consequéntur. Fructus autem Spíritus est cáritas, gáudium, pax, longanímitas, benígnitas, bónitas, fides, mansuetúdo, continéntia; advérsus huiúsmodi non est lex.

Qui autem sunt Christi Iesu, carnem crucifixérunt cum vítiis et concupiscéntiis. Si vívimus Spíritu, Spíritu et ambulémus.

Mihi autem absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. Neque enim circumcísio áliquid est, neque præpútium, sed nova creatúra. Et qui-

cúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos et misericórdia, et super Israel Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit; ego enim stígmata Iesu in córpore meo porto.

RESPONSORIUM Gal 5, 18. 22. 23-25

℟. Si Spíritu ducímini, non estis sub lege. * Fructus Spíritus est cáritas, gáudium, pax.

℣. Si Spíritu vívimus, Spíritu et ambulémus. * Fructus.

LECTIO ALTERA [***]

E Procéssu pro Canonizatióne

(Cf. Breve ristretto della vita meravigliosa della Ven. Serva di Dio Suor Rosa di S. Maria... cavato da' processi per la sua Canonizzazione dal P. Maestro F. G. Lioni, Roma 1665, pp. 63-65; 123-125; 174; 179-182)

Sancta Rosa, vera discipula S. P. Dominici

Rosa a sancta María in ómnibus rebus Creatóris laudándi occasiónem nanciscebátur; ab omni cogitatióne inítium ducébat ut mentem ad Deum extólleret atque multos edocére volébat secréta oratiónis tácitæ. Itaque, sicut alébat ánimam suam bonos auctóres legéndo, ita libros spirituáles vulgábat et presbýteros hortabátur ut omni ópere pæniténtes atque auditóres allícerent ad amórem oratiónis. Inenarrábilis est eius devótio erga Rosárium mariále quod coniúngit oratiónem mentis et vocis: existimábat quia omnis christiánus debéret voce Rosárium prædicáre et in corde infíxum tenére.

Dulcédini, quam Dei amor in oratióne illi gustáre faciébat, repugnábat amaritúdo quæ proveniébat ex cognitióne mali atque peccáti. Singuláriter commovebátur exprobratiónibus in Ecclésiam; zelus eius tum incendebátur, lingua non impediebátur etsi obiurgátio eius sæpe dulcis et suádens fiébat sup-

plicátio. Omnes mirabántur quod virgo, semper silens advérsus illos qui eam reprehendébant, tam celériter obsistébat Dei offensióni etiámsi levi.

Amor Iesu in Eucharístiæ sacraménto máximam partem in vita eius habébat; diébus quibus Sanctíssimum Sacraméntum sollémniter adorabátur immóbilis in oratióne permanébat, multas per horas.

Dolóre afficiebátur cógitans de animábus quæ dono fídei non fruúntur et præcípue de illis quæ in amplíssimis regiónibus Américæ idolórum cultu tenebántur. Misericórdia eórum capiebátur, de ipsis contínuo cogitábat, desíderans ómnia sæpiménta evértere et ad ipsos illuminándos salvandósque quasi alis mentis advoláre. De se ipsa petram et calcem fácere voluísset ut inférni óstium ómnibus cláuderet.

Cum religiósis, præsértim cum Frátribus Prædicatóribus, cólloquens eos hortabátur vi ac veheméntia vocis quæ ex affléctu cordis manábat ut mente et ánimo toti insísterent in conversiónem animárum. Ægre ferébat quod nimis vacárent stúdiis tantum speculatívis atque se malle dicébat ut sudóres, vigíliæ, labóres difficultatésque ad sciéntiam speculatívam adipiscéndam necessária, consúmpta essent in stúdio tam necessário voluntátis accendéndæ in Dei amóre.

Dolébat quod, múlier cum esset, se applicáre nequíret, sicut valde optábat, múneri apostólico Evangélii infidélibus nuntiándi. Ut confessárium suum ad hoc sanctum negótium inflammáret, illi óbtulit se dimídiam partem meritórum suórum cessúram ut partem cáperet frúctuum apostolátus illíus. Cogitáverat étiam, quod certe perfecísset nisi mors impedivísset, puérulum quemdam paréntibus orbátum et derelíctum sibi assúmere ac nutríre ope sua et eleemósynis quorúndam sperans quod Dei grátia ductus, sacros órdines posset hic recípere et ad fídei propagatiónem inter infidéles se devovére.

RESPONSORIUM Cf. Ier 31, 3; Os 2, 14. 19-20

℟. In caritáte perpétua diléxit Rosam Dóminus; ídeo attráxit eam ab infántia et duxit in solitúdinem, * Et locútus est ad cor eius.

℣. Sponsávit eam in sempitérnum, in fide et in misericórdia. * Et locútus est.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Ego quasi, ut in Appendice, 659.

Vel alia:

Ex Epístola beáti Humbérti de Romans presbýteri
De reguláris observántia disciplínæ

(Opera de vita regulari, ed. J.-J. Berthier, vol. I, Romæ 1888, pp. 29-34)

Totam vitam vestram ad Dei gloriam ordinate

Omni nisu vos exhibéte laudábiles, fratres mei, coram Deo sincéros puritáte et coram homínibus præcláros decénti disciplína. Exhibéte vos semper in tali servítio timorátos ac devótos. Sollícite Deo plácita investigáte et ardénter ea concupíscite ac impléte.

In caritáte et ex caritáte cuncta fácere satágite, ut et Deo largiénte habeátis caritátis hábitum et per vestrum stúdium eius motum. Si enim unum istórum in vestris actiónibus defúerit, nequáquam apud Deum meritórium opus erit. Id ergo quod in usum vénerit devóte ad Deum referte, et ei propter seípsum per amórem infatigabíliter inhæréte.

Via vobis sit ad Deum tam próspera quam advérsa sustinére, ut in succéssibus cum gratiárum actióne sitis húmiles et in advérsis seu contráriis patiéntes. De nullo gaudeátis nisi quod Christo militétis, nec de áliquo doleátis nisi quod ab eius grátia vos elongétis. Soli Deo placére appetátis sibíque solúmmodo displicére timeátis. Sola vobis ea quæ

vos Deo iungunt dulcéscant, sola quæ sibi contrária amaréscant. Totam vitam vestram ad Dei glóriam ordináte, semper illi de benefíciis suis grátias ágite et quidquid ad laudem eius non pértinet quasi amíssum pénitus reputáte.

Sit vobis Deus in honóre gáudium, in mæróre solátium et in tribulatióne defénsio; sit vobis cibus in ieiúnio, in paupertáte abundántia, in infirmitáte salubérrima medicína; sit via per quam ambulétis, sit fons qui vos lavet, sit clavis quæ corda vestra sibi apériat mundo claudat. Et si vires córporis defíciant semper tamen in obséquio conditóris bonæ voluntátis desidéria inardéscant.

Dilígite quod Deus díligit et odíte tantúmmodo id quod odit. Quantum est in vobis, semper studeátis habére intelléctum Deum cognoscéntem, afféctum Deum diligéntem: diligéntiam ipsum quæréntem, sapiéntiam ipsum inveniéntem, conversatiónem sibi placéntem, perseveránti am ipsum fiduciáliter exspectántem.

Frequénter ad Deum cor dirígite propter familiaritátis eius amicítiam subintrándam, licet hoc ipsum fiat bréviter, et propter accídiam removéndam stúdiis spirituálibus vos paulátim assuefácite. Oratiónis usum vobis fácite et imprímite, nec tamen bonum tamquam ex consuetúdine sed ex devotiónis dulcédine adimpléte. Oratiónes furtívas quærite. Illis quoque oratiónibus libéntius insístite, quæ afféctum vestrum ad fervórem videántur magis excitáre. Vidéte ne dum corpus est in choro tunc ánimus sit in foro.

In lectióne studeátis intelléctu profícere et afféctu. Sic illa bona, quæ ex afféctu quandóque faciénda concípitis, compleátis, ne propter illa bonum obœdiéntiæ, vel id ad quod tenémini, negligátis. Et bréviter, ut summo bono coniúngi familiárius valeátis, ab omni negotiórum sæculárium strépitu sitis exúti,

a vanitátibus speculatórum præséntium avúlsi, a cunctis infructuósis cogitatiónibus extránei et mundi blandiméntis ac illécebris crucifíxi.

In omni actu, fratres caríssimi, studéte semper vobis profícere ad méritum et próximis ad exémplum. Circa servítia fratérna sitis iucúndi, spontánei et paráti, nec ulli sitis propter usum próprii córporis onerósi. Grátiam quam accepístis illis libénter impendátis. Id quod vobis deest, ab habéntibus humíliter requirátis. Delíctum fratérnum non indignátio sed compássio prosequátur. Quælibet transitória fratérnæ postpónite caritáti.

[Diléctio debétur homínibus secúndum méritum, sed veneratio secúndum offícium et ætátem. Debétis ergo plus honoráre superióres, sed plus dilígere melióres. Prælátis obœdiéntiam, æquálibus concórdiam, inferióribus benefícium exhibéte. Conténdite maióribus per timórem súbici, æquálibus per caritátem óbsequi, sed minóribus per humilitátem coæquári.]

RESPONSORIUM 1 Th 5, 18

℟. In ómnibus grátias ágite: * Sine intermissióne oráte.

℣. Hæc est enim volúntas Dei in Christo Iesu in ómnibus vobis. * Sine intermissióne oráte.

Vel alia:

Ex Scriptis sanctæ Rosæ de Lima vírginis

(Ad medicum Castillo: ed. L. Getino,
La Patrona de América, Madrid 1928, pp. 54-55)

Sciamus supereminentem scientiæ caritatem Christi
[LH IV 1081]

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Auróra cælum púrpurat,
rosísque mane cóncolor
laudes sacrátæ vírginis
Rosæ monet nos pángere.

Hanc ergo laudent Angeli
et omnis ordo cælitum,
laudent chori mortálium
ubíque gestis ínclitam.

Hanc prim*am* amóris víctimam
admóvit aris India,
orbis iuvámen præpotens,
exémplar innocéntiæ.

Nunc læta pæniténtiæ
largo potítur prǽmio,
novúmque psallit cánticum,
Agni sequens vestígia.

Iugis tibi laus, Trínitas,
reddátur omni témpore,
et cum Rosa nos pértrahe
ad nuptiále gáudium.

PSALMODIA

Ant. 1 Trahe me, post te in odórem currémus unguentórum tuórum: óleum effúsum nomen tuum.

Hæ antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus. Sicubi vero gradu festi celebratur, cum psalmodia de dominica hebd. I dicendæ sunt.

Ant. 2 Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris.

Ant. 3 Veniénte Sponso, prudens virgo præparáta introívit cum eo ad núptias.

LECTIO BREVIS Os 2, 16b. 21-22

Ecce ego ducam eam in solitúdinem et loquar ad cor eius. Et sponsábo te mihi in sempitérnum; et sponsábo te mihi in iustítia et iudício, et in misericórdia et in miseratiónibus. Et sponsábo te mihi in fide, et cognósces Dóminum.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Ecce Sponsus venit * Exi óbviam Christo Dómino. Ecce.

℣. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus * Exi óbviam Christo Dómino. Glória Patri. Ecce.

Ad Benedictus, ant. Mihi vívere Christus est et mori lucrum; gloriári me opórtet in cruce Dómini mei Iesu Christi.

Vel, præsertim in cantu: Mirábilis in altis Dóminus, ut sponsam suam mirificáret, decórem indútus est, præcíngens se virtúte.

Preces congruæ vel de Communi virginum.

Oratio

Bonórum ómnium largítor, omnípotens Deus, qui beátam Rosam, cæléstis grátiæ rore prævéntam, humilitáte, patiéntia et zelo pro pópulo suo claréscere fecísti, concéde nobis ut vestígia eius sequéntes, Christi bonus odor éffici mereámur. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas.

Sicubi gradu festi celebratur:

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS 2 Th 2, 13-14

Nos autem debémus grátias ágere Deo semper pro vobis, fratres, dilécti a Dómino, quod elégerit vos

Deus primítias in salútem in sanctificatióne Spíritus et fide veritátis, ad quod et vocávit vos per Evangélium nostrum in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Iesu Christi.

℣. Adiuvábit eam, Deus vultu suo.

℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

Ad Sextam

LECTIO BREVIS Gal 2, 19-20

Christo confíxus sum cruci: vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus; quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me et trádidit seípsum pro me.

℣. In multitúdine sollicitúdinum meárum in corde meo.

℟. Consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Ad Nonam

LECTIO BREVIS Cf. Sap 8, 2

Hanc amávi et exquisívi a iuventúte mea et quæsívi sponsam mihi eam assúmere et amátor factus sum formæ illíus, ait Dóminus omnípotens.

℣. Rosa, sponsa Christi, áccipe corónam.

℟. Quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

HYMNUS

Textus congruus, vel Tellúris omnes íncolæ, ut in Officio lectionis, 346.

PSALMODIA

Super psalmos adhiberi possunt, præsertim in cantu, antiphonæ ut ad Laudes matutinas. Ubi vero hæc memoria modo magis proprio celebratur, psalmi et canticum sumuntur de Communi virginum (LH IV, 1470).

LECTIO BREVIS Rom 8, 18b-21

Non sunt condígnæ passiónes huius témporis ad futúram glóriam quæ revelánda est in nobis. Nam exspectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei exspéctat; vanitáti enim creatúra subiécta est, non volens sed propter eum, qui subiécit, in spem, quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis in libertátem glóriæ filiórum Dei.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Si quis sermónem meum servábit, * Pater meus díliget eum. Si quis.
℣. Et ad eum veniémus, et mansiónem apud eum faciémus. * Pater meus. Glória Patri. Si quis.

Ad Magnificat, ant. Grátias Deo, qui semper triúmphat nos in Christo et odórem notítiæ suæ maniféstat per nos in omni loco.

Vel, præsertim in cantu: In lætítia et exsultatióne sérviens Deo beáta Rosa introívit in átria eius.

Preces congruæ vel de Communi virginum.

Oratio

Deus, qui beátam Rosam, tuo amóre succénsam, mundum relínquere et tibi soli in austeritáte pæniténtiæ vacáre fecísti, da nobis eius intercessióne ut, vias vitæ sectántes in terris, torrénte deliciárum tuárum perfruámur in cælis. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas.

Die 26 augusti

B. IACOBI DE BEVAGNA, PRESBYTERI

Bevaniæ [Bevagna] in Italia natus est anno 1220. Adulescens 16 annorum Spoleti Prædicatorum Ordinem amplexus est. Bevaniæ conventum fundavit quem prudenter rexit. Contra hæresim Nicolaitarum strenue atque efficaciter pugnavit ac splendide publicam erroris detestationem Hortæ obtinuit. Prodigiosa sanguinis Christi crucifixi aspersione secura æternæ salutis fiducia roboratus est. Obiit die 22 augusti 1301. Eius cultus a Clemente X confirmatus fuit die 18 maii 1672.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui secúra ætérnæ salútis fidúcia, Beátum Iacóbum dignátus es roboráre, diláta super nos éadem víscera misericórdiæ tuæ ut, Redemptóris nostri sánguine aspérsi, inter oves déxteræ tuæ perpétuo computémur. Per Dóminum.

Die 28 augusti

S. AUGUSTINI, EPISCOPI ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Festum

Episcopus Hipponensis et theologus gratia et auctoritate in Occidente plurimum enitens, eximius est regulæ auctor et vitæ nostræ communitariæ præceptor. *Regula ad servos Dei* quæ proprie destinata erat ad cœnobium mulierum sæculo XII a Canonicis regularibus recepta est. Concilio Lateranensi IV (1215) perfecto, Innocentius III sanctum Dominicum hortatus est ut eligeret cum fratribus suis antiquiorem regulam quæ fidem faceret novæ familiæ. « Mox, ut Iordanus de Saxonia testatur, professi sunt regulam sancti Augustini clari prædicatoris, qui Prædicatores futuri erant. Aliquam strictiorem observantiam imposuerunt sibi de alimonia, de ieiuniis, de vigiliis et de habitis laneis ».

Humbertus de Romans postea sanctum Augustinum regulam scripsisse secundum vitam apostolorum ostendit. Si quis cogitat canonicum Dominicum iam a viginti fere annis regulam Augustini professum esse, intellegit quomodo vita apostolica ab Augustino electa cum proposito Prædicatorum congrueret. Obœdientia secundum Regulam apostolicam Augustini et Constitutiones Ordinis totam continet, etiam temporibus nostris, professionem vitæ dominicanæ.

De Communi pastorum (LH IV, 1421), vel doctorum Ecclesiæ (1447), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Fontem sapiéntiæ, Dóminum, veníte, adorémus.

Vel, præsertim in cantu: Magnus Dóminus et laudábilis valde, * Qui de ténebris géntium lumen Ecclésiæ suæ vocávit Augustínum.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Magne Pater Augustíne,
preces nostras súscipe,
et per eas Conditóri
nos placáre sátage,
atque rege gregem tuum,
summum decus præsulum.

Amatórem paupertátis
te colláudant páuperes,
assertórem veritátis
amant veri iúdices,
frangis nobis favos mellis,
de Scriptúris dísserens.

Quæ obscúra prius erant
nobis plana fáciens,
tu de verbis Salvatóris
dulcem panem cónficis,
et propínas potum vitæ
de psalmórum néctare.

Tu de vita clericórum
sanctam scribis régulam,
quam qui amant et sequúntur
viam tenent régiam,
atque tuo sancto ductu
rédeunt ad pátriam.

Regi regum salus, vita,
decus et impérium,
Trinitáti laus et honor
sit per omne sæculum,
qui concíves nos adscríbat
supernórum cívium.

PSALMODIA

Sumitur ad libitum alia vel alia series antiphonarum ex iis quæ hic proponuntur: Series A, ex Scripturis Sa-

cris præsertim deprompta; Series B, gregoriano cantu ornata, vitam et virtutes Sancti referens. Psalmi de Communi pastorum (LH IV, 1422).

Antiphona 1

Ser. A Misericórdiam consecútus sum, quia ignórans feci in incredulitáte, superabundávit autem grátia Dómini cum fide et dilectióne in Christo Iesu.

Ser. B Post mortem matris revérsus est Augustínus ad agros próprios, ubi cum amícis ieiúniis et oratiónibus vacans, scribébat libros et docébat indóctos.

Antiphona 2

Ser. A Ideo misericórdiam consecútus sum, ut in me primo osténderet Christus Iesus omnem longanimitátem.

Ser. B Compérta eius fama, beátus Valérius, Hipponénsis epíscopus, eum ad se accersíri fecit, et licet invítum presbýterum ordinávit.

Antiphona 3

Ser. A In fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me et trádidit seípsum pro me.

Ser. B Factus présbyter, monastérium clericórum mox instítuit, et cœpit vívere secúndum régulam sub sanctis Apóstolis constitútam.

℣. Audies de ore meo verbum.
℟. Et annuntiábis eis ex me.

Lectio prior

De Epístola beáti Pauli apóstoli
ad Colossénses 3, 12-17

Super omnia caritatem habete

Indúite vos ergo sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem,

mansuetúdinem, patiéntiam, supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis si quis advérsus áliquem habet querélam; sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super ómnia autem hæc caritátem, quod est vínculum perfectiónis. Et pax Christi dominétur in córdibus vestris, ad quam et vocati estis in uno córpore; et grati estóte.

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo; et omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Iesu, grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

Responsorium

℟. Invénit se Augustínus longe esse a Deo in regióne dissimilitúdinis, tamquam audíret vocem Dei de excélso: Cibus sum grándium, * Cresce et manducábis me.

℣. Nec tu me mutábis in te, sicut cibum carnis tuæ: sed tu mutáberis in me. * Cresce.

Lectio altera [***]

E Régula beáti Augustíni epíscopi

(Textus receptus ab Ordine, prout exstat in Prototypo, in Archivo generali Ordinis asservato: LCO, pp. 3-11)

Primum præceptum caritas

Ante ómnia, fratres caríssimi, diligátur Deus, deínde próximus, quia ista præcépta sunt principáliter nobis data. Hæc ígitur sunt, quæ ut observétis præcípimus, in monastério constitúti.

Primum, propter quod in unum estis congregáti, ut unánimes habitétis in domo; et sit vobis ánima una et cor unum in Deo. Et non dicátis áliquid próprium, sed sint vobis ómnia commúnia. Et distribuátur unicuíque vestrum a præpósito vestro victus et

teguméntum, non æquáliter ómnibus, quia non æquáliter valétis omnes, sed pótius unicuíque, sicut cuíque opus fúerit. Sic enim légitis in Actibus Apostolórum, quia *erant illis ómnia commúnia, et distribuebátur unicuíque sicut cuíque opus erat.* Omnes unanímiter et concórditer vívite, et honoráte in vobis Deum ínvicem, cuius templa facti estis.

Oratiónibus instáte, horis et tempóribus constitútis. In oratório, nemo áliquid agat nisi ad quod factum est, unde et nomen accépit: ut si forte áliqui, étiam præter horas constitútas si eis vacat oráre volúerint, non eis sint impediménto, qui ibi áliquid agéndum putáverint. Psalmis et hymnis cum orátis Deum, hoc versétur in corde quod profértur in ore.

Carnem vestram domáte ieiúniis et abstinéntia escæ et potus, quantum valitúdo permíttit. Quando autem áliquis non potest ieiunáre, non tamen extra horam prándii áliquid alimentórum sumat, nisi cum ægrótat. Non sit notábilis hábitus vester; nec affectétis véstibus placére, sed móribus.

Lites aut nullas habeátis, aut quam celérrime finiátis; ne ira crescat in ódium, et trabem fáciat de festúca, et ánimam fáciat homicídam. Sic enim légitis: *Qui odit fratrem suum, homicída est.*

Ipse qui vobis præest, non se exístimet potestáte dominánte, sed caritáte serviénte, felícem. Honóre coram vobis prælátus sit vobis, timóre coram Deo, substrátus sit pédibus vestris. Circa omnes, seípsum bonórum óperum præbeat exémplum. Corrípiat inquiétos, consolétur pusillánimes, suscípiat infírmos, pátiens sit ad omnes. Disciplínam libens hábeat, metuéndus impónat. Et quamvis utrúmque sit necessárium, tamen plus amári a vobis áppetat quam timéri, semper cógitans Deo se pro vobis redditúrum esse ratiónem. Unde vos, magis obœdiéndo, non solum vestri, sed étiam ipsíus miserémini, qui inter vos, quanto in loco superióre, tanto in perículo maióre versátur.

Donet Dóminus ut observétis hæc ómnia, tamquam spirituális pulchritúdinis amatóres, et bono Christi odóre de bona vestra conversatióne fragrántes, non sicut servi sub lege, sed sicut líberi sub grátia constitúti.

RESPONSORIUM Act 4, 32; 2, 46b-47a

℟. Multitúdinis erat cor unum et ánima una. * Nec quisquam eórum, quæ possidébat, áliquid suum esse dicébat, sed erant illis ómnia commúnia.

℣. Sumébant cibum cum exsultatióne et simplicitáte cordis, collaudántes Deum et habéntes grátiam ad omnem plebem. * Nec quisquam.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Manifestáta est, ut in Appendice, 659.

Vel alia:

Ex Expositióne Régulæ beáti Augustíni epíscopi secúndum beátum Humbértum de Romans presbýteri.

(Opera de vita regulari, ed. J.-J. Berthier, vol. I, Romæ 1888, pp. 43-51)

Regula beati Augustini
continet plene ea quæ requiruntur in religione
et magis convenit statui prædicatorum

Inter multas et várias régulas, sub quibus religiósi divérsi mílitant in Ecclésia, quædam sunt quas tradidérunt viri quidam, qui catálogo sanctórum non adscribúntur; áliæ sunt quas sancti quidem edidérunt, sed tales qui non fuérunt eminéntes in sapiéntia; áliæ vero quas etsi sancti vel perfécti in sapiéntia tradidérunt, tamen non fuérunt multæ auctoritátis. Certum est autem quod sánctitas in ánima viri plus intérdum valet ad proferéndum salutáres senténtias quam sapiéntia; intérdum autem simplícitas licet sancta, si per sapiéntiam non dirigátur, minus laudabíliter profert senténtiam; senténtia vero proláta a sanctitáte et sapiéntia quibus

deest auctóritas minus acceptátur. Quanta ergo et quali acceptióne digna est régula quæ a viro sanctíssimo, sapientíssimo et exímiæ auctoritátis, beáto scílicet Augustíno epíscopo, trádita reperítur?

Beátus vero Augustínus suam formávit régulam ad exémplar vitæ apostólicæ, ut patet per illud quod de eo cantátur et légitur, quod cœpit vívere secúndum régulam sub sanctis Apóstolis constitútam; et in quodam sermóne dicit ipse: Apostólica enim vita vólumus vívere. Quis autem dúbitat vitam apostólicam vitæ cunctórum vivéntium præferéndam? Quanta ergo magnificéntia extollénda est régula quæ a tali dedúcta est exemplári!

Prætérea, multæ sunt régulæ quæ impónunt multas observántias corporáles; régula vero beáti Augustíni magis consístit circa spirituáles actiónes, ut sunt diléctio Dei et próximi, únitas córdium, concórdia morum et simília. Quis autem nésciat exercítia spirituália prævalére exercitatiónibus corporálibus? Quanto ergo plus versátur circa spirituália quam circa corporália, tanto digna est laude maióri. Item régula beáti Augustíni talem servat mediocritátem quod nec nímia multitúdine vel paucitáte mandatórum cadit in extrémum vitiósum, sed rémanet in médio, circa quod omnis virtus consístit.

Adhuc, notándum est quod Augustínus in régula primo ponit mandáta; sed quia trádita non prosunt nisi servéntur, ídeo secúndo ponit ea quæ fáciunt ad eórum observántiam. In traditióne vero mandatórum, primo ponit mandáta Dei, secúndo sua. In tradéndo autem sua, primo ponit modum tradéndi; secúndo éxplicat síngula. Quid, óbsecro, plus opórtet in áliqua tradi régula quam mandáta Dei et hóminis circa observántiam horum adiuvántia? Quæ ómnia cóntinet régula beáti Augustíni, et sic cóntinet plene quæ requirúntur in religióne.

Régula beáti Augustíni ínsuper magis convéniens est prædicatóribus quam áliæ. Constat enim quod

prædicatóres debent esse litteráti. Quam convéniens ergo est ut sub régula viri tam excelléntis litteratúræ, qui suos discípulos vult ádeo studiósos esse ut nulla dies prætéreat quin códices revólvant, mílitent illi quorum est assídue díscere et docére! Item cum régula beáti Augustíni dedúcta sit tamquam ab exemplári a vita apostólica, quam prædicatóres omnes summe debent imitári, multo magis cómpetit ista régula prædicatóribus quam áliæ.

Item, quædam sunt régulæ quæ impónunt multa per quæ sui professóres multum dífferunt a commúni vita hóminum, sicut in hábitu vel in Offício et quibúsdam áliis. Huiúsmodi autem diversitátes quandóque impédiunt fructum animárum, et e contrário conformitátes cónferunt fructum. Propter quod Paulus fiébat ómnia ómnibus, eis se confórmans, ut omnes lucrifáceret. Cum ergo régula beáti Augustíni non impónat áliquas huiúsmodi extraneitátes, magis prædicatóri cómpetit. Item in statuéndo novum Ordinem Prædicatórum opórtuit áliqua nova cóndere statúta circa stúdium, paupertátem et huiúsmodi, quæ adderéntur super régulam eórum. Opórtuit ergo talem elígere régulam quæ non habéret áliqua quæ contrariaréntur huiúsmodi statuéndis: talis autem est régula beáti Augustíni, cui conveniénter possunt appóni statúta ómnia pertinéntia ad statum prædicatiónis.

Cum autem beátus Domínicus, Pater Fratrum Prædicatórum, profectum in omni bono et fructum circa salútem animárum acquisíerit sub ista régula, quam convéniens est ut eius fílii in hoc eius imitatóres exístant, ut ad eius profectum pervéniant!

Responsorium Phil 3, 15-16; 2 Tim 1, 7

℟. Quicúmque perfécti sumus, hoc sentiámus in Christo Iesu, * Ut idem sapiámus, et in eádem permaneámus régula.

℣. Non dedit nobis Deus spíritum timóris, sed virtútis et dilectiónis. * Ut idem.

Vel: Cf. Rom 6, 14; Gal 4, 1-7; Eph 5, 1-2, 21

℟. Donet Dóminus ut observétis hæc ómnia tamquam spirituális pulchritúdinis amatóres: * Non sicut servi sub lege, sed sicut líberi sub grátia constitúti.

℣. Estóte imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi, et ambuláte in dilectióne: subiécti ínvicem in timóre Christi. * Non sicut.

Vel alia:

Ex Confessiónum libris sancti Augustíni epíscopi
(Lib. 7, 10, 18; 10, 27: CSEL 33, 157-163. 255)

O æterna veritas et vera caritas et cara æternitas!
[LH IV 1093]

HYMNUS Te Deum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Fulget in cælis célebris sacérdos,
stella doctórum rútilat corúsca,
lumen intáctum fídei per orbis
clímata spargens.

Cive tam claro, Sion o supérna,
læta dic laudes Dómino salútis,
qui modis miris sibi vinxit ipsum
lúmine complens.

Hic fidem sacram vigil usque firmat,
arma et errórum súbigit poténter,
sórdidos mores lavat et repéllit
dógmate claro.

Qui gregis Christi speculátor almus,
énites clero monachísque forma,
tu Dei nobis fáciem benígnam
fac prece semper.

Laus, honor, virtus Tríadi beátæ,
cuius in terris studuísti amánter
alta scrutári nitidáque in astris
luce potíris.

PSALMODIA

Sumitur ad libitum alia vel alia series antiphonarum ex iis quæ hic proponuntur, ex Scripturis depromptæ: Series A, quæ vitam et munus Sancti evocat; Series B, quæ Regulæ auctorem commemorat. Psalmi et canticum de dominica hebd. I.

Antiphona 1

Ser. A Grátias ago Christo Iesu, quia fidélem me existimávit ponens in ministério.

Ser. B Oratióni instáte, vigilántes in ea, in gratiárum actióne.

Antiphona 2

Ser. A Gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

Ser. B Rogámus vos, fratres, ut novéritis eos qui præsunt vobis in Dómino, ut habeátis illos superabundánter in caritáte.

Antiphona 3

Ser. A Quæ retro sunt oblivíscens, ad ea quæ ante sunt exténdens me, ad destinátum pérsequor bravíum supérnæ vocatiónis Dei.

Ser. B Pacem habéte inter vos, fratres: corrípite inquiétos, consolámini pusillánimes, suscípite infírmos, longánimes estóte ad omnes.

LECTIO BREVIS Rom 13, 12-14

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus: non in comessatiónibus, et ebrietátibus, non in cubílibus et impudicítiis, non in contentióne et æmulatióne: sed induímini Dóminum Iesum Christum, et carnis curam ne fecéritis in desidériis.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Renovámini spíritu mentis vestræ * Et indúite novum hóminem. Renovámini.

℣. Qui secúndum Deum creátus est in iustítia et sanctitáte veritátis. * Et indúite. Glória Patri. Renovámini.

Ad Benedictus, ant. Tu éxcitas, Dómine, ut laudáre te deléctet, quia fecísti nos ad te; et inquiétum est cor nostrum donec requiéscat in te.

Vel, præsertim in cantu: Nec satiabátur illis diébus dulcédine mirábili, consideráre altitúdinem consílii divíni super salútem géneris humáni.

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Augustínum ab errórum ténebris ad lucem evangélicæ veritátis adduxísti, præsta quæsumus, ut qui de tua in illum misericórdia gaudémus, eiúsdem ad te précibus actus nostros in mélius reformémus. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas.

Ad Horam mediam

Psalmi de feria currente, vel psalmodia complementaris.

Ad Tertiam

Ant. Némini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis.

LECTIO BREVIS Sap 7, 13-14

Sapiéntiam sine fictióne dídici, et sine invídia cómunico, et honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus; quo qui usi sunt partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti.

℣. Elégit Dóminus servum suum.
℟. Páscere Iacob hereditátem suam.

Ad Sextam

Ant. In sapiéntia ambuláte ad eos, qui foris sunt, tempus rediméntes.

LECTIO BREVIS 2 Tim 4, 1-2

Testíficor coram Deo et Iesu Christo, qui iudicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus et regnum eius: prædica verbum, insta oportúne, importúne, árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia et doctrína.

℣. Non erubésco Evangélium.
℟. Virtus enim Dei est in salútem.

Ad Nonam

Ant. Semper gaudéte, sine intermissióne oráte, in ómnibus grátias ágite.

LECTIO BREVIS Col 3, 14-15

Caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis; et pax Christi dominétur in córdibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore, et grati estóte.

℣. Nisi Dóminus ædificáverit domum.
℟. In vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

Hymnus

Textus congruus, vel Fulget in cælis célebris sacérdos, ut ad Laudes matutinas, 366.

Psalmodia

Ant. 1 Imitatóres mei estóte, fratres, et obsérváte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram.

Psalmi et canticum de Communi pastorum (LH IV, 1441). Pro celebratione in cantu, antiphonæ sumuntur ad libitum ex Serie B ad Officium lectionis, 360.

Ant. 2 Quicúmque perfécti sumus idem sapiámus, et in eádem permaneámus régula.

Ant. 3 Desídero una vobíscum consolári per eam, quæ ínvicem est, fidem vestram atque meam.

Lectio brevis 1 Io 1, 1-3

Quod fuit ab inítio, quod audívimus, quod vídimus óculis nostris, quod perspéximus et manus nostræ contrectavérunt de Verbo vitæ; et vita manifestáta est, et vídimus, et testámur, et annuntiámus vobis vitam ætérnam quæ erat apud Patrem et appáruit nobis: quod vídimus et audívimus annuntiámus vobis, ut et vos societátem habeátis nobíscum, et socíetas nostra sit cum Patre et cum Fílio eius Iesu Christo.

Responsorium breve

℟. Hæc est cáritas: * Ut ambulémus secúndum mandáta eius. Hæc est.

℣. Pater misit Fílium suum Salvatórem mundi. * Ut ambulémus secúndum mandáta eius. Glória Patri. Hæc est.

Vel alia: Act 2, 42-45

Erant omnes perseverántes in doctrína Apostolórum et communicatióne fractiónis panis et oratiónibus. Fiébat autem omni ánimæ timor. Multa quoque prodígia et signa per Apóstolos in Ierúsalem fiébant, et metus erat magnus in univérsis. Omnes étiam qui credébant erant páriter et habébant ómnia commúnia: possessiónes et substántias vendébant et dividébant illa ómnibus, prout cuíque opus erat.

RESPONSORIUM BREVE

℟. In hoc cognóscent omnes, * Quia mei estis discípuli. In hoc.
℣. Si dilectiónem habuéritis ad ínvicem. * Quia mei estis discípuli. Glória Patri. In hoc.

Ad Magnificat, ant. Sero te amávi, pulchritúdo tam antiqua et tam nova, sero te amávi. Vocásti et clamásti et rupísti surditátem meam.

Vel, præsertim in cantu: Omnis sapiéntia a Dómino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum.

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio

Innova, quæsumus, Dómine, in Ecclésia tua spíritum quo beátum Augustínum epíscopum imbuísti ut, eódem nos repléti, te solum veræ fontem sapiéntiæ sitiámus et supérni amóris quærámus auctórem. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas.

SEPTEMBER

Die 2 septembris

B. GUALÆ DE BERGAMO, EPISCOPI

Anno circiter 1180 Bergomi in Italia ortus, iam canonicus circa annum 1219 ab ipso Patriarcha Dominico in Ordinem receptus est. Responsabilitate regendi fratres donatus, fidei inquisitoris et legati pontificii muneribus inde auctus, summa prudentia et animarum zelo enituit. Cœnobium fundavit Brixiæ et Gregorius IX anno 1229 episcopum Brixiensem eum fecit.

Summus Pontifex plurima et difficillima ei commisit apud imperatorem Federicum II et ad urbes Italiæ septentrionalis inter se conciliandas. Profundam orationis vitam fervida cum apostolica actuositate coniungens, de pauperum et afflictorum sublevamine magnopere sollicitus fuit et promovendæ pacis studio ac christianorum morum renovationi summopere intendit. Obiit die 3 septembris anno 1244 eiusque cultum Pius IX die 1 octobris 1868 confirmavit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui ad plebem tuam in pace et pietáte firmándam, Beátum Gualam singulári grátia decorásti, eius nobis intercessióne concéde ut, pacis stúdia operóse sectántes, úberes pietátis fructus percipiámus. Per Dóminum.

Die 4 septembris

B. CATHARINÆ DE RACCONIGI, VIRGINIS

Anno 1486 ex familia opificum orta Raconixii in regione Pedemontana a Gallis pervasa sæculis XV et XVI, et ipsa ut textrix adlaboravit, at pariter ad orationem dedita erat. Singularibus donata muneribus quorum fratres etiam Ordinis — cuius habitum de Pœnitentia induerat — suspicionem habe-

bant, calumnias et persecutiones usque ad extremum vitæ perpessa est. « Iesus solus est spes mea » in angustiis dicere solebat. Velut sancta Catharina Senensis pro Italiæ pace et Ecclesiæ bono operata est. Obiit die 4 septembris 1547 et eius cultus liturgicus die 9 aprilis 1808 a Pio VII fuit permissus.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Spes nostra, Dómine, qui Beátæ Catharínæ cor teípso plenum, cæléstium donórum abundántia decorásti, tantæ vírginis intercessióne concéde ut totus nobis figátur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce, Dóminus noster Iesus Christus Fílius tuus. Qui tecum.

Die 5 septembris

ANNIVERSARIUM FAMILIARIUM ET BENEFACTORUM DEFUNCTORUM ORDINIS NOSTRI

Paupertas evangelica, quæ sancti Patris Dominici voluntate prædicationem in Ordine nostro custodit, efficit pulchre ut multi, amici ac benefactores, vel ipsa actuosa sua conversatione, vel bonorum suorum donatione, nos adiuvent ad munus evangelicum implendum. Hos omnes igitur, pergrata communi celebratione hodie recolimus benefactores nostros defunctos et familiares Ordini nostro multis modis variisque vinculis coniunctos.

Suffragia de hodierno Anniversario Missa tantum peragantur.

Quælibet tamen communitas, servatis servandis, iuxta generales normas, aptiore qua videbitur forma, in Officio Divino Anniversarium commemorare potest (cf. IGLH, nn. 245-252).

Die 6 septembris

B. BERTRANDI DE GARRIGUE, PRESBYTERI

Oriundus ex vico de Garrigue, prope Nîmes, in Gallia, unus fuit de primis S. Dominici sociis, eiusdem quoque in prædicatione et fervore vitæ æmulus, de Ordine dilatando et firmando optime meritus. Tolosæ primus exstitit prior conventus S. Romani, anno 1216; deinde ad novam fundationem Parisios missus (a. 1217), iterum Tolosam rediit, anno 1219, et illius regionis Provence dictæ inde exstitit Provincialis. Sub fundatoris ductu, peculiare munus coniungendi inter se varias communitates tunc iam exortas, impigra actuositate exercuit. Testante Iordano de Saxonia, vir exstitit « sanctitatis magnæ et rigoris circa seipsum inexorabilis, quoniam suæ carnis erat mortificator acerrimus, et Magistri Dominici sibi formam et exemplar in multis imbiberat, cui etiam aliquando comes itineris fuit ».

Obiit mense aprilis 1230 apud moniales cistercenses Bosqueti [Le Bouchet], ubi eius sepulcrum gloriosum exstitit. Eius corpus a Fratribus Prædicatoribus de Orange ad propriam ecclesiam translatum fuit anno 1414, ibique permansit, fidelium venerationi expositum, usquedum, dissidiis religionis sævientibus, igni traditum fuit (a. 1561), Ipsius cultum confirmavit Leo XIII, die 14 iulii 1881.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui sancto patriárchæ Domínico Beátum Bertrándum sócium et imitatórem exímium adiunxísti, eius interventióne nobis concéde, ita fidem, quam ipse nuntiávit, vita profitéri, ut repromíssa in cælis assequámur et prǽmia. Per Dóminum.

Die 18 septembris

S. IOANNIS MACIAS, RELIGIOSI

Memoria obligatoria

In Ribera oppido Estremaduræ [Ribera del Fresno] in Hispania anno 1585 ortum habuit et ad Americam meridionalem nave mercatoria profectus est. Limæ in conventu Mariæ Magdalenæ viam evangelicæ paupertatis in Ordine elegit, hu-

militate et caritate præclarus. Munus ianitoris conventus fere per 22 annos exercens, misericordiæ operibus summopere deditus, animas defunctorum Rosarii prece sublevare contendit atque multos a via iustitiæ aberrantes ad Dei amorem reduxit. Sicut Martinus de Porres iniurias et calumnias toleravit et pauperes atque ægrotos sedulo curavit. Obiit die 16 septembris anno 1645. Paulus VI in sanctorum numerum eum rettulit die 28 septembris 1975.

De Communi sanctorum virorum: pro religiosis (LH IV, 1522), vel pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt (1529), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Christum Dóminum páuperes diligéntem, veníte, adorémus.

Vel: Christum Regem exaltántem húmiles, veníte, adorémus.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Laudem beáti sérvuli
ad Trinitátis glóriam
sanctæ canámus súpplices,
quæ dat corónam téstibus.

Advérsa mundi pértulit,
calcávit eius próspera,
in caritátis grátia
semper manens ditíssimus.

Spernens opes cum cásibus
mundi, supérnis ínstitit,
liber cadúcis éxiit
nil ámbiens ex ínfimis.

O vir beáte, quæsumus,
nobis fave poscéntibus;
confer boni solátia
vitæ parándo prǽmia.

Sit Trinitáti glória,
virtus, honor per sæcula,
quæ nos beátis cælitum
semper iuvet suffrágiis.

Sicubi gradu festi celebratur:

PSALMODIA

Ant. 1 Dómine in simplicitáte cordis mei lætus óbtuli univérsa: custódi hanc voluntátem.

Psalmi de Communi sanctorum virorum (LH IV, 1480).

Ant. 2 Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei: tu es qui restítues hereditátem meam mihi.

Ant. 3 Vos qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis et vitam ætérnam possidébitis.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

LECTIO PRIOR

De Epístola prima beáti Ioánnis apóstoli 4, 7-21

Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt non potest diligere

Caríssimi: Diligámus ínvicem, quóniam cáritas ex Deo est, et omnis, qui díligit, ex Deo natus est et cognóscit Deum. Qui non díligit non cognóvit Deum, quóniam Deus cáritas est.

In hoc appáruit cáritas Dei in nobis quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum. In hoc est cáritas, non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse diléxit nos et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris.

Caríssimi, si sic Deus diléxit nos, et nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit umquam; si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, et cáritas eius in nobis consummáta est. In hoc cognóscimus quóniam in ipso manémus, et ipse in nobis, quóniam de Spíritu suo dedit nobis.

Et nos vídimus et testificámur quóniam Pater misit Fílium Salvatórem mundi. Quisque conféssus fúerit: « Iesus est Fílius Dei », Deus in ipso manet, et ipse in Deo. Et nos, qui credídimus, cognóvimus caritátem, quam habet Deus in nobis. Deus cáritas est, et qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo manet.

In hoc consummáta est cáritas nobíscum, ut fidúciam habeámus in die iudícii, quia sicut ille est et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in caritáte, sed perfécta cáritas foras mittit timórem, quóniam timor pœnam habet, qui autem timet, non est consummátus in caritáte.

Nos dilígimus, quóniam ipse prior diléxit nos. Si quis díxerit: « Díligo Deum », et fratrem suum óderit, mendax est; qui enim non díligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, non potest dilígere. Et hoc mandátum habémus ab eo, ut, qui díligit Deum, díligat et fratrem suum.

RESPONSORIUM 1 Io 4, 16

℟. Deus cáritas est, * Et qui manet in caritáte in Deo manet, et Deus in eo.

℣. Et nos cognóvimus et credídimus caritáti quam habet Deus in nobis. * Et qui manet.

LECTIO ALTERA [**]

Ex Homilía Pauli papæ Sexti
in canonizatióne beáti Ioánnis Macías

(Homilia habita Romæ 28 septembris 1975: AAS 67, 1975, pp. 573-578)

Testis mirabilis et eloquens evangelicæ paupertatis

Ioánnes Macías testis est mirábilis atque éloquens evangélicæ paupertátis: órphanus aduléscens qui ténui mercéde sibi ut pastóri tribúta hómines iuvat « fratres suos », fidem illis partícipans; prófugus qui, sanctum patrónum Ioánnem Baptístam secútus, non opes requírit, quemádmodum céteri, sed id percúpiens ut volúntas Dei impleátur; puer caupónius idémque dux pastórum qui occúlte caritátem suam pro egéntibus dilargítur, oráre eos docens; religiósus qui vota sua éfficit ratiónem exímiam amóris erga Deum et próximos; qui « sibimetípsi nihil nisi Deum quærit »; qui in cella ostiária impensíssimam vitam oratiónis ac pæniténtiæ cum cura compósuit qua ipse ingéntibus páuperum multitudínibus opem ferébat cibúmque ministrábat; qui se magna parte victus privat ad famem expléndam esuriéntium in quibus fides eius Iesum Christum pérspicit insígniter præséntem; ut in pauca conferámus, vita ipsa huius « patris páuperum, orphanórum, egéntium » nonne cómprobat quam fecúnda sit evangélica paupértas, quam plene quis vivat?

Cum Ioánnem Macías páuperem fuísse dícimus, non quidem de paupertáte cogitámus quæ idem sit ac nóxia miséria vel inértia nihil agens ad iustam prosperitátem consequéndam, quam Deus neque vult neque benedícit, sed de paupertáte dignitátis plena, quæ humíliter panem terrénum sibi lucrátur, óperis sui fructum.

Quanta enim cura quantáque efficiéntia ad munus suum ipse incúbuit ante ac post religiósam vitam suscéptam! Dómini eius ac moderatóres apérte de eo testántur. Manus eius semper paravérunt panem pro ipso, panem pro soróre eius, panem pro multiplicátis opéribus caritátis. Panis ille fructus fuit labóris sociáli ratióne fecúndi atque exémpli vim habens, qui hóminem pérficit, rédimit Christóque

configúrat, intus in ánimam ínserens fidúciam filiórum própriam, qua créditur Patrem, qui pascit volatília cæli et vestit lília agri, non desínere dare fíliis suis quæ sunt ad vivéndum necessária: *Quærite primum Regnum Dei et iustítiam eius et réliqua adiciéntur vobis.*

Céterum, labor árduus in quo Ioánnes Macías desudábat ánimam eius a pane cælésti non distrahébat. Ille qui a púero in præséntiæ Dei íntima penetrália fúerat introdúctus, inter multíplices navitátes suas ánima fuit contemplatíva.

Consuetúdo cum Deo non solum ab homínibus illum non detrahébat, sed ad eos eorúmque necessitátes appropinquábat renováto stúdio et vigóre, ea mente ut illis mederétur eósque ad vitam magis magísque dignam, sublímem, humánam, christianámque perdúceret.

Id fáciens nihil áliud agébat nisi doctrínam ac præcépta sequebátur Ecclésiæ quæ páuperes habens potióres atque evangélicam paupertátem díligens, numquam páuperes derelíquit in ærúmnis eórum, sed illis subvénit et ad vitæ ratiónes altióres, dignitáti hóminum ac filiórum Dei magis consentáneas eréxit.

Hæc ómnia saltem ex parte ante óculos ponunt huius sancti viri spéciem mirábilem, animósque alliciéntem, spéciem ad hoc tempus pertinéntem, exémplum spléndidum pro nobis societatéque nostra.

Ioánnes Macías dúplici vitæ suæ exémplo novit paupertátis dignitátem extóllere: scílicet panem fidénter quæréndo pro paupéribus et assídue quæréndo Panem páuperum, hoc est Christum, qui omnes confírmat sicque ad supérnam adipiscéndam metam perdúcit. Hinc præclárum sane núntium præbétur nobis atque sæculo huic nostro, materialísmi labe infécto, qui effréno res consuméndi stúdio ac officiórum sociálium negléctu tam sæpe labórat. Effi-

cax étiam prostat exémplum illíus « interióris unitátis », quam christiánus homo in hac terréstri vita perfícere debet, eam ímbuens fide atque caritáte.

RESPONSORIUM 1 Petr 5, 5; Mt 11, 29

℟. Omnes ínvicem humilitátem insinuáte, * Quia Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam.
℣. Díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris. * Quia Deus.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Vidéte qualem, ut in Appendice, 661.

Vel alia:

Ex Allocutióne fratris Vincéntii de Couesnongle Magístri Ordinis in canonizatióne beáti Ioánnis Macías

(Allocutio habita Romæ 26 septembris 1975: ASOP 42, 1975-76, pp. 255-259)

Nuntius Ioannis Macias

Ioánnes Macías neque prædicávit neque scripsit. Hic húmilis frater, nunc coram univérsa Ecclésia glorificátus, nimis perturbátus fuísset si quis ipsi dixísset quóniam vita ipsíus húmilis mundo allatúra esset núntium et, quod pluris est, núntium sociálem. Ipsíus autem vita húmilis pro ipso coram nobis testátur; vita ipsa est núntius.

Ioánnes Macías adhuc iúvenis proféctus est usque ad Américam. Pátria prófugus factus est. Cognóvit enim demigratiónem, moléstam evulsiónem e solo pátrio, e tranquíllis consuetudínibus. Cognóvit incértum, vicissitúdinem spei timorísque, difficultátem translatiónis atque accommodatiónis. Unus fuit ex innumerabílibus homínibus qui, per sæcula, de regióne in regiónem non delectatióne vel amóre fortúnæ sed necessitáte iactáti fuérunt.

Sine dúbio dúcere posset hanc viam sanctitátis, hoc donum sui ad páuperes, ubicúmque et quálibet

ætáte. Sed fit sanctus inter prófugos illos, inter paupérrimos. Et hoc nobis quæstiónes ponit.

E témpore quo vixit Ioánnes Macías mundus per multos gradus procéssit. Non solum rerum condiciónes pénitus commutátæ sunt, sed ob apertiórem Evangélii lectiónem et, quod oblivísci non póssumus, ob sollicitatiónem cásuum terréstrium, pópulus christiánus se apéruit ad postulatiónes caritátis magis late recipiéndas. Intelléximus enim quóniam cáritas redúci non potest ad áliquid benignitátis atque intentiónis ánimi vel étiam ad heróicum sacrifícium, semper tamen uníus, pro salúte alió… rum. Intelléximus quóniam cáritas debet animáre invádere ac transformáre vitam totam hóminum et societátis humánæ.

Cáritas fratérna mínime est luxus iis qui tempus pecúniam ac bonum ánimum habent. Neque valet cáritas fratérna ad præstándam vicem órdinis sociális qui sæpe páuperes opprímere conátur.

Sine dúbio necésse erit ut cáritas vicem societátis semper præstet, sed præcípue cáritas est iustítia ómnibus. Sunt verba illa antecessóris nostri, fratris Gillet: « Ita efficiéndum est ut cáritas hodiérna fiat iustítia in pósterum ». Fratres amáre est in primis velle ut admittántur in mundo hoc, in societáte nostra, sicut membra pleni iuris; est velle, felíciter et definíte, ut ipsi se séntiant suscéptos recéptos assúmptos sicut dígnitas humána ipsis tríbuit.

Vera cáritas éxigit ut omni ópere, quoad póssumus ac debémus, contendámus ad societátem iustiórem humaniorémque reddéndam.

Sine dúbio mundus iustíssimus, légibus ductus perféctis, ubi cuiúsquam iura servaréntur, mundus esset frígidus, quasi sine ánima, sine spe, quia sine caritáte. Iustítia sola inhumána esse potest neque ulla lex sociális caritátem gígnere potest.

Evangélii discípulus hoc præcípue sentíre debet. Christiáni vocáti sunt ad ædificándum mundum iu-

stum quo vínculum inter hómines, inter pópulos, inter várias hóminum congregatiónes, vínculum sit caritátis. Hic est Evangélii núntius. Hic est étiam Ioánnis Macías núntius.

Est autem plus quam núntius quia áliud est ac testaméntum quoddam vel sermo póstumus. Est ictus novi visus ad mundum; est ímpetus cordis cuiúsdam; est ferméntum; est fons vitæ saliéntis in sæcula.

Ita núntius Ioánnis Macías sociális tantum non est; in primis enim est theologális. Ante óculos nostros ponens ópera bona a Ioánne Macías facta, Ecclésia, illúminans clarióre lúmine nomen et vultum Dei, christiános omnes invítat ut glorífícent Patrem qui est in cælis. Ioánnes Macías enim caritáte sua erga páuperes manifestávit ætáte sua nomen Dei verum indígenis Américæ qui illud ignorábant: *Deus cáritas est.*

RESPONSORIUM Mt 25, 35-40; Pro 19, 17

℟. Esurívi, et dedístis mihi manducáre; sitívi, et dedístis mihi bíbere; hospes eram, et collegístis me: * Amen dico vobis: Quámdiu fecístis uni ex his frátribus meis mínimis, mihi fecístis.

℣. Fenerátur Dómino, qui miserétur páuperi. * Amen dico vobis.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

O Redemptóris píetas colénda,
quæ Patri exóptans hómines dicári,
Spíritus miro varióque ducis
péctora nutu!

Quos tua lympha facis esse natos
ex Deo vero, nova vis in illis
grátiam crebro dare caritátis
gérmina, Christe.

Tu vocas: currunt álacres vocáti,
ábdicant cunctis, duce te voléntes,
calle regáli crucis, usque solum
quærere Patrem.

Cælitus fervens ita sanctus iste
víribus totis tibi amánter hæsit,
atque virtútum cúpiit tenére
cúlmina læta.

Laus Patri summo, tibi, Christe princeps,
Flámini Sancto párilis resúltet,
parva qui danti bona corde magno
céntupla fertis.

PSALMODIA

Hæ antiphonæ propriæ vel, præsertim in cantu, series antiphonarum quæ ad Vesperas ponuntur adhiberi possunt cum psalmis ferialibus. Sicubi gradu festi celebratur, cum psalmodia de dominica hebd. I dicendæ sunt.

Ant. 1 Post Christum adhæsit grátia: et quod fuit professióne, actióne pótius quam nómine Ioánnes demonstrávit.

Ant. 2 Háuriens in contemplatióne de fóntibus Salvatóris, notas fecit pópulis misericórdias Dómini.

Ant. 3 Indesinénter illi ádfuit Patris cæléstis lárgitas, sub paupertátis régula ad sublevándos páuperes.

LECTIO BREVIS Tob 4, 14b-15a. 16. 18a. 19a

Si servíeris Deo in veritáte, reddétur tibi. Atténde tibi, fili, in ómnibus opéribus tuis et esto sápiens in ómnibus sermónibus tuis et, quod óderis, némini féceris. De pane tuo commúnica esuriénti et de vestiméntis tuis nudis; ex ómnibus, quæcúmque tibi abundáverint, fac eleemósynam, et non invídeat óculus tuus, cum facis eleemósynam. Consílium ab omni

sapiénte inquíre. Omni témpore bénedic Dóminum et póstula ab illo, ut dirigántur viæ tuæ et omnes sémitæ tuæ et consília bene disponántur.

RESPONSORIUM BREVE

℟. In hoc cognóscent omnes, * Quia mei estis discípuli. In hoc.

℣. Si dilectiónem habuéritis ad ínvicem. * Quia mei estis discípuli. Glória Patri. In hoc.

Ad Benedictus, ant. Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum eius in nobis, allelúia.

Vel, præsertim in cantu: Díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris.

Preces congruæ vel de Communi sanctorum virorum.

Oratio

Deus humánæ salútis amátor et restitútor, cuius caritáte impúlsus beátus Ioánnes ómnibus se subiécit; ipso intercedénte, da bonitátis tuæ mystério nos iúgiter inhærére et bona nostra vitámque pro frátribus libénter impéndere. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas.

Sicubi gradu festi celebratur:

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS 1 Petr 1, 22-23

Animas vestras castificántes in obœdiéntia veritátis ad fraternitátis amórem non fictum, ex corde

ínvicem dilígite atténtius, renáti non ex sémine corruptíbili sed incorruptíbili per verbum Dei vivum et pérmanens.

℣. In hoc cognóscimus quóniam dilígimus natos Dei.

℟. Cum Deum dilígimus et mandáta eius fácimus.

Ad Sextam

LECTIO BREVIS Phil 2, 2b-4

Idem sápite, eándem caritátem habéntes, unánimes, idípsum sapiéntes, nihil per contentiónem neque per inánem glóriam, sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrántes, non quæ sua sunt, sínguli considerántes, sed et ea quæ aliórum.

℣. Alter alteríus ónera portáte.

℟. Et sic adimplébitis legem Christi.

Ad Nonam

LECTIO BREVIS 2 Cor 9, 8-9

Potens est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis, ut, in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est: « Dispérsit, dedit paupéribus, iustítia eius manet in ætérnum ».

℣. Dómino Christo servíte.

℟. Et a Dómino accipiétis retributiónem hereditátis.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

HYMNUS

Læti coléntes fámulum
qui te perfécte cóluit,
tibi gratánter, Dómine,
amóris hymnum prómimus.

Christi fidélis ássecla,
ultro relíquit gáudia
cuncta quæ mundus éxhibet
fugáces atque cópias.

Tibi se vovit súbditum
humilitáte obœdiens,
Christi, carnis mundítie,
sponsi æmulátor vírginum.

Tibi placére géstiit
tibíque adhæsit únice,
mentem, verba vel ópera
amóris fovens ígnibus.

His caritátis vínculis
in terris tibi déditus,
liber ad astra iúgiter
triumphatúrus pródiit.

Eius exémplis éxcitos
da gradi nos alácriter
ut te cum Nato et Spíritu
laudémus hymnis cælicis.

PSALMODIA

Ant. 1 Cum facis eleemósynam, nésciat sinístra tua quid fáciat déxtera tua.

Hæ antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus. Sicubi gradu festi celebratur, cum psalmodia de Communi sanctorum virorum (LH IV, 1495).

Ant. 2 Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum quod vobis parátum est ab orígine mundi.

Ant. 3 Quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis, dicit Dóminus.

LECTIO BREVIS 1 Io 3, 16-18

In hoc nóvimus caritátem, quóniam ille pro nobis ánimam suam pósuit; et nos debémus pro frá-

tribus ánimas pónere. Qui habúerit substántiam mundi et víderit fratrem suum necésse habére et cláuserit víscera sua ab eo, quómodo cáritas Dei manet in eo? Filíoli, non diligámus verbo nec lingua sed in ópera et veritáte.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Qui díligit fratrem suum, * In lúmine manet. Qui díligit.

℣. Qui ámbulat in dilectióne servat mandáta. * In lúmine manet. Glória Patri. Qui díligit.

Ad Magnificat, ant. Qui miserétur páuperi, beátus erit; qui credit in Dómino, misericórdiam díligit.

Vel, præsertim in cantu: Qui verbum Dei rétinent corde perfécto et óptimo, fructum áfferunt in patiéntia.

Preces congruæ vel de Communi sanctorum virorum.

Oratio

Cotidiáni labóris pondus fac nos, Dómine, strénua æmulatióne portáre, imitatióne et exémplo beáti Ioánnis, cui tribuísti morum candórem et perféctam caritátem. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas.

Die 20 septembris
B. MARCI DE MODENA, PRESBYTERI

Mutinæ in Italia ortum habuit sæculo XV et Ordinem ingressus est. Vir contemplativus et religiosus conspicuus, ad divinarum litterarum studium ferventi zelo deditus vi cælesti suæ eloquentiæ « magis forti quam ipsa voce » multos ad Deum convertit. Obiit Pisauri [Pesaro] die 21 septembris 1498 et eius cultus a Pio IX die 10 septembris 1857 confirmatus fuit. Eius corpus Mutinam translatum est.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui per Beátum Marcum, permúltos errántes in viam iustítiæ redíre fecísti, concéde ut, eius intercessióne, nos quoque a vítiis absolúti, ad ætérna gáudia pervenire felíciter valeámus. Per Dóminum.

Eodem die 20 septembris

B. FRANCISCI POSADAS, PRESBYTERI

Cordubæ in Hispania anno 1644 ortus ex humili fructuum negotiatore, anno 1663, multis superatis difficultatibus, regulam Ordinis est professus. Sancti Vincentii Ferrer æmulator, factus est apostolus fervens cuius fama totam Hispaniam peragravit. Misericors erga pauperes, ægrotos et captivos, quibus donabat omnia quæ pro se habebat, humiliter reprehensiones recepit et ludibria quibus percussus fuit. Mortuus est die 20 septembris 1713 et Pius VII die 20 septembris 1818 inter beatos eum rettulit.

De communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis vel pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Francíscum presbýterum, supérnæ caritátis dulcédine perfúsum, verbi tui præcónem exímium effecísti, eius intercessióne concéde ut in tua semper dilectióne vivámus. Per Dóminum.

Die 24 septembris

B. DALMATII MONER, PRESBYTERI

Anno 1291 in Villa S. Columbæ de Farnesiis [S. Coloma de Farnés] in Hispania ortus, Gerundæ habitum Ordinis suscepit anno 1314. Solitudinis et silentii amore conspicuus, « frater qui loquitur cum Angelo » a coævis ideo nuncupatus est. Doctor, prædicator, novitiorum institutioni præfectus, propter magnam austeritatem, propter amorem solitudinis et oratio-

nis, propter vim eius intercessionis adhuc vivens famam habuit sanctitatis inter fratres et fideles. Solitudinem petens apud specum a se in viridario conventus constructum, quem pro Missæ celebratione ac conventualibus exercitiis derelinquebat, singulare anachoresis exemplum in se præbuit. Obiit anno 1341 et eius cultus ab Innocentio XIII die 13 augusti 1721 confirmatus fuit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui húmilem fámulum tuum Dalmátium oratiónis et prædicatiónis grátia afflúere voluísti tibíque, in solitúdine, sancta conversatióne deservíre, fac nos tibi perseveránter inhærére, ut in ómnibus vitæ adiúnctis te conspícere et sequi valeámus. Per Dóminum.

Die 28 septembris

B. LAURENTII DE RIPAFRATTA, PRESBYTERI

In oppido Ripafratta prope Pisas anno 1373 ortus, beato Ioanne Dominici hortante Ordinem est amplexus. Cortonæ, ubi novitiatum peregit, mansit usque ad annum 1401. Degit postea in conventu Fabrianensi prior et lector, sed anno 1425 inter religiosos conventus Pistoriensis adnumeratur. Hoc in conventu permansit usque ad mortem, animarum salutis zelo flagrans, regularis observantiæ instaurandæ et salutis civium procurandæ meritus. Mortuus est die 27 septembris 1456 et eius cultus confirmatus fuit a Pio IX die 4 aprilis 1851.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Laurémtium, reguláris disciplínæ stúdio et caritátis ardóre abundáre fecísti, eius nobis intercessióne concéde ut, perfectióra semper exsequéntes, ætérna gáudia consequámur. Per Dóminum.

OCTOBER

Die 3 octobris

B. DOMINICI SPADAFORA, PRESBYTERI

Circa medietatem sæculi XV Randacii [Randazzo] in Sicilia natus, magnus fuit apostolus Dei verbi in sua insula et in tota Italia. In Dominicæ Passionis contemplatione assiduus, caritate et humilitate prænitens, multos ad Deum convertit et ad sui sequelam in via Dominici sectanda attraxit. Mortuus est Monte Cerignone, in cœnobio quod ipse extruxerat, die 21 decembris 1521. Cultus illi præstitus a Benedicto XV ratificatus fuit die 12 ianuarii 1921. Eius memoria hodierna die celebratur, utpote secundæ exuviarum translationis (1677) anniversaria.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui in Beáto Domínico munus apostólicum assíduo oratiónis stúdio et regulári observántia mirabíliter fecundásti, concéde propítius ut, eius vestígia prosequéntes, úberes salútis fructus percípere mereámur. Per Dóminum.

Die 4 octobris

S. P. FRANCISCI ASSISIENSIS, DIACONI

Festum

Hodierna festivitas in liturgia Ordinis nostri singulare exprimit fraternitatis vinculum inter Fratres Minores et Prædicatores, ob utriusque Ordinis Fundatorum affinitatem in eorum historica missione pro Ecclesiæ ædificatione. Ipsi, ut pulchre meminit sancta Catharina Senensis, « vere fuerunt duæ columnæ in Ecclesia sancta: Franciscus cum paupertate,

quæ sibi principaliter fuit propria, Dominicus vero cum scientia » (*Dialogo*, 158). Eandem sequentes viam, fideles docemur « discipulos fieri tam humilium Magistrorum » (Celano, *Vita 2ª*, 149).

Franciscus, sancti Patris Dominici coævus (1182-1226), Christum pauperem admirabili simplicitate et crucifixum singulari caritate prosequens, ipsi conformis fieri studuit. Secundum Evangelii formam vivens multos ad se fratres et sorores attraxit, quos ad amorem paupertatis, Creatoris laudem et ad Ecclesiæ obœdientiam lætanter est hortatus. Vividis passionis Domini stigmatibus insignitus (1224) ad « sororem mortem » lætus adivit die 3 octobris 1226. Gregorius IX ipsum inter sanctos retulit anno 1228.

De Communi sanctorum virorum: pro religiosis (LH IV, 1523), vel ut in Officio Proprio O.F.M. Conventualium (Romæ 1974, pp. 228-243) cum elementis quæ sequuntur.

Ad Invitatorium

Ant. Christum Regem exaltántem húmiles, veníte, adorémus.

Vel, præsertim in cantu: Regi, quæ fecit, ópera Christo confiteántur: * Cuius in sancto vúlnera Francísco renovántur.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Francíscus florens grátia
forma factus humílium,
lætus potítur glória
sortis consors sublímium.

Hic carnis supercílium
legi subiécit spíritus,
mundum vicit et vítium,
se victo, victor ínclitus.

In paupertátis prædio
Minórum plantans víneam
osténdit magistério
vitæ vivéndi líneam.

Ad ætérnas divítias
turbam alléxit páuperum
quos ad cæli delícias
lingua vocávit óperum.

Vita, doctrína splénduit
respléndet et miráculis;
sic præfuit, quod prófuit
viva lucérna pópulis.

Summi Regis palátio
Pater, loca discípulos,
salútis privilégio
Christi præmúni fámulos.

Christum rogámus et Patrem
Christi Patrísque Spíritum
unum potens per ómnia
fove precántes, Trínitas.

PSALMODIA

Ant. 1 Oblivísci me fecit Deus domus patris mei, et créscere me fecit in terra paupertátis meæ.

Ps 1: De duabus hominum viis (LH IV, 499).

Ant. 2 Maióres divítias æstimávit thesáuris impropérium crucis Christi.

Ps 8: Maiestas Domini et dignitas hominis (LH IV, 1237).

Ant. 3 Mórtuus sum mundo, et vita mea abscóndita est cum Christo in Deo.

Ps 15: Dominus pars hereditatis meæ (LH IV, 1238).

In cantu ad Officium lectionis vel ad Laudes vel ad Vesperas.

Ant. 1 Sanctus Francíscus, práeviis oratiónum stúdiis, quid fáciat instrúctus, non sìbi soli vívere, sed áliis profícere vult Dei zelo ductus.

Ant. 2 Doctus doctríce grátia, doctus experiéntia, quæ sunt perfectiónis: hæc fratres docet ómnia, tam factis quam frequéntia mellíflui sermónis.

Ant. 3 Laudans laudáre mónuit, laus illi semper ádfuit, laus inquam Salvatóris: invítat aves, béstias, et creatúras álias, ad laudem Conditóris.

℣. Signásti, Dómine, servum tuum Francíscum.
℟. Signis redemptiónis nostræ.

LECTIO PRIOR

De libro Sirácidæ 50, 1. 4-11. 13-14. 22-25

Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei

Ecce qui in vita sua suffúlsit domum et in diébus suis corroborávit templum.

Qui curávit gentem suam a latróne et firmávit eam ab obsidióne. Quam gloriósus appáruit, cum prospíceret e tabernáculo in egréssu domus velaménti! Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus festi et quasi sol refúlgens super templum Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ et quasi flos rosárum in diébus vernis et quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi flos Líbani in diébus æstátis; quasi ignis effúlgens et tus ardens in igne, quasi vas auri sólidum ornátum omni lápide pretióso, quasi olíva púllulans frúctibus et cupréssus in nubes se extóllens, in accipiéndo ipsam stolam glóriæ et vestíri eum in consummatiónem magnificéntiæ.

Cum accíperet partes de manu sacerdótum, et ipse stans iuxta aram, et circa illum coróna fratrum,

quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ omnes fílii Aaron in glória sua.

Tunc descéndens manus suas éxtulit in omnem congregatiónem filiórum Israel, dare benedictiónem Dómini in lábiis suis, et in nómine ipsíus gloriári; et iteravérunt adoratiónem suam, ut accíperent benedictiónem Altíssimi.

Et nunc benedícite Deum ómnium, qui magna facit in omni terra, exáltans dies nostros a ventre matris nostræ et fáciens nobíscum secúndum suam misericórdiam. Det nobis iucunditátem cordis et fíeri pacem in diébus nostris in Israel per dies sempitérnos.

RESPONSORIUM BREVE 1 Cor 2, 4.2

℟. Sermo meus et prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, * Sed in ostensióne spíritus et virtútis.

℣. Non enim iudicávi scire me áliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifíxum. * Sed in ostensióne spíritus et virtútis.

LECTIO ALTERA [***]

Ex Epístolis beáti Humbérti de Romans presbýteri ad Ordinem e Capítulis generálibus missis

(Epist. IV: Opera de vita regulari, ed. J.-J. Berthier, vol. II, Romæ 1889, pp. 494-500)

Salvator sæculi Minores et Prædicatores in ministerium salutis suscitavit

Caríssimis et dilectíssimis in Iesu Christo Frátribus Minóribus et Prædicatóribus per univérsum orbem diffúsis, frater Ioánnes eorúmdem Fratrum Minórum generális Miníster, et frater Humbértus eorúmdem Fratrum Prædicatórum servus inútilis, salútem et in sancta vocatióne digne et laudabíliter ambuláre.

Salvátor sæculi, qui amat ánimas, et néminem vult períre, post primam humáni géneris ruínam, ad eiúsdem reparatiónem multímoda remédia per minístros vários generatiónibus síngulis ádhibens incessánter, novíssimis diébus istis in fine sæculórum, duos nostros Ordines in ministérium salútis, prout indubitánter créditur, suscitávit, vocans ad eos viros non paucos, et ditans eos donis cæléstibus, per quæ non solum suam, sed aliórum efficáciter possent operári salútem verbo páriter et exémplo.

Hi sunt, ut ad glóriam Dei loquámur, non nostram, duo magna luminária, quæ lúmine cælésti sedéntes in ténebris et umbra mortis ubíque terrárum illúminant et illústrant.

Hi sunt duæ tubæ argénteæ veri Móysis, Christi Dómini Dei nostri, quorum ministério multitúdinem innumerabílium populórum iam ad suum servítium convocávit.

Hi sunt duo Chérubim pleni sciéntia, mútuo se respiciéntes dum idem séntiunt, et alas suas extendéntes ad propitiatórium, dum paráti reperiúntur secúndum obœdiéntiæ volátum super omnem pópulum disseminare sciéntiam salutárem.

Hi sunt duo úbera Spónsæ, ex quibus párvuli in Christo lac sugunt, quo nutriántur, et augménta recípiant in salútem.

Hi sunt duo fílii ólei splendóris, qui assístunt Dominatóri univérsæ terræ, prompti ad eius impérium, quocúmque volúntas ipsíus eos dúxerit, suas legatiónes implére.

Hi sunt duo testes Christi, qui saccis amícti iam prædicant et testimónium pérhibent veritáti.

Hi sunt illæ duæ stellæ lúcidæ, quæ, secúndum Sibyllínum vaticínium, habéntes spécies quáttuor animálium in diébus novíssimis, nomen Agni vocíferant in directióne humilitátis et voluntáriæ paupertátis.

Pensáte, dilectíssimi, pensáte quantum debet inter vos dilectiónis sincéritas abundáre, quos eódem témpore génuit Mater Ecclésia; quos ad idem opus, salútem scílicet animárum commúniter operándam, ætérna Cáritas ordinávit; quos professióne in módico differéntes sic assímilant, ut tamquam simília animália nos mútuo diligámus!

Dénique quómodo veri discípuli Christi cognoscémur, nisi dilectiónem habuérimus ad ínvicem evidéntem?

Quómodo caritátem illam mútuam quæ ante ómnia ab ómnibus est habénda prædicatiónibus nostris aliórum córdibus inserémus, si læsa vel ténuis reperiátur in nobis?

Quómodo stábimus contra tot persecutiónes imminéntes, si inter nos perturbatióne áliqua dividámur?

O quantum exémplum mútuæ caritátis et pacis reliquérunt nobis patres nostri beátus Francíscus et beátus Domínicus, cæteríque fratres nostri primitívi, qui sic in vita sua se ténere dilexérunt, tamque sincére caritátis indícia sibimet ostendérunt viděndo se sicut ángelos Dei, suscipiéndo se ínvicem sicut Christum, honóre seípsos præveniéndo, profectui mútuo congaudéndo, altérnis se præcóniis extolléndo, utilitátes mútuas promovéndo, a scándalis et turbatiónibus altérutris cavéndo cum summa diligéntia et prudéntia!

Responsorium · Cf. Ps 116, 1

℟. Seráphicus Pater Francíscus et apostólicus Pater Domínicus, * Ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Laudáte Dóminum omnes gentes, laudáte eum omnes pópuli. * Ipsi nos docuérunt.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Mihi absit gloriári, ut in Appendice, 661.

Vel alia:

E Diálogo sanctæ Catharínæ Senénsis vírginis

(Cap. 158: trad. lat. Ms. T. II. 4, Bibliothecæ communalis Senensis)

Dominicus et Franciscus duæ columnæ in Ecclesia sancta

Sancta relígio est a Spíritu Sancto facta, pósita tamquam navícula ut recípiat ánimas voléntes ad hanc perfectiónem cúrrere et illas ad portum salútis addúcere. Huius navículæ patrónus Spíritus Sanctus est qui numquam in se déficit defáctu alicúius súbditi religiósi; qui suum transgrederétur órdinem, non potest hanc navículam offéndere, immo seípsum offéndit. Verum tamen est quod defáctu illíus qui temónem tenet navículæ illam facit ire ad undas. Et hi sunt pravi et miserábiles pastóres, prælláti pósiti a patróno huius navículæ. Ipsa quidem est tantæ dilectiónis in se ipsa quod tua non posset lingua narráre.

In illa étiam invéniunt divítias sanctárum ordinatiónum cum tanto positárum Ordine et cum tanto lúmine ab illis qui facti erant Spíritus Sancti templum.

Aspice Benedíctum sanctum cum quanto órdine suam ordinávit navículam.

Aspice beátum Francíscum cum quanta perfectióne et paupertátis odóre, cum margarítis virtútum ipse sui Ordinis navículam ordinávit, illos dírigens in viam altæ perfectiónis, et ipse fuit primus qui illam observávit, illis veram sanctámque paupertátem tríbuens pro Sponsa quam súmpserat pro se ipso. Vilitátem ampléctens, síbimet dísplicens, non cupiébat extra voluntátem meam alícui creatúræ placére, immo cupiébat vilipéndi in mundo, máce-rans corpus suum et voluntátem própriam occídens,

seque véstiens oppróbria, pœnas et vitupéria amóre húmilis Agni cum quo fixus erat et clavátus super Cruce per dilectiónis afféctum, ádeo quod ex grátia singulári in córpore suo apparuérunt meæ veritátis vúlnera, ostendéndo in vase córporis id quod erat in ánimæ suæ afféctu. Itaque ipse illis viam fecit.

Sed tu mihi dices: « Non sunt áliæ religiónes fundátæ in hoc ipso? ». Respóndeo quod sic, sed in quálibet non est principále, quamvis omnes sint in hoc fundátæ. Sed cóntigit tamquam de virtútibus: omnes enim virtútes a caritáte vitam habent, et nihilóminus ut in áliis locis dixi, cui est própria una et cui ália. Et tamen omnes in caritáte manent.

Simíliter isti Francísco paupérculo fuit própria vera paupértas, suum princípium fáciens suæ navículæ per amóris afféctum in ipsa paupertáte cum Ordine multum stricto pro gente perfécta et non commúni, pro paucis et bonis. Paucos dico, quia non sunt multi qui hanc éligant paupertátem, sed eórum defféctibus multiplicavérunt in géntibus et in virtútibus defecérunt, non tamen defféctu navículæ sed propter súbditos inobœdiéntes ac pravos rectóres.

Et si tu áspicis navículam Patris tui Domínici fílii mei dilécti, ipse perfécto illam órdine ordinávit, et vóluit quod solum honórem meum inténderent et animárum salútem cum sciéntiæ lúmine. Et super hoc lúmine suum vóluit princípium fácere, non tamen privátus erat paupertáte vera et voluntária, immo ipsam hábuit, et in signum quod ipsam habéret, et sibi contrárium displicébat, relíquit fíliis suis ex testaménto suo pro hereditáte maledictiónem suam et meam si ipsi tenent vel póssident ullam possessiónem in particulári vel in generáli, in signum quod elégerat pro eius sponsa paupertátis regínam.

Sed pro magis próprio suo obiécto assúmpsit sciéntiæ lumen, pro extirpándos erróres qui illo insurrexérunt témpore. Ipse quidem assúmpsit offícium mei Unigéniti Fílii, ita quod recte in mundo apó-

stolus videbátur, cum tanta veritáte et lúmine verbum meum seminábat, ténebras élevans et donans lumen. Fuit enim unum lumen quod mundo dedi mediánte María, missum in córpore mýstico sanctæ Ecclésiæ tamquam hæresum extirpatórem.

Audíte cultóres quos hic pater misit in víneam ad coléndum, spinas vitiórum extirpándo et virtútes plantándo! Vere Domínicus et Francíscus duæ fuérunt colúmnæ in Ecclésia sancta, Francíscus cum paupertáte quæ sibi principáliter fuit própria, ut est dictum, Domínicus vero cum sciéntia.

RESPONSORIUM Ier 11, 4; Mt 11, 29; 1 Cor 11, 1

℟. Audíte vocem meam, et fácite ómnia quæ ego præcípio. * Et inveniétis réquiem animábus vestris.

℣. Imitatóres mei estóte sicut et ego Christi. * Et inveniétis.

Vel alia:

E Lítteris a sancto Francísco Assisiénsi ómnibus fidélibus scriptis

(Opuscula, Ed. Quaracchi 1949, pp. 87-94)

Debemus esse simplices, humiles et puri

[LH IV 1188]

HYMNUS Te Deum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Fratrum Minórum cónditor,
Francísce, da nos áureis
quas tu dedísti légibus
fidos alúmnos óbsequi.

Discámus a te páuperem
arctámque vitam dúcere,
et esse mundi amántibus
qua páuperes, despéctui.

Igníta Christi cáritas
qua tu vel hoc in sæculo
totus flagrábas íntima
et nostra adúrat péctora.

Inflícta Christo vúlnera
quæ tu refers in córpore
da cogitátu férvido
iugíque nos perpéndere.

Fac prosequámur ómnibus
fratrum salútem víribus,
nec ímprobo pertérriti
labóre nec periculis.

Præsta beáta Trínitas
ut quæ Parens sanctíssimus
præcépta nobis trádidit
hæc exsequámur séduli.

PSALMODIA

Ant. 1 Invéntus est perféctus et iustus, et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Psalmi et canticum de dominica hebd. I.

Ant. 2 Laudes Dei in ore eius semper: invítat astra, spíritus, aves et creatúras álias ad laudem Conditóris.

Ant. 3 Pósuit Dóminus húmilem in sublíme, et exaltávit usque ad términos terræ.

LECTIO BREVIS Gal 1, 15-16.24a

Plácuit Deo, qui me segregávit de útero matris meæ et vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in géntibus. Et in me glorificábant Deum.

Responsorium breve

℟. Cor meum et caro mea * Exsultavérunt in Deum vivum. Cor meum.

℣. Concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini. * Exsultavérunt. Glória Patri. Cor meum.

Ad Benedictus, ant. Communicávit Christi passiónibus gaudens, et nunc in revelatióne glóriæ eius gaudet exsúltans.

Vel, præsertim in cantu: Pacem, salútem núntiat in spíritus virtúte, veræque paci sóciat longínquos a salúte.

Preces

Christum Dóminum qui Ecclésiam sánguine suo ædificávit, et nos ad Francísci sequélam vocáre dignátus est, humíliter deprecántes, dicámus:
Serva nos, Dómine, in tuo sancto servítio.

Qui paupéribus evangelizáre venísti,
doce nos regnum tuum verbo et ópere late exténdere,
— et efficáciter inter hómines instauráre.

Qui lumen es géntium et magíster sanctitátis,
præsta ut rectæ fídei fírmiter adhæreámus,
— et nomen tuum usque ad términos terræ annuntiémus.

Qui discípulis tuis præcéptum caritátis dedísti potíssimum custodiéndum,
— nobis concéde ut ómnibus benefácere studeámus.

Ætérni Patris Sapiéntia, illúmina intellegéntias nostras,
— ut veritátem faciéntes in caritáte,
vera et sancta semper cogitémus.

Christe Salvátor, qui non es dedignátus mánibus operári, opus mánuum nostrárum dírige,
— ut omnes vidéntes ópera nostra bona Deum Patrem glorífícent.

[Meménto nostri, Dómine, cum véneris in regnum tuum, et doce nos oráre:]

Pater noster, etc.

Oratio

Ecclésiam tuam, quǽsumus, Dómine, grátia cæléstis amplíficet, quam beáti Patris nostri Francísci illumináre voluísti gloriósis méritis et exémplis. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas.

Ad Horam mediam

Psalmi de feria currente, vel psalmodia complementaris.

Ad Tertiam

Ant. Omnium me servum feci, ut plures Christo Dómino lucrifácerem.

LECTIO BREVIS Phil 3, 7-8

Quæ mihi erant lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriméntum. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntiam sciéntiæ Christi Iesu Dómini mei, propter quem ómnia detriméntum feci et árbitror ut stércora, ut Christum lucri fáciam.

℣. Nulla creatúra pótuit me separáre a caritáte Dei.
℟. Quæ est in Christo Iesu.

Ad Sextam

Ant. Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum cælórum.

LECTIO BREVIS Phil 4, 4-7

Gaudéte in Dómino semper. Iterum dico: Gaudéte! Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus. Dóminus prope est. Nihil sollíciti sitis, sed in ómnibus oratióne et obsecratióne cum gratiárum actióne petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiet corda vestra et intellegéntias vestras in Christo Iesu.

℣. Ego autem mendícus sum et pauper.
℟. Dóminus sollícitus est mei.

Ad Nonam

Ant. Comprehénsus sum a Christo Iesu, ad cognoscéndum illum, et societátem passiónum illíus, configurátus morti eius.

LECTIO BREVIS Gal 2, 19b-20

Christo confíxus sum cruci: vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus; quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me et trádidit seípsum pro me.

℣. Complantáti similitúdini mortis Christi.
℟. Simul et resurrectiónis érimus.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

HYMNUS

Francíscus florens grátia
forma factus humílium
lætus potítur glória
sortis consors cæléstium.

Hic simplex, rectus, húmilis
pacis cultor amábilis
lumen in vase fíctili
ardens lucens in frágili.

Vili conténtus tégmine
sancto caléscit Flámine
vincit ardóre frígora
Christi dum gestat stígmata.

Pauper, nudus egréditur
cælum dives ingréditur
spargit virtútum múnera
ægris proflígat vúlnera.

Insígnis Pater páuperum
nos páuperes fac spíritu
consórtes redde súperum
eréptos ab intéritu.

Patri, Nato, Paráclito
decus, honor et glória
sint huius Sancti mérito
nobis ætérna gáudia.

Psalmodia

Ant. 1 Iudicávi me nihil scire nisi Iesum Christum et hunc crucifíxum.

Psalmi de Communi sanctorum virorum (LH IV, 1496).

Ant. 2 Configurátus morti eius ad cognoscéndum illum et virtútem resurrectiónis eius.

Ant. 3 Erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam, et Deus tuus in glóriam tuam.

Lectio brevis Gal 6, 14. 17b-18

Mihi absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. Ego enim stígmata Iesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Iesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen.

Responsorium breve

℟. Magna est, Dómine, glória eius * In salutári tuo. Magna est.

℣. Pones eum in benedictiónem in sæculum sæculi. * In salutári. Glória Patri. Magna est.

Ad Magnificat, ant. Oculus Dei respéxit illum in bono et eréxit eum ab humilitáte ipsíus, et exaltávit caput eius: et miráti sunt in illo multi et laudavérunt Dóminum.

Vel, præsertim in cantu: Vivo autem ego iam non ego, vivit vero in me Christus: ego enim stígmata Dómini Iesu in córpore meo porto.

Preces

Deum Patrem, fontem omnis sanctitátis deprecémur, ut per exémpla et intercessiónem beáti Patris Francísci ad vitam nos perdúcat sanctam, et dicámus: *Te rogámus, audi nos.*

Pater sancte, qui servum tuum Francíscum sectatórem Fílii tui perféctum effecísti,
— fac ut nos quoque eius vestígiis inhæréntes, Christi Evangélium fidéliter observémus.

Pater sancte, dírige pedes nostros in viam pacis quam Pater noster Francíscus nobis demonstrávit,
— ut in obœdiéntia, sine próprio, et in castitáte, sincéro corde vivámus.

Pater sancte, qui supérbos dispérdis, et húmiles exáltas,
— concéde ut Patrem seráphicum in humilitáte sectémur.

Pater sancte, qui servum tuum Francíscum passiónis Fílii tui sacris stigmátibus insignísti,
— doce nos in cruce Dómini nostri Iesu Christi semper gloriári.

Pater sancte, qui précibus beáti Patris Francísci
peccatóribus véniam contulísti,
— frátribus defúnctis lumen vultus tui
benígnus osténde.

[Qui uníus Patris fílii sumus et unánimes habitámus in domo, cum Iesu Christo, primogénito eius, una voce dicámus:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, qui seráphico Patri Francísco, paupertáte et humilitáte Christo configurári tribuísti, concéde ut, per illíus sémitas gradiéntes, Fílium tuum sequi, et tibi coniúngi læta valeámus caritáte. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas.

Die 5 octobris

B. RAIMUNDI A CAPUA, PRESBYTERI

Memoria ad libitum

E nobili familia De Vineis, Capuæ natus est anno circiter 1330. Bononiam missus studiorum causa, ibi « Dominico miraculose vocante » Ordinem ingressus est anno circiter 1350. Vigesimus tertius Magister Ordinis (anno 1380), orationis studio et evangelicæ conversationis exemplo reformationem Ordinis strenue promovit, adhortante S. Catharina Senensi, cuius prudens animi moderator fuit et biographus. Magister ipsi fuit eximius sed ipsa illi suasit ut operaretur ad servitium Ecclesiæ et Pontificis Romani tunc Avenione commorantis. Nurembergæ [Nürnberg] sancte obiit die 5 octobris 1399 cum visitaret conventus Germaniæ. A Leone XIII die 15 maii 1899 cultus eius confirmatus fuit. Eius corpus Neapolim translatum est.

De Communi pastorum (LH IV, 1421), vel sanctorum virorum: pro religiosis (1522), præter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA [**]

E Lítteris beáti Raimúndi a Cápua presbýteri

(De exhortatione patris magistri Raymundi consolatoria prioribus, patribus et fratribus observantiæ: Opuscula et Litteræ, Romæ 1899, pp. 112-113).

Eritis semen bonum,
peculiaris populus beati Dominici

Fratres præcaríssimi in Dómino Iesu ac dilécti, post cordiáles in Christo benedictiónes páriter et salútes.

Grátias ago Deo quod vobis inspirávit Spíritum Sanctum suum quo ducti estis ad sanctam observántiam regulárem, et ad imitándum sanctos patres prædecessóres nostros qui post beátum Domínicum via rectíssima incessérunt, propter quod manénte Dei grátia éritis semen bonum, gens elécta, peculiáris pópulus beáti Domínici, efficieminíque lux aliórum et sal.

Obsecro autem vos, fratres, per víscera caritátis Dómini nostri Iesu Christi, ut non terreámini a quibuscúmque adversántibus seu comminántibus, nec moveámini propter quodcúmque pravum consílium a sancto ópere et a sancta vita quam incepístis.

Céterum, fratres mei, nolo quod propter hoc quomodocúmque superbiátis aut álios despiciátis áliter vivéntes. Potens est enim Deus et illis dare Spíritum Sanctum suum. Insuper fórsitan gratióres illi sunt Deo quam vos. Scimus enim *quod corporális exercitátio ad módicum quidem útilis est, pietas valet ad ómnia.* Et si illi cum cárnibus et vino plus abúndant in pietáte, melióres útique coram Deo sunt vobis, quia *Regnum Dei non est esca et potus sed diléctio Dei et próximi.*

Non ergo volo ut reputétis vos melióres céteris, sed cunctis inferióres et qui tamquam débiles et in-

fírmi indigétis illis auxíliis quibus non índigent álii. Nam si ego, cum cárnibus et vino, díligo recto et toto corde Deum meum et próximum meum, tu autem sine his aliméntis spernis próximum tuum, non póterit adæquári abstinéntia tua comestióni meæ coram Altíssimo.

Mementóte apostólicæ doctrínæ: *Si quis*, inquit, *exístimat áliquid esse cum nihil sit, ipse se sedúcit*. Cavéte, fratres mei, a bélua illa elatiónis et própriæ reputatiónis, quæ omne opus bonum déstruit et enérvat. Et ut cor meum vobis apériam, nihil vobis tam tímeo quam pestem seu béstiam illam. Nihil tam a vobis auférri desídero. Et vos quoque simíliter timeátis et super hoc exorétis Deum ut det vobis spíritum humilitátis. Sed et pro me servo vestro qui, infírmus et inérmis in campo magni certáminis pósitus sum, súpplico ut frequénter et fervénter orétis ut det mihi Spíritum Sanctum suum quo solo vivam et váleam pro suo nómine triumpháre.

RESPONSORIUM 1 Petr 1, 13.15; Lev 11, 44

℟. Succíncti lumbos mentis vestræ, secúndum eum, qui vocávit vos, Sanctum; * Et ipsi in omni conversatióne sancti sitis.

℣. Ego enim sum Dóminus Deus vester: sancti estóte, quia ego Sanctus sum. * Et ipsi.

Vel alia:

Ex Epístolis sanctæ Catharínæ Senénsis vírginis

(Epist. 102 ad fratrem Raymundum a Capua O.P.: ed. P. Misciattelli, vol. II, Firenze 1970, pp. 127-130)

Sponsus verus Veritatis

Dilectíssime Pater in Christo dulci Iesu. Ego Catharína, minístra et serva servórum Iesu Christi, scribo tibi in pretióso sánguine eius, te vidére desíderans sponsum verum Veritátis eiúsque sectatórem amatorémque. Sed non vídeo quómodo veritátem

sápere et cum illa habitáre possímus si nosmetípsos non cognóscimus. Nosmetípsos enim cognoscéntes, veráciter nos non esse cognóscimus et a Deo natúram accepísse intellégimus, vidéntes quóniam ille ad imáginem atque similitúdinem suam nos fecit. Nosmetípsos cognoscéntes invenímus étiam recreatiónem quam Deus fecit nos récreans ad grátiam in sánguine Unigéniti Fílii sui; sanguis hic nobis Patris veritátem patefácit. Et hæc est: quóniam ille nos creávit ad laudem et glóriam nóminis sui, ad participándam ætérnam pulchritúdinem suam, ut in ipso sanctificarémur. Quis autem osténdit nobis quóniam hoc verum est? Sanguis Agni immaculáti.

Ubinam hunc sánguinem invenímus? in cognoscéndo nos. Nos illa fúimus terra ubi vexíllum crucis confíxum fuit, nos instar vásculi stétimus ad accipiéndum sánguinem Agni qui per crucem descendébat. Quare nos terra illa fúimus? Quia terra non sufficiébat ad crucem eréctam sustinéndam, immo tantam recusavísset iniustítiam, neque clavus sufficiébat ad illum confíxum atque clavátum constringéndum nisi eum tenuísset ineffábilis salútis nostræ diléctio.

Exæstuans cáritas erga Patris honórem hominúmque salútem ténuit eum. Nos ígitur illa terra fúimus qui crucem eréctam sustinúimus, et vas sumus qui sánguinem accépimus.

Qui cognóscet et sponsus erit Veritátis, in sánguine invéniet grátiam, divítias ac vitam grátiæ: coopértam invéniet nuditátem suam, seque indútum veste nuptiáli ignis caritátis et hic ignis commíxtus fuit cum sánguine qui amóre effúsus est ac Deitáte coniúnctus.

In sánguine pascétur et alétur misericórdia; in sánguine calíginem solvit et luce perfrúitur; quia in sánguine nébulam perdit amóris sui sensitívi ac timórem servílem, qui dat pœnam. Qui amátor veri-

tátis non inveniétur, eam non cognóscet in cognoscéndo se ac sánguinem.

Necésse ígitur est Veritátem cognóscas qui Veritátis sponsus esse velis. Ubinam? In domo cognosciménti tui ipsíus, cognóscens te a Deo grátia non débito ómnia habére, in te ipso étiam recreatiónem cognóscere quam dedit, hoc est quod ad grátiam recreátus es in sánguine Agni, et tibi lavári et voluntátem submérgere atque occídere. Alio modo sponsus non esses fidélis Veritátis, sed infidélis. Atqui sponsum verum Veritátis te vidére dixi quóniam cupiébam.

Pérmane in sancta ac dulci Dei dilectióne. Iesu dulcis, Iesu amor.

RESPONSORIUM 1 Petr 2, 21-23

℟. Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia eius: * Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore eius.
℣. Qui, cum maledicerétur, non maledicébat, cum paterétur, non comminabátur. * Qui peccátum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui iuxta cor meum et ánimam meam fáciet, dicit Dóminus.

Vel, præsertim in cantu: Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, et in præcéptis suis, et fáciat pacem.

Oratio

Deus qui Beátum Raimúndum ad tuum regnum perquiréndum per caritátis perféctæ prosecutiónem vocásti, concéde ut, eius intercessióne roboráti, in dilectiónis via, spíritu gaudéntes, progrediámur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. In pace et in æquitáte ambulávit mecum, et multos avértit ab iniquitáte.

Vel, præsertim in cantu: Obsérva, fili, præcépta patris tui, et ne dimíttas legem matris tuæ, sed liga eam in corde iúgiter.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 6 octobris

B. BARTHOLOMÆI LONGO, SODALIS LAICI

Latiani in Apulia [Italia] anno 1841 natus, lauream in iure civili Neapoli consecutus est ubi, spiriticis sessionibus cum interesset, catholicam fidem penitus remisit. Fratris Alberti Radente O.P. opera in divinam gratiam restitutus, regulam Tertii Ordinis nostri amplexus est (1871) præsago cum nomine fratris Rosarii. Qua mariali devotione totam vitam informavit in suam aliorumque sanctificationem. Sanctuarium eiusdem tituli in valle Pompeiana erexit (1876), Sorores dominicanas a Rosario nuncupatas instituit (1897), duo orphanotrophia et tipographicæ artis officinam condidit. Plura quoque scripta ipsemet edidit in B.M.V. et Ordinis Prædicatorum laudem, christianæ fidei necnon socialis iustitiæ incrementum. Uxorem sibi casto fœdere adiunxit, Mariam Annam Farnararo viduam de Fusco, de tot operibus bene meritam una cum multis utriusque cleri et laicatus benefactoribus

Die 5 octobris 1926 in pace Domini quievit et a Ioanne Paulo II anno 1980 inter Beatos relatus est. Cuius sepulchrum sub eodem templo Pompeiano iacet.

De Communi sanctorum virorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Omnípotens, miséricors Deus, qui in Beáto Bartholomæo Rosárii Beátæ Maríæ Vírginis præcóne ac puerórum egéntium orphanorúmque patre mirábile pietátis et caritátis exémplum præbuísti, concéde nobis ut, eius intercessióne, Christum Fílium tuum in frátribus inspícere et amáre valeámus. Per Dóminum.

Die 7 octobris

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS A ROSARIO

Festum

Hodierna festivitate Ordo noster cum universa Ecclesia celebrat *mirabilia Dei* erga genus humanum, devota contemplatione mysteriorum vitæ, passionis et resurrectionis Salvatoris nostri Iesu, cum Maria matre eius quæ est « exemplar meditationis verborum Christi et docilitatis in propria missione » (LCO, n. 67, § II). Tanta beneficia, harmonice in unum collecta, per illud peculiare precandi genus recoluntur quod « Rosarii » titulo in usum venit, quodque in ambitu vitæ et apostolatus ipsius Ordinis nostri initia et incrementa sumpsisse noscitur.

Beatus Humbertus de Romans († 1277) pro novitiis Ordinis « De modo orandi » agens (*Opera* II, 543) hæc singulariter tradit: « Primo novitius post Matutinas Beatæ Virginis cogitet et revolvat cum ardore beneficia Dei: scilicet Incarnationis, Nativitatis, Passionis et huiusmodi generalia; ... et postea dicat *Pater noster* et *Ave Maria*. ... Post Completorium recolligat beneficia Dei, eo modo quo scripta sunt in principio istius " Modi orandi " ...; et poterit etiam addere *Salve Regina*, etc. cum aliis antiphonis et orationibus specialibus de Beata Virgine ».

Inter fratres vero, qui magnam partem circa Rosarium habuerunt, præ aliis nominandus venit beatus Alanus de La Roche (1428-1478) in illius structura definienda atque in eiusdem diffusione promovenda. Item Confraternitates a fratribus nostris ubique propagatæ, inde ab illa prima Douai ab ipso Alano fundata (a. 1470) et ab alia percelebri a Iacobo Sprenger, O.P. Coloniæ erecta cum Apostolicæ Sedis approbatione (a. 1476). Item S. Pius V, Bulla *Consueverunt Romani Pontifices* (17 septembris 1569) definitivam Rosarii formam statuit, atque nova Bulla *Salvatoris Domini* (5 martii 1572) festivitatem liturgicam B.M.V. a Victoria, deinde a Rosario nuncupatam, instituit, die 7 octobris celebrandam; quæ in novissima liturgiæ instauratione confirmata est.

Diligentis inde curæ onus nobis incumbit huiusmodi precandi formam in nostris communitatibus promovere atque inter ipsos fideles apostolico zelo fovere, vetera quidem novis augendo. Rosarium sane « in contemplationem nos ducit mysterii salutis, in quo Virgo Maria cum Filii sui opere intime coniungitur » (LCO, n. 67, § II) atque efficacissimum medium se præbet fidei promovendæ ac vitæ christianæ in po-

pulo alendæ. Nam « hæc precatoria corona quasi quoddam Evangelii compendium præ se fert, ac proinde formam pietatis Ecclesiæ » (Pauli VI, Adhort. Apost. *Recurrens mensis october*, 7-10-1969).

1. Sequens Officium hic traditur omnibus elementis completum sicubi festivitas B. M. V. a Rosario gradu sollemnitatis celebranda occurrat.

2. Gradu festi ordinarie servato, hoc Officium sequenti modo absolvitur: Hymnus et antiphonæ referentes Mysteria gaudiosa, vel pro adiunctis dolorosa, dicuntur aut cantantur ad Officium lectionis; quæ Mysteria gloriosa referunt, ad Laudes matutinas; quae recapitulationem omnium Mysteriorum præbent, ad Vesperas.

3. Adhiberi etiam potest, si magis placet, Officium ut in Liturgia Horarum (IV, 1193-1196).

4. Plura elementa in præsenti Officio allata utiliter adhiberi possunt in ordinandis aliis quibusdam celebrationibus marialibus, aut pro peculiaribus adunationibus quorundam cœtuum orationis.

Sicubi gradu sollemnitatis celebratur:

Ad I Vesperas

HYMNUS

[Mysteria gaudiosa]

Cæléstis aulæ Núntius,
arcána pandens Núminis,
plenam salútat grátia
Dei Paréntem Vírginem.

Virgo propínquam sánguine
matrem Ioánnis vísitat,
qui, clausus alvo, géstiens
adésse Christum núntiat.

Verbum, quod ante sæcula
e mente Patris pródiit,
e Matris alvo Vírginis
mortális infans náscitur.

Templo Puéllus sístitur,
legíque paret légifer;
hic se Redémptor, páupere
prétio redémptus, ímmolat.

Quem iam dolébat pérditum
mox læta Mater ínvenit,
ignóta doctis méntibus
edisseréntem Fílium.

Sit Trinitáti glória,
quæ sacra per mystéria
oránti bus det grátiam,
qua consequántur glóriam.

Psalmodia

Ant. 1 Angelus Gábriel nuntiávit Maríæ, et concépit de Spíritu Sancto.

Psalmi et canticum de Communi B. Mariæ Virginis (LH IV, 1320).

Ant. 2 Intrávit María in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth.

Ant. 3 Péperit Fílium suum primogénitum, et reclinávit eum in præsépio.

Lectio brevis — Gal 4, 4-5

Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

Responsorium breve

℟. Verbum caro factum est, * Et habitávit in nobis. Verbum.
℣. Hoc erat in princípio apud Deum. * Et habitávit in nobis. Glória Patri. Verbum.

Ad Magnificat, ant. Exsultávit cor meum in Deo salutári meo: quia fecit mihi magna qui potens est.

PRECES

Per Vírginem grátia plenam et Salvatóris matrem confidéntes preces Deo offerámus.
Exáudi, Dómine, vocem eius quæ tibi præ ómnibus plácuit.

Miséricors Deus, qui Maríam ancíllam tuam elegísti, ut mater fíeret Christi salvatóris:
— da nobis iúgiter velle et ágere secúndum verbum tuum.

Eius ánima te magnificávit lætabúnda:
— doce nos páriter
tibi pro collátis donis grátias ágere.

Fecúnda Sancto Spíritu Fílium tuum in nostra carne prótulit:
— fac ut secúndum tuum Spíritum operántes eiúsdem fructus úberes producámus.

Puérpera virgo mundi Redemptórem in templo præsentávit:
— fac ut ex ómnibus géntibus redémpti cónfluant ad templum glóriæ tuæ.

Amíssum Fílium in ædibus Patris post tríduum invénit:
— benígne fac ut omnes, quos amísimus, propínquos nobíscum cóngreget ætérna in cælis habitátio comparáta.

[Supréma petítio nostra illa sit quam Christus Iesus et beáta Virgo nos docuérunt, voluntáti Patris « fiat » respondéntes. Dicámus ergo:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, cuius Unigénitus per vitam, mortem et resurrectiónem suam nobis salútis ætérnæ prǽmia comparávit, concéde quǽsumus ut hæc mystéria

sacratíssimo beátæ Maríæ Vírginis Rosário recoléntes, et imitémur quod cóntinent, et quod promíttunt assequámur. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas.

[Formula benedictionis, 433].

Ad Invitatorium

Ant. Salútis mystéria beátæ Maríæ Vírginis Rosário recoléntes, iubilémus Dómino.

Vel, præsertim in cantu: Festivitátem beátæ Maríæ Vírginis celebrémus: * Christum eius Fílium adorémus Dóminum.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

[*Mysteria dolorosa*]

In mont*e* olívis cónsito
Redémptor orans prócidit,
mæret, pavéscit, déficit,
sudóre manans sánguinis.

A proditóre tráditus
raptátur in pœnas Deus,
durísque vinctus néxibus,
flagris cruéntis cæditur.

Intéxt*a* acútis séntibus,
coróna contuméliæ,
squalént*i* amíctum púrpura,
Regem corónat glóriæ.

Molis crucem ter árduæ,
sudans, anhélans, cóncidens,
ad montis usque vérticem
gestáre vi compéllitur.

Confíxus atro stípite
inter sceléstos ínnocens,
orándo pro tortóribus
exsánguis efflat spíritum.

Sit Trinitáti glória,
quæ sacra per mystéria
orántibus det grátiam,
qua consequántur glóriam.

Psalmodia

Ant. 1 Cœpit Iesus contristári, et factus est sudor eius in horto sicut guttæ sánguinis.

Psalmi de Communi B. Mariæ Virginis (LH IV, 1326); orationes super psalmos ad libitum, ut in Appendice, 638.

Ant. 2 Apprehéndit Pilátus Iesum et flagellávit.

Ant. 3 Crucis impérium super húmerum eius: regnávit a ligno Deus.

℣. Beáta es, María, quæ credidísti Dómino.
℟. Perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi.

Lectio prior

De Epístola beáti Pauli apóstoli ad Gálatas 3, 22 — 4, 7

Per fidem filii sumus et heredes Dei

Fratres: Conclúsit Scriptúra ómnia sub peccáto, ut promíssio ex fide Iesu Christi darétur credéntibus.

Prius autem quam veníret fides, sub lege custodiebámur, conclúsi in eam fidem quæ revelánda erat. Itaque lex pædagógus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificémur. At ubi venit fides, iam non sumus sub pædagógo; omnes enim fílii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu.

Quicúmque enim in Christo baptizáti estis, Christum induístis. Non est Iudæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est másculus neque fé-

mina; omnes enim vos unum estis in Christo Iesu. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secúndum promissiónem herédes.

Dico autem: Quanto témpore heres párvulus est, nihil differt a servo, cum sit dóminus ómnium; sed sub tutóribus et actóribus est usque ad præfinítum tempus a patre. Ita et nos, cum essémus párvuli, sub eleméntis mundi erámus serviéntes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

Quóniam autem estis fílii, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda vestra clamántem: « Abba, Pater ». Itaque iam non est servus, sed fílius; quod si fílius, et heres per Deum.

RESPONSORIUM Cf. Gal 4, 4-5; Eph 2, 4; Rom 8, 3

℟. Ecce iam venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terras, natum de Vírgine, factum sub lege; * Ut eos, qui sub lege erant, redímeret.

℣. Propter nímiam caritátem suam, qua diléxit nos Deus, Fílium suum misit in similitúdinem carnis peccáti. * Ut eos.

LECTIO ALTERA [****]

Ex Adhortatióne Apostólica *Mariális cultus* Pauli papæ Sexti

(Nn. 42, 44-47: AAS 66, 1974, pp. 153-156)

Rosarium evangelica prex

Coróna, seu beátæ Maríæ Vírginis Rosárium, totíus Evangélii breviárium est appellàta. Ex Evangélio enim enuntiáta in eo mystéria trahúntur ac præcípuæ fórmulæ; ex Evangélio prætérea, cum revocétur festíva Angeli salutátio et religiósus Maríæ assénsus, modus haurítur, quo fidéles Rosárium pie récitent; dénique per conveniénter iterátam Angeli

salutatiónem unum e primáriis Evangélii mystériis profértur, nempe Incarnátio Verbi, peculiári illo et gravi témporis moménto consideráto, quo Angelus núntium Maríæ áttulit.

Expedítius prætérea intelléctum est per ordináte et gradátim enodátum Rosárium ratiónem ipsam significári, qua Dei Verbum, rebus humánis misericórdi consílio se íngerens, Redemptiónis opus absólvit: congruénti enim órdine considerántur præcípui evéntus salvífici, qui in Christo perfécti sunt: a virgináli Verbi Dei conceptióne Iesúque infántiæ mystériis usque ad suprémos Paschæ casus, beátam vidélicet Passiónem et gloriósam Resurrectiónem, ad fructus eius, qui obvenérunt Ecclésiæ nascénti die Pentecóstes, atque ipsi beátæ Maríæ Vírgini, cum e terréstri hoc exsílio córpore simul et anima est in cæléstem pátriam assúmpta.

Intelléctum étiam est tríplicem mysteriórum Rosárii distributiónem cum evéntuum successióne, servátis ordínibus témporum, omníno cohærére, potíssimum vero referre prístini fídei núntii ratiónem; Christi ínsuper mystérium eódem modo propóni quo percéptum est a sancto Paulo, cum præcláro illo hymno in epístola ad Philippénses declaráret eius exinanitiónem, mortem, exaltatiónem.

Rosárium ígitur cum in Evangélio innitátur et ad mystérium Incarnatiónis hominúmque redemptiónem tamquam ad centrum pertíneat, orátio est putánda, quæ ad rem christológicam prorsus convértitur. Id enim quod eiúsdem próprium est et peculiáre, vidélicet angélicæ salutatiónis litánica iterátio Ave María in Christi quoque laudem indesinéntem cedit, ad quem ut ad términum extrémum réspicit Angeli núntium ac matris Baptístæ salutátio: *Benedíctus fructus ventris tui.* Quin immo, geminátio verbórum Ave María velut textúra est, in qua mysteriórum contemplátio progréditur.

Etenim qui Christus in unaquáque salutatióne

angélica significátur, idem ipse est, quem ex órdine enuntiáta mystéria ut Fílium Dei propónunt et ut Fílium Vírginis in Bethleemitáno specu natum; a matre in templo præsentátum; púerum de iis, quæ Patris ipsíus sunt, sollícitum; hóminum Redemptórem in horto factum in agonía, flagéllis cæsum et spinárum serto coronátum; cruce onerátum atque in monte Calváriæ moriéntem; a mórtuis suscitátum ad Patrísque glóriam ascendéntem, dona Spíritus missúrum. Inter omnes vero constat prístinam quandam fuísse consuetúdinem, plúribus locis ad præsens usque vigéntem, ut proláto in unaquáque angélica salutatióne nómini Iesu cláusula quædam adderétur, cum enuntiáto mystério cohærens, eo quidem consílio ut et contemplátio foverétur et mens voci concordáret.

Item veheméntius urgens necéssitas est percépta monéndi, prætérquam de eius vi laudatíva ac deprecatória, de álio eleménto eiúsdem Rosárii próprio: de contemplatióne. Quæ si deest, córpori sine ánima Rosárium assimilátur estque perículum, ne recitátio evádat iterátio formulárum, in qua mens et rátio desiderátur, atque hortaménto repúgnet Iesu Christi, qui dixit: *Oránte autem, nolíte multum loqui sicut éthnici; putant enim quod in multilóquio suo exaudiántur.* Rosárium enim natúra sua requírit, ut tranquílla precatióne et quasi cogitabúnda tarditáte volvátur, quo facílius orans meditatióni insístat mysteriórum vitæ Christi, velut corde illíus perspectórum, quæ Dómino ómnium próxima fuit, utque eorúndem mysteriórum investigábiles divítiæ reseréntur.

RESPONSORIUM Cf. Lc 1, 45

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génetrix, quæ credidísti Dómino; perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltáta es super choros angelórum. * Intercéde pro nobis ad Dóminum Iesum Christum.

℣. Benedícta et venerábilis es, Virgo María, quæ sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris. * Intercéde.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Súmite psaltérium, vel Obaudíte me, ut in Appendice, 662.

Vel alia:

Ex Expositióne sancti Thomæ de Aquíno presbýteri super Salutatiónem Angélicam

(Ed. Rossi, Piacenza 1931, pp. 25-34)

Maria plena fuit gratia
quantum ad refusionem in omnes homines

Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum, etc. In salutatióne ista continéntur tria. Unam partem facit Angelus: *Ave, grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus.* Aliam partem facit Elísabeth, mater Ioánnis Baptístæ: *Benedíctus fructus ventris tui.* Tértiam partem áddidit Ecclésia, scílicet *María.* Nam Angelus non dixit: *Ave, María,* sed: *Ave, grátia plena.* Et hoc nomen, scílicet María, secúndum suam interpretatiónem cónvenit dictis Angeli, sicut patébit.

Est ergo circa primum considerándum, quod antíquitus erat valde magnum quod Angeli apparérent homínibus; et quod hómines fácerent eis reveréntiam habebátur pro máxima laude. Unde et ad laudem Abrahæ scríbitur quod recépit Angelos hospítio et exhíbuit eis reveréntiam. Quod autem Angelus fáceret hómini reveréntiam, numquam fuit audítum, nisi postquam salutávit beátam Vírginem reveránter dicens: *Ave.*

María plena fuit grátia quantum ad refluéntiam ánimæ ad carnem. Nam magnum est in sanctis habére tantum de grátia, quod sanctíficet ánimam; sed ánima beátæ Vírginis ita fuit plena, quod ex ea refúdit grátiam in carnem, ut de ipsa concíperet Fí-

lium Dei. Et ídeo dicit Hugo de sancto Victóre: « Quia in corde eius amor Spíritus Sancti singuláriter ardébat, ídeo in carne eius mirabília faciébat in tantum quod de ea nascerétur Deus et homo, *quod in ea natum est, de Spíritu Sancto est* ».

María plena fuit grátia quantum ad refusiónem in omnes hómines. Magnum enim est in quólibet sancto quando habet tantum de grátia quod súfficit sibi ad salútem suam; sed maius quando habéret tantum de grátia quod súfficit ad salútem multórum. Sed quando habéret tantum quod suffíceret ad salútem ómnium hóminum de mundo, hoc est máximum, et hoc est in Christo et in beáta Vírgine. Nam in omni perículo, potes salútem obtinére ab ipsa Vírgine gloriósa. Unde dícitur: *Mille clýpei,* id est remédia contra perícula, *pendent ex ea.* Item in omni ópere virtútis potes eam habére in adiutórium. Et ídeo dicit ipsa: *In me omnis spes vitæ et virtútis.* Sic ergo plena est grátia et excédit Angelos in plenitúdine grátiæ. Et propter hoc conveniénter vocátur María, quæ interpretátur illumináta in se: *Implébit splendóribus ánimam tuam;* et illuminátrix in álios quantum ad totum mundum, et ídeo assimilátur soli et lunæ.

Hoc verbum *Dóminus tecum,* est nobílius verbum quod sibi dici possit. Mérito ergo Angelus reverétur beátam Vírginem, quia Mater Dómini et ídeo Dómina. Unde cónvenit ei hoc nomen María, quod syra lingua interpretátur Dómina.

Excéllit Angelos quantum ad puritátem, quia beáta Virgo non solum fuit pura in se, sed étiam procurávit puritátem áliis. Ipsa enim puríssima fuit et quantum ad culpam, quia nec originále, nec mortále, nec veniále peccátum incúrrit. Item quantum ad pœnam. Sic ergo immúnis fuit ab omni maledictióne, et ídeo *benedícta in muliéribus,* quia ipsa sola maledictiónem sústulit et benedictiónem portávit et iánuam Paradísi apéruit. Et ídeo cónvenit ei nomen

Maríæ, quæ interpretátur stella maris; quia, sicut per stellam maris navigántes dirigúntur ad portum, ita christiáni per Maríam dirigúntur ad glóriam.

RESPONSORIUM Lc 1, 28. 35. 34

℟. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum: * Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Quod enim ex te nascétur Sanctum, vocábitur Fílius Dei.

℣. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus dixit ei. * Spíritus Sanctus.

Vel alia:

Ex Constitutióne dogmática *Lumen géntium*
Concílii Œcuménici Vaticáni secúndi de Ecclésia

(Nn. 65-69: AAS 57, 1965, pp. 64-67)

Mariam contemplans,
Ecclesia in summum incarnationis
mysterium penitus intrat

[Dum Ecclésia in beatíssima Vírgine ad perfectiónem iam pertíngit, qua *sine mácula et ruga* exsístit, christifidéles adhuc nitúntur, ut devincéntes peccátum in sanctitáte crescant; ideóque óculos suos ad Maríam attóllunt, quæ toti electórum communitáti tamquam exémplar virtútum præfúlget. Ecclésia de ea pie recógitans eámque in lúmine Verbi hóminis facti contémplans, in summum incarnatiónis mystérium venerabúnda penítius intrat, Sponsóque suo magis magísque conformátur.

María enim, quæ, in históriam salútis íntime ingréssa, máxima fídei plácita in se quodámmodo unit et revérberat, dum prædicátur et cólitur, ad Fílium suum eiúsque sacrifícium atque ad amórem Patris credéntes ádvocat. Ecclésia vero, glóriam

Christi prósequens, præcélso suo typo simílior effícitur, contínuo progrédiens in fide, spe et caritáte, ac divínam voluntátem in ómnibus quærens et óbsequens.

Unde étiam in ópere suo apostólico Ecclésia ad eam mérito réspicit, quæ génuit Christum, ídeo de Spíritu Sancto concéptum et de Vírgine natum, ut per Ecclésiam in córdibus quoque fidélium nascátur et crescat. Quæ Virgo in sua vita exémplum éxstitit matérni illíus afféctus, quo cuncti, in misióne apostólica Ecclésiæ cooperántes, ad regenerándos hómines animéntur opórtet].

María per grátiam Dei post Fílium præ ómnibus ángelis et homínibus exaltáta, útpote sanctíssima Dei Mater, quæ mystériis Christi intérfuit, speciáli cultu ab Ecclésia mérito honorátur. Et sane ab antiquíssimis tempóribus beáta Virgo sub título « Deíparæ » cólitur, sub cuius præsídium fidéles in cunctis perículis et necessitátibus suis deprecántes confúgiunt. Inde præsértim ab Ephesína Sýnodo cultus pópuli Dei erga Maríam mirabíliter crevit in veneratióne et dilectióne, in invocatióne et imitatióne, secúndum ipsíus verba prophética: *Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est*. Qui cultus, prout in Ecclésia semper éxstitit, singuláris omníno quamquam est, essentiáliter differt a cultu adoratiónis, qui Verbo incarnáto æque ac Patri et Spíritui Sancto exhibétur, eidémque potíssimum favet.

Váriæ enim formæ pietátis erga Dei Genetrícem, quas Ecclésia intra límites sanæ et orthodóxæ doctrínæ, pro témporum et locórum conditiónibus et pro índole ingenióque fidélium approbávit, id effíciunt ut dum Mater honorátur, Fílius, propter quem ómnia et in quo ætérno Patri *complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre*, rite noscátur, amétur, glorificétur, eiúsque mandáta servéntur.

Hanc cathólicam doctrínam Sacrosáncta Sýnodus

consúlto docet, simúlque omnes Ecclésiæ fílios ádmonet, ut cultum, præsértim litúrgicum, erga beátam Vírginem generóse fóveant, praxes autem et exercítia pietátis erga eam sæculórum cursu a Magistério commendáta magni fáciant.

Memínerint porro fidéles veram devotiónem neque in stérili et transitório affféctu, neque in vana quadam credulitáte consístere, sed a vera fide procédere, qua ad Dei Genetrícis excelléntiam agnoscéndam addúcimur, et ad filiálem erga Matrem nostram amórem eiúsque virtútum imitatiónem excitámur.

Interim autem Mater Iesu, quemádmodum in cælis córpore et ánima iam glorificáta, imágo et inítium est Ecclésiæ in futúro sæculo consummándæ, ita his in terris, quoadúsque advénerit dies Dómini, tamquam signum certæ spei et solátii peregrinánti pópulo Dei prælúcet.

Univérsi christifidéles supplicatiónes instántes ad Matrem Dei et Matrem hóminum effúndant, ut ipsa, quæ primítiis Ecclésiæ précibus suis ádstitit, nunc quoque in cælo super omnes Beátos et Angelos exaltáta, in ómnium Sanctórum communióne apud Fílium suum intercédat, donec cunctæ famíliæ populórum, sive quæ christiáno nómine decorántur, sive quæ Salvatórem suum adhuc ignórant, cum pace et concórdia in unum pópulum Dei felíciter congregéntur, ad glóriam Sanctíssimæ et indivíduæ Trinitátis.

Responsorium

℟. Gloriósæ Vírginis Maríæ memóriam digníssimam recolámus, cuius Dóminus humilitátem respéxit; * Quæ, Angelo nuntiánte, concépit Salvatórem mundi.

℣. Christo canámus glóriam in hac sacra celebratióne præcélsæ Genetrícis Dei Maríæ. * Quæ, Angelo.

Vel alia:

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbátis

(Sermo de Aquæductu:
Opera omnia, Ed. Cisterc. 5, 1968, pp. 282-283)

Salutis mysteria meditari oportet

[LH IV 1193]

Ad Officium vigiliæ

Pro celebratione Vigiliæ protractæ hic adduntur cantica et Evangelium proprium ut in Appendice, 647.

HYMNUS Te Deum.

Oratio, ut ad I Vesperas, 415 vel ad Laudes matutinas, 428.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

[*Mysteria gloriosa*]

Iam morte, victor, óbruta
ab ínferis Christus redit,
fractísque culpæ vínculis,
cæli reclúdit límina.

Visus satis mortálibus
ascéndit ad cæléstia,
dextræque Patris ássidet,
consors patérnæ glóriæ.

Quem iam suis promíserat,
Sanctum datúrus Spíritum,
linguis amóris ígneis
mæstis alúmnis ímpluit.

Solúta carnis póndere
ad astra Virgo tóllitur,
excépta cæli iúbilo
et Angelórum cánticis.

Bis sena cingunt sídera
Almæ Paréntis vérticem,
throno propínqua Fílii
cunctis creátis ímperat.

Sit Trinitáti glória,
quæ sacra per mystéria
oránti bus det grátiam,
qua consequántur glóriam.

Psalmodia

Ant. 1 Lætáre, Virgo Mater, allelúia: surréxit Christus de sepúlcro, allelúia.

Psalmi et canticum de dominica hebd. I; orationes super psalmos ad libitum, ut in Appendice, 632.

Ant. 2 Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, et cœpérunt loqui, allelúia.

Ant. 3 Assúmpta est María in cælum, gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum, allelúia.

Lectio brevis Phil 2, 8-11

Christus Iesus humiliávit semetípsum factus obœdiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum exaltávit et donávit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nómine Iesu omne genu flectátur cæléstium, terréstrium et infernórum, et omnis lingua confiteátur: « Dóminus Iesus Christus! », in glóriam Dei Patris.

Responsorium breve

℟. Ave, María, grátia plena; * Dóminus tecum. Ave.
℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. * Dóminus tecum. Glória Patri. Ave.

Ad Benedictus, ant. Beáta Mater et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, séntiant omnes tuum iuvámen, quicúmque célebrant tuam sacratíssimi Rosárii sollemnitátem.

PRECES

Cum Regína cæli canámus lætántes:
Tu rex glóriæ, Christe.

Te, Christe, primogénitum ex mórtuis læti confitémur
— grátias agéntes quia nos eripuísti
de potestáte tenebrárum.

Rex glóriæ, qui fragilitátis nostræ substántiam
in déxtera Patris collocásti,
— glória tibi, qui nos divinitátis tuæ compartícipes
facis et futúræ glóriæ.

Qui promíssum Spíritum misísti
in discípulos cum María matre tua orántes,
— Ecclésiam eódem Spíritu dilatátam iúgiter rénova.

Qui matrem tuam suscepísti tecum córpore et ánima
in cælum assúmptam,
— fac ut ea quæ sursum sunt quærámus semper et
sapiámus.

[Matutínas preces concludámus oratiónem Christi persolvéndo, quæ supplicántis Ecclésiæ totum complet offícium:]

Pater noster, etc.

Oratio

Grátiam tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde, ut qui, Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, beáta María Vírgine intercedénte, per passiónem eius et crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per Dóminum.

Vel ut ad I Vesperas, 415.

[Formula benedictionis, 433].

Ad Horam mediam

Psalmi de feria currente, vel psalmodia complementaris (LH IV, 1001) cum antiphonis propriis (IGLH, n. 232); si vero occurrat dominica, dicuntur psalmi de dominica hebd. I (LH IV, 507). Sicubi gradu sollemnitatis celebretur, psalmodia complementaris (LH IV, 1001).

Ad Tertiam

Ant. Erant omnes perseverántes unanímiter in oratióne, cum María matre Iesu.

Vel, præsertim in cantu: Hæc est Regína vírginum, quæ génuit Regem, velut rosa decóra Virgo. Dei Génetrix, per quam repérimus Deum et hóminem, alma Virgo, intercéde pro nobis ómnibus.

LECTIO BREVIS Prov 8, 34-35

Beátus homo, qui audit me et qui vígilat ad fores meas quotídie et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet delícias a Dómino.

℣. Beáti qui áudiunt verbum Dei.

℟. Et custódiunt illud.

Ad Sextam

Ant. Dixit Dóminus matri suæ: « Múlier, ecce fílius tuus ». Ad discípulum autem: « Ecce mater tua ».

Vel, præsertim in cantu: Veníte, ascendámus ad montem Dómini, et vidéte si est dolor sicut dolor meus.

LECTIO BREVIS Col 1, 24-25

Nunc gáudeo in passiónibus pro vobis et adímpleo ea, quæ desunt passiónum Christi, in carne mea pro córpore eius, quod est Ecclésia, cuius factus sum ego miníster secúndum dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei.

℣. Stabat sancta Mater María.

℟. Iuxta crucem Iesu.

Ad Nonam

Ant. Tecum Dómino benedícimus, Mater, qui móriens nos tibi commendávit ut fílios.

Vel, præsertim in cantu: Cum accepísset acétum, dixit: « Consummátum est », et inclináto cápite, trádidit spíritum.

LECTIO BREVIS Hebr 4, 14-16

Habéntes ergo pontíficem magnum, qui penetrávit cælos, Iesum Fílium Dei, teneámus confessiónem; non habémus pontíficem qui non possit cómpati infirmitátibus nostris, tentátum autem per ómnia secúndum similitúdinem absque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur et grátiam inveniámus in auxílium opportúnum.

℣. Per te salútem hauriámus, Virgo María.
℟. Ex vulnéribus Christi.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad II Vesperas

HYMNUS

[*Recapitulatio omnium Mysteriorum*]

Te gestiéntem gáudiis,
te sáuciam dolóribus,
te iug*i* amíctam glória,
o Virgo Mater, pángimus.

Ave, redúndans gáudio
dum cóncipis, dum vísitas,
et edis, offers, ínvenis,
mater beáta, Fílium.

Ave, dolens et íntimo
in cord*e* agónem, vérbera,
spinas crucémque Fílii
perpéssa, princeps mártyrum.

Av*e*, in triúmphis Fílii,
in ígnibus Paráclíti,
in regn*i* honór*e* et lúmine
regína fulgens glória.

Veníte, gentes, cárpite
ex his rosas mystériis,
et pulchr*i* amóris ínclitæ
matri corónas néctite.

Sit Trinitáti glória,
quæ sacra per mystéria
orántibus det grátiam,
qua consequántur glóriam.

Psalmodia

Ant. 1 Exaltáta est Virgo María super choros Angelórum; et in cápite eius coróna stellárum duódecim, allelúia.

Psalmi et canticum de Communi B. Mariæ Virginis (LH IV, 1340); orationes super psalmos ad libitum, ut in Appendice, 639.

Ant. 2 Benedícta fília tu a Dómino, quia per te fructum vitæ communicávimus.

Ant. 3 Beáta Mater et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum.

Lectio brevis Cf. Act 1, 11b. 12. 13a. 14

Postquam assúmptus est Iesus in cælum, revérsi sunt Apóstoli in Ierúsalem a monte, qui vocátur Oliváti, qui est iuxta Ierúsalem sábbati habens iter. Et cum introíssent, in cenáculum ascendérunt, ubi manébant. Omnes erant perseveránte unanímiter in oratióne cum muliéribus et María matre Iesu et frátribus eius.

Responsorium breve

℟. Sancta Dei Génetrix, * Virgo semper María. Sancta.

℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. * Virgo semper María. Glória Patri. Sancta.

Ad Magnificat, ant. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo.

Vel: Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum; et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

PRECES

Mémores exordiórum redemptiónis nostræ, cum María matre nostra vespertínas preces ad Deum Patrem dirigámus:
Audi, Pater ætérne, vocem illíus quam prælegísti.

Qui Maríam Vírginem verbi tui perfécte dócilem fecísti,
— nosmetípsos, quæsumus, pérfice Fílii eius discípulos.

Misso Spíritu Sancto, Virgo Fílium tuum concépit et édidit mundo:
— eius précibus ut fructus eiúsdem Spíritus óptimos proferámus concéde.

Eam fecísti iuxta crucem firmíssimam
et in resurrectióne Fílii gáudio refértam:
— eius précibus in advérsis nos súbleva
et spem in nobis corróbora.

Eius tandem précibus concéde,
ut qui incarnatiónem Fílii tui cognóvimus:
— per passiónem eius et crucem
ad resurrectiónis glóriam perducámur.

Qui gloriósam in cælis regínam coronásti:
— migrátos e terra apud eam sanctórum ágminum fac consórtes.

[Nunc a Christo edócti, Deum exorémus, Patrem invocántes; sive gáudio repléti, sive fracti dolóre, Patrem semper illum agnoscámus:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, cuius Unigénitus per vitam, mortem et resurrectiónem suam nobis salútis ætérnæ prǽmia comparávit, concéde quæsumus ut, hæc mystéria sacratíssimo beátæ Maríæ Vírginis Rosário recoléntes, et imitémur quod cóntinent, et quod promíttunt assequámur. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas, 428.

BENEDICTIO FINALIS

Deus, qui per beátæ Maríæ Vírginis partum genus humánum sua vóluit benignitáte redímere, sua vos dignétur benedictióne ditáre.

℟. Amen.

Die 8 octobris

B. AMBROSII SANSEDONI, PRESBYTERI

Senis [Siena] anno 1220 e nobili familia ortum duxit et anno 1237 ibidem Ordinem elegit. Parisiis et Coloniæ Alberti Magni discipulus fuit una cum Thoma de Aquino et Petro de Tarantaise, postea Innocentio V. Eodem tempore quo Thomas de Aquino, Coloniæ et ipse docere incepit sub eiusdem magistri Alberti ductu. In studiis ecclesiasticis instaurandis et in legationibus pacis frequenter et efficaciter deditus, divinis constanter intentus fuit et in prædicatione assiduus. Senis obiit die 20 martii 1287. Eius cultus concessus fuit a Gregorio XV die 8 octobris 1622.

De Communi pastorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Ecclésiam tuam, miséricors Deus, Beáti Ambrósii commemorátio votíva lætíficet, ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

Eodem die 8 octobris

B. MATTHÆI CARRERI, PRESBYTERI

Mantuæ anno circiter 1420 ortum habuit et ibi Ordinem amplexus est anno 1440. Perfecta sui abnegatione fulgens prædicatorem eximium se obtulit multosque ad Christum revocavit. Tantæ extitit caritatis ut pro virgine quadam liberanda seipsum in servitutem redigere paratus esset. Ad reformandam vitam regularem multum adlaboravit. Viglevani obiit die 5 octobris 1470. Xistus IV anno 1482 eius liturgicam commemorationem permisit et Benedictus XIV die 23 septembris 1742 eius cultum confirmavit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Excita, Dómine, in córdibus nostris crucis et passiónis amórem ut, Beáti Matthæi intercessióne et exémplo, dolórum Christi partícipes efficiámur, et glóriæ. Qui tecum.

Die 9 octobris

S. LUDOVICI BERTRÁN, PRESBYTERI

Memoria obligatoria

Nobilibus ac piis parentibus Valentiæ in Hispania Tarraconensi die 1 ianuarii 1526 ortus, adulescens 16 annorum patre nolente domum reliquit ad S. Iacobum contendere volens. Domum reductus, Prædicatorum Ordinis aditu denegato, clam ad Capitulum accedens admonitiones audiebat. Tandem die 26 augusti anni 1544 habitum induere potuit, adhuc obstantibus parentibus. Toto animi nisu ad perfectam Fratris Prædicatoris imaginem contendens, vere « idea » Ordinis factus est et exemplar novitiis sibi traditis instruendis. Vitæ austeritatem cum apostolico zelo pro fidei dilatatione coniungens, ad extremam usque Americæ regionem, nunc Columbiam nuncupatam, mitti impetravit anno 1562.

Ibi degens 7 annos strenue pro indigenis insudavit, quorum multos — ipsum propriam linguam loquentem mirifice intellegentes — ad Evangelii lumen perduxit. Ad humanam culturam illos initiavit atque ad oppressoribus defendit, contra « conquistadores-encomenderos » fortiter agens, adhortante Bartholomæo Las Casas. In patriam reversus anno 1569, apostolicis ministeriis vitæ christianæ ac religiosæ renovationi se totum devovens, studio sanctitatis impensius intendit, cuius timor Domini propria nota fuit. Obiit Valentiæ die 9 octobris anno 1581. Clemens X die 12 aprilis 1671 inter sanctos illum rettulit. Eius corpus anno 1936, sæviente bello civili, combustum est.

De Communi pastorum (LH IV, 1421), vel sanctorum virorum: pro religiosis (1523), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Christum Dóminum, gemmam sacerdótum, veníte, adorémus.

Vel, præsertim in cantu: Iubilémus magno Regi, conditóri sæculórum: * In quo vivit Ludovícus consors glóriæ sanctórum.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Textus congruus vel Dum Ludovíci glória, ut ad Laudes matutinas, 441.

Sicubi gradu festi celebratur:

PSALMODIA

Ant. 1 Ignem veni míttere in terram; et quid volo, nisi ut accendátur?

Psalmi de Communi pastorum (LH IV, 1422).

Ant. 2 Ecce dedi te in lucem géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terræ.

Ant. 3 Ne tímeas a fácie eórum, quia tecum ego sum ut éruam te, dicit Dóminus.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus.
℟. Virtúte multa.

LECTIO PRIOR

De Epístola prima beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 9, 16-27

Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos

Si evangelizávero, non est mihi glória; necéssitas enim mihi incúmbit. Væ enim mihi est, si non evangelizávero! Si enim volens hoc ago, mercédem hábeo; si autem invítus, dispensátio mihi crédita est.

Quæ est ergo merces mea? Ut Evangélium prædicans sine sumptu ponam Evangélium, ut non abútar potestáte mea in Evangélio.

Nam cum liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci, ut plures lucri fácerem. Et factus sum

Iudæis tamquam Iudæus, ut Iudæos lucrárer; his, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, ut eos, qui sub lege erant, lucri fácerem; his, qui sine lege erant, tamquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, ut lucri fácerem eos, qui sine lege erant; factus sum infírmis infírmus, ut infírmos lucri fácerem; ómnibus ómnia factus sum, ut áliquos útique fácerem salvos. Omnia autem fácio propter Evangélium, ut compárticeps eius effíciar.

Nescítis quod hi, qui in stádio currunt, omnes quidem currunt, sed unus áccipit bravíum? Sic cúrrite, ut comprehendátis. Omnis autem, qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet, et illi quidem, ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorrúptam. Ego ígitur sic curro non quasi in incértum, sic pugno non quasi áerem vérberans; sed castígo corpus meum et in servitútem rédigo, ne forte, cum áliis prædicáverim, ipse réprobus effíciar.

RESPONSORIUM 2 Cor 5, 18; Rom 5, 11

℟. Reconciliávit nos Deus sibi per Christum. * Qui dedit nobis ministérium reconciliatiónis.

℣. Gloriámur in Deo per Dóminum nostrum Iesum Christum, per quem reconciliatiónem accépimus. * Qui dedit.

LECTIO ALTERA [**]

E Tractátu sancti Ludovíci Bertrán presbýteri De dignitáte apostolórum et prædicatórum apostolicórum

(Obras y sermones, Valencia 1973, pp. 165-166)

Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem

Hæc Evangélii léctio pars est divíni illíus sermónis quem locútus est Redémptor post cenam discípulis suis discédens ab illis mortem subitúrus. Unum ígitur, inter solátia quæ Divína Sapiéntia ad

consolándos illos fecit ob eius abséntiæ tristítiam, hoc fuit: ut ínvicem se dilígerent quóniam diléctio magnum est solátium afflíctis, cum in ínvicem se díligant atque prótegant. Sacraméntum instítuit quo eos refíceret; Spíritus Sancti advéntum atque se Patrem pro eis rogatúrum promísit, et hoc item dedit remédium, nempe se ínvicem dilígere atque benefácere. Hæc vero diléctio quam petit non parvi moménti est, cum pondus sit totíus christianitátis. Et ita multis de ratiónibus petit.

Primum, propter débitum reddénda est diléctio. Diléctio dilectióne perpénditur. Et quóniam ita diléxi vos ut vitam meam pro vobis pónerem, hæc mea diléctio necésse est dilectióne perpendátur, quod vero fiet mútua vestra dilectióne. Aliis ratiónibus nos probat dilexísse. Primum: *Maiórem hac dilectiónem nemo habet ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis*. Deínde quod nos elégit ad altíssimum munus: *Ego elégi vos de mundo ... ut eátis et fructum afferátis*. Tértio quod promísit: *Ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis*. Et ita ut os vestrum mensúra sit ita conclúdit quod initiávit: *Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem*. Pro ómnibus quæ pro vobis feci, hoc solúmmodo volo ut diligátis ínvicem.

Nullus est Evangélii locus ubi tantum Christus ad dilectiónem invítet sicut hic, quia tantum cupit quod nos ínvicem diligámus atque sicut débitum petit, quia ex iustítia debémus. Iustítia enim próximum amáre debétis, quóniam Christus vobis hunc amórem comparávit atque pro illo níhilo minus quam amórem suum dedit.

Dénique tres amicítiæ spécies Christus in Evangélio signávit: prima ipsíus Christi amicítia homínibus. Atque probat quod hæc amicítia vera sit, quod nihil égeat ut talis sit quóniam vitam suam dedit, quóniam secréta apéruit, quóniam quæ petiérimus ipse fáciet velut amícus fidus qui áliquid negáre

nescit. Atque se apostolórum præsértim fidum amícum præbet quia eos pósuit in tam excellénti múnere, quod est ánimas salváre, cuius fructus quidem semper pérmanet.

Secúnda amicítiæ spécies est mútua diléctio, hóminis ad hómines. Hanc autem dilectiónem atque amicítiam ex iustítia et débito petit: ille enim proptérea nos diléxit, ut in ínvicem nos diligerémus vero amóre atque amicítia sincéra.

Tértia spécies est amicítia hóminum ad Deum, hoc est ánimo deliberáre ut illi obœdiámus, ut quæ nobis præcipit agámus: *Vos amíci mei estis si fecéritis quæ præcípio vobis.* Ad hoc quidem bene intellegéndum necésse est notáre atque intellégere quod est amicítia superióris ad inferiórem, paris ad parem, inferióris ad superiórem. Et cum amicítia communicátio sit bonórum, in his tribus amicítiæ speciébus diversímode hæc communicátio fit. Amicítia superióris ad inferiórem est bona communicáre, sicut dicit Christus: *quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis.* Ego dedi vobis vitam meam, sánguinem meum atque hoc tam excéllens munus ánimas converténdi.

Amicítia inter pares est bona inter se divídere, se mútuo amáre atque iuváre. Et hoc est quod dicit: *ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos.*

Amicítia inferióris ad superiórem est obœdiéntia et servítium. Hoc est quod dicit: *Vos amíci mei estis si fecéritis quæ ego præcípio vobis.*

RESPONSORIUM Is 42, 1; Lam 3, 27

℟. Ecce servus meus, suscípiam eum, eléctus meus, complácuit sibi in eo ánima mea: * Dedi spíritum meum super eum.

℣. Bonum est viro, cum portáverit iugum Dómini ab adulescéntia sua. * Dedi spíritum.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Non perímus, ut in Appendice, 662.

Vel alia:

Ex Sermónibus sancti Ludovíci Bertrán presbýteri

(Sermo in IV dominica Adventus, nn. 10-14:
Obras y Sermones I, 31-36, Valencia 1973, pp. 281-283)

Ex deserto procedere debes
ut bonus prædicator evadas

Spíritus Sanctus Ioánnem *in desérto* détinet, ne Christum cognóscat nec vídeat, propter magnitúdinem testimónii quod póstehac illi datúrus est, quod scílicet eum numquam víderat úsquedum colúmbam super caput eius manéntem vidit in Iordáne: *Ego nesciébam eum, sed qui misit me baptizáre in aqua, ille mihi dixit: super quem víderis Spíritum descendéntem et manéntem super eum, hic est qui baptízat in Spíritu Sancto.*

Illic fuit ubi *vox Patris audíta est,* eum *Fílium* prædicans. Illic Spíritus Sanctus ipsum tantis decorábat virtútibus, humilitáte, mansuetúdine aliísque, ut a desérto exíret convérsus in *salem* ad hómines de corruptióne servándos, in *lucem* ad cæcos illuminándos, in *civitátem* munítam ad quam sancti et virtuósi confúgerent.

Excélsum esse istud prædicatóris munus, ex hoc elúcet quod talem præparatiónem éxigit. Quid ergo miráris, frater, si doctrína tua fructum non affert, cum ad prædicándum non a desérto sed a strépitu ánimæ tuæ, non a virtútis próximis sed supérbiæ venis? Ex desérto procédere debes ut bonus prædicátor evádas. Si Dóminus noster Christus totam noctem in oratióne perégit, tantúmmodo discípulos suos in prædicatiónem missúrus et ut prædicátio eórum fructificáret, quid fáciet indevótus prædicátor? Si e desérto non venis, prædicátio tua fructum non áfferet. Et quia vocem quidem habes Iacob manus autem Esau, sátage ut bonus prædicátor efficiáris, nimírum oratiónem, recéssum et solitúdinem quæ-

rens, secus bonórum prædicatórum prǽmium adipísci non póteris.

Ioánnem pósuit Deus in prædicatiónis statu, et hic magnæ pæniténtiæ fuit illi. Síquidem omnis status pæniténtia quadam constat, si de manu Dei recipiátur. Eius est in illa cruce te pónere in qua ei servíre debes; illam vero elígere ad te non pértinet, quia etsi graviórem elígeres non per eam salváberis, quóniam in illa non collocávit te Deus. Iúvenem illum qui seípsum ad maiestátem Christi sequéndam óbtulit: *Magíster, sequar te quocúmque íeris,* idem Dóminus non recépit, quia ad eum id non pertinébat, quamvis tam libénter in ómnibus ad Dóminum sequéndum se offerébat.

In cælis ángelos dæmonésque in ínferis sancti Ioánnis pæniténtia terret; vidére nempe hóminem ántea sanctum quam natum, hóminem qui numquam peccátum mortále commísit, tanta afflígi pæniténtia. Pro quibus peccátis? Néscio prorsus. Inde collígitur quid de iustítia Dei, quidque de eius rigóre séntiat ille, qui ita seípsum tractat, licet absque peccáto, quid item de hac vita eiúsque luxu séntiat.

Ex eo autem quod illa táliter relíquit, conícere póssumus ipsum habuísse aurem unam ad óstium inférni appósitam, illos insolábiles audiéntem gémitus; áliam vero ad beatitúdinem cæli eréctam, illos angélicos audiéntem cantus; et exínde, ad illud non patiéndum et istud non amitténdum, tantam egísse pæniténtiam. Quantópere penetráre debet in viri sancti péctore illa de iudício cum Deo ineúndo cogitátio!

Vide quid sanctus Paulus de seípso dicat: *Nihil enim mihi cónscius sum, sed non in hoc iustificátus sum; qui autem iúdicat me, Dóminus est.*

Proptérea Ieremías ait: *Státue tibi spéculam, pone tibi amaritúdines, dírige cor tuum in viam rectam in qua ambulásti.* Peccátor, audi Spíritum Sanctum. Sta in spécula considerationis, circúmdatus amari-

túdine pæniténtiæ; in inférnum descénde cogitatióne, et per illam in cælum ascénde. Tali autem ratióne suffúltus *dírige cor tuum in via* et sátage in viam íngredi secúram atque conténde ne in perditióne defícias.

RESPONSORIUM Cf. Mt 25, 20

℟. Iste sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit Angelórum: * Quóniam in hac peregrinatione solo córpore constitútus, cogitatióne et aviditáte in illa ætérna pátria conversátus est.

℣. Vínculis carnis absolútus, taléntum sibi créditum Dómino suo duplicátum reportávit. * Quóniam.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Dum Ludovíci glória
corúscat inter sídera,
fecúnda Sanctórum parens,
det iúbilos Ecclésia.

Is a tenéllis únguibus
Christi iugo se súbdidit,
mox igne Sancti Spíritus
totis medúllis férbuit.

Hic iugis illi præfuit
ad usque vitæ vésperam,
armísque pæniténtiæ
perdúxit ad victóriam.

Heróicis virtútibus
idéa factus frátribus,
efflans ad astra spíritum
exhálat ore lúmina.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio
et utriúsque Spíritu,
in sempitérna sæcula.

PSALMODIA

Ant. 1 Sæpe orábat beátus Ludovícus: Da mihi, Dómine, ut ego móriar pro te, sicut tu dignátus es mori pro me.

Hæ antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus. Sicubi gradu festi celebratur, cum psalmodia de dominica hebd. I dicendæ sunt.

Ant. 2 Omnium me servum feci, ut plures Christo Dómino lucrifácerem.

Ant. 3 Mihi data est grátia hæc: in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi.

LECTIO BREVIS 1 Cor 9, 22b-23

Omnibus ómnia factus sum, ut áliquos útique fácerem salvos. Omnia autem fácio propter Evangélium, ut compárticeps eius effíciar.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Notum fecit Dóminus * Salutáre suum. Notum fecit.
℣. In conspéctu géntium revelávit iustítiam suam * Salutáre suum. Glória Patri. Notum fecit.

Ad Benedictus, ant. Exhibeámus córpora nostra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem: semper mortificatiónem Iesu in córpore nostro circumferéntes ut et vita Iesu manifestétur in corpóribus nostris.

Vel, præsertim in cantu: Dóminus, Deus Israel, visitávit plebem suam in terris Indiárum, mittens ei púerum suum, qui præíret ante fáciem Dómini paráre vias eius.

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui cordi beáti Ludovíci timórem tui nóminis infudísti; péctora nostra divíno sic igne succénde, ut amóre tibi páriter ac timóre fidéliter serviámus. Per Dóminum.

Sicubi gradu festi celebratur:

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS 2 Cor 5, 19b-20

Pósuit in nobis Deus verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur tamquam Deo exhortánte per nos: obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum.
℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Sextam

LECTIO BREVIS 2 Cor 12, 11b-12

Tamétsi nihil sum; signa tamen apóstoli facta sunt super vos in omni patiéntia, signis quoque et prodígiis et virtútibus.

℣. Per manus Apostolórum.
℟. Fiébant signa et prodígia multa in plebe.

Ad Nonam

LECTIO BREVIS Rom 1, 5

Per Iesum Christum accépimus grátiam et apostolátum ad obœditiónem fídei in ómnibus géntibus,

pro nómine eius, in quibus estis et vos vocáti Iesu Christi.

℣. Non erubésco Evangélium.
℟. Virtus enim Dei est in salútem.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

Hymnus

Textus congruus vel Dum Ludovíci glória, ut ad Laudes matutinas, 441.

Psalmodia

Ant. 1 Evangélii factus sum miníster, secúndum donum grátiæ Dei.

Hæ antiphonæ propriæ adhiberi possunt cum psalmis ferialibus. Sicubi gradu festi celebratur, hæ antiphonæ cum psalmodia de Communi pastorum dicendæ sunt (LH IV, 1441).

Ant. 2 Ab antíquis diébus Deus in nobis elégit per os meum audíre gentes verbum Evangélii et crédere.

Ant. 3 In fide veritátis Deus vocávit nos per Evangélium, in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Iesu Christi.

Lectio brevis — Eph 3, 2-7

Audístis dispensatiónem grátiæ Dei, quæ data est mihi pro vobis, quóniam secúndum revelatiónem notum mihi factum est mystérium, sicut supra scripsi in brevi, prout potéstis legéntes intellégere prudéntiam meam in mystério Christi, quod áliis generatiónibus non innótuit fíliis hóminum, sícuti nunc revelátum est sanctis apóstolis eius et prophétis in Spíritu, esse gentes coherédes et concorporáles et compar-

tícipes promissiónis in Christo Iesu per Evangélium, cuius factus sum miníster secúndum donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndum operatiónem virtútis eius.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Annuntiáte inter gentes * Glóriam Dómini. Annuntiáte.

℣. In ómnibus pópulis mirabília eius * Glóriam Dómini. Glória Patri. Annuntiáte.

Ad Magnificat, ant. Dóminus Deus eius erat cum eo, et magnificávit eum in excélsum: confortátus est in regno suo.

Vel: Respéxit Dóminus humilitátem servi sui, per quem esuriéntes Indos implévit bonis: et ex hoc beátum hunc dicent omnes generatiónes.

Preces congruæ vel de Communi pastorum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 11 octobris

B. IACOBI DE ULM, RELIGIOSI

Ulmæ anno 1407 ortum habuit; peregrinus et miles mercenarius, Bononiam transiens se convertit orando ad sepulchrum sancti Dominici, habitum Ordinis suscepit et ex eorum numero esse voluit qui conversi nuncupantur. Artifex vitrarius præcipuus, vitris splendide historiatis ornavit ecclesiam conventus et basilicam Bononiensem Sancti Petronii ubi nunc etiam opera eius mirari possumus. Memoriam reliquit religiosi humilis et obœdientis qui Passionem Salvatoris nimio studio meditabatur. Obiit Bononiæ die 11 octobris 1491. Cultum illi ab immemorabili præstitum Leo XII die 3 augusti 1825 confirmavit.

De Communi sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beáto Iacóbo tuam ubíque diffúsam bonitátem mirífice contuéri et arte exprímere tribuísti, fac nos, illíus opéribus et exémplis, ita ínstrui ut summæ tuæ pulchritúdinis contemplatióni efficiámur aptióres. Per Dóminum.

Die 13 octobris

B. MAGDALENÆ PANATIERI, VIRGINIS

Tridini [Trino] in Italia nata anno 1443, Sororum Dominici de pœnitentia habitum admodum iuvenis induit, sanctam Catharinam Senensem sibi imitandam proponens. In mundo quin de mundo esset, summa eius oratio fuit, admirabilis vitæ austeritas, insignis charismatum copia. Multos, laicos ecclesiasticos ac novitios quoque Ordinis, ad Christi amorem incitavit exemplo ac verbis. De salute etiam aliorum valde sollicita, in pauperes, præsertim ægrotos, caritate fulsit. Obiit die 13 octobris 1503. Leo XII cultum illi præstitum confirmavit die 26 septembris 1827.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum: pro iis quæ opera misericordiæ exercuerunt, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui néminem in te sperántem déseris, et pie deprecántem misericórditer exáudis, tríbue quǽsumus ut quod nostris méritis non valémus, Beátæ Magdalénæ vírginis patrocínio consequámur. Per Dóminum.

Die 21 octobris

B. PETRI DE CITTÀ DI CASTELLO, PRESBYTERI

De nobili familia Capucci, Tiferni Tiberini [Città di Castello] in Italia anno 1390 natus, Ordinis habitum anno 1405 induit. Comes beati Antonini et fratris Angelici in conventu Cortonensi, ibi vitam totam transegit tempore renovationis

vitæ Ordinis Prædicatorum post magnum schisma. Vir apostolici pectoris, divinorum contemplatione et operibus pænitentiæ enutritus, verbi Dei cultor extitit fervidus et efficax dispensator. Auditoribus suadebat « ut considerarent mortem temporalem ad mortem sempiternam effugiendam ». Cortonæ obiit in Domino die 21 octobris 1445, et die 11 maii 1816 Pius VII illius cultum liturgicum concessit.

De Communi pastorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui fidéles tuos novíssima memoránte numquam peccatúros prænuntiásti, fac nos, Beáti Petri prædicatióne et exémplis, ita mortem temporálem mente recólere ut, admíssa peccáta defléntes, vitémus ætérnam. Per Dóminum.

Die 22 octobris

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ

Sollemnitas

Dedicationis anniversarium alicuius ecclesiæ ordinarie celebratur eodem recurrente die dedicationis. Cum autem dies dedicationis ignoratur, huius anniversarium in nostra liturgia ponitur celebrandum die 22 octobris, qua recolitur dedicatio ecclesiæ Tolosanæ [« les Jacobins »] (22 octobris 1385), quæ præcipua fuit inter ecclesias primævas Ordinis. Hæc ipsa ecclesia est quæ peculiari iussu papæ Urbani V (1368) delecta est pro reliquiis S. Thomæ Aquinatis asservandis — litigantibus parisiensi et neapolitana universitatibus pro earum assignatione — et in quam, demum, translatæ fuerunt (28 ianuarii 1369) atque honorifice collocatæ.

Omnia ut in Communi dedicationis ecclesiæ (LH IV, 1299). Pro opportunitate, præsertim in cantu, adhiberi etiam possunt sequentia elementa ex nostris libris liturgicis desumpta.

Ad I Vesperas

Adhiberi potest loco responsorii brevis:

RESPONSORIUM PROLIXUM

℟. Terríbilis est locus iste. Non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli: * Vere étenim Dóminus est in loco isto, Et ego nesciébam.

℣. Cumque evigilásset Iacob quasi de gravi somno, ait. * Vere. [Glória Patri. * Et ego.] [AG 16*]

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Invitatorium

Ant. Exsultémus Dómino Regi summo, * Qui suum sanctificávit tabernáculum. [AJ II 292]

Vel: Domum Dei decet sanctitúdo: * Sponsum eius Christum adorémus in ea. [LR OSB 231]

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA [**]

E Sermónibus fratris Ioánnis Tauler presbýteri

(In festo Dedicationis ecclesiæ, serm. I: Opera omnia a L. Surio Cartusiano in Latinum sermonem translata, Coloniæ-Maceratæ 1697, pp. 659-662)

In domo tua oportet me manere

Ritus omnes et exercítia extérna sanctæ Ecclésiæ quæ in huiuscémodi festis obsérvat, ómnia nos ad interiórem remíttunt dirigúntque hóminem, ubi vera semper dedicátio et innovátio vera perpétuo esse debéret: simúlque invítant nos et adhortántur ad veram nostri præparatiónem, ut Deus omnípotens perfécte in nobis convívium seu núptias celebráre queat.

In hoc dedicatiónis festo de Zachæo légimus, magnópere eum desiderásse vidére Dóminum sed non potuísse, quod *statúra pusíllus* esset, ideóque

árborem sycómorum ascendísset: ita nimírum et homo iste intímius vidére áppetit eum, qui hæc in ipso mira tempestatésque excitávit, sed ad hoc statúra brévior est et minor. Quid ergo fáciet? Nimírum *árborem* ascéndet *sycómorum,* hoc est, ómnia ea fáciet quæ iam ante díximus, puta, sensus naturámque mortificábit et hómini interióri vivet, super quem, ut audístis, Deus ámbulat. Hoc vero máxima est stultítia apud sæculi huius sapiéntes, quam numquam audíerint. At certum habetóte, caríssimi, hanc esse stultítiam quam Deus elégit. Audi ipsum Dóminum dicéntem: *Confíteor tibi Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis.*

Sed iam in árbore pósito Zacchæo, videámus quid Dóminus díxerit: *Zachæe,* inquit, *festínans descénde.* Ita prorsus descéndas hinc opórtet, id est ex ómnibus his nec pilum tibi resérves, sed descéndas in meríssimum nihil tuum, nihil posse, nihil valére tuum. *Quia,* inquit, *hódie in domo tua opórtet me manére.* Id enim necessárium est mihi. Iam si fortásse ascéndit quis in árborem et quamdam veritátis percépit irradiatiónem eámque non possédit nec próprie tamen percépit, id ídeo factum est, quod adhuc quamdam naturálem hábeat ad eiúsmodi affectiónem seu adhæsiónem, et natúra ac grátia simul adhuc in ipso operéntur et necdum veram resignatiónem adéptus sit.

Quidquid vero natúra operátur, semper quamdam máculam habet nec perfécte purum est. Huic ígitur dicit Deus ut descéndat, id est perfécte ábneget, éxeat, mortíficet natúram in modis ómnibus, in quibus áliquid habet proprietátis. *Quia* inquit *hódie in domo tua opórtet me manére.* Hoc est hódie sempitérnum. Sic et póstea dicit: *Hódie dómui huic salus facta est,* quam nobis ómnibus præstet benígnitas et cleméntia Conditóris nostri, qui est in sæcula benedíctus. Amen.

RESPONSORIUM 1 Reg 8, 28-29; Deut 26, 15

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie, ut sint óculi tui apérti et aures tuæ inténtæ * Super domum istam die ac nocte.

℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo et de excélso cælórum habitáculo. * Super domum istam.

[AJ II 226]

Vel alia:

E Sermónibus fratris Ioánnis Tauler presbýteri

(In festo Dedicationis ecclesiæ, serm. II: Opera omnia a L. Surio Cartusiano in Latinum sermonem translata, Coloniæ-Maceratæ 1697, pp. 662-665)

Domus mea, domus orationis vocabitur

Ipse nos Dóminus ac Redémptor noster instítuit edocuítque quid factu opus sit, ut eo pertingámus quo interióra nostra domus oratiónis fiant. *Templum* enim *Dei sanctum est*, ait Apóstolus, *quod estis vos.*

Dóminus inquit: *Domus mea, domus oratiónis vocábitur.* Ad oratiónem devótio requíritur. Et quid est devótio? Devótio est, quasi vovére se Deo et intus obligáre cum intentióne vel affóctu æternitátis. Dum ergo sic te Deo dévoves et óbligas, devotiónem habes, ubicúmque étiam sis aut quæcúmque bona ópera agas, cuiuscúmque illa géneris sint. Neque necessárium est ad devotiónem ut semper iúbiles aut magnam dulcédinem experiáris. Sunt ea quidem accidéntia quædam. Sed substántia vel esséntia devotiónis in hac intérna sui oblatióne vel unitióne vel obligatióne cum Deo, sita est. Hæc devótio multæ virtútis et efficáciæ est: per ipsámque aríetes ad murum applicántur, iamque in próximo est ut hómini páteat ingréssus in *regnum Dei*, quod *intra* nos *est:* e vicíno muri collabéntur.

Apud divum Hilárium tria legúntur, per quæ compéndio ad hoc regnum pervenítur: primum est fides vera, secúndum intellectuális seu rationális Dei cognítio, tértium orátio. Et quid est fides? Sane non omnes christiáni fidéles sunt; immo ut in cœmetério multi mórtui iacent, ita intra sanctam Ecclésiam perplúres sunt qui vívere vidéntur et revéra mórtui sunt. Quid ergo est, inquam, viva fides? Non áliud prorsus quam vivus quidam favor ex interióribus procédens erga Deum et quæcúmque divína sunt.

Secúndum est intellectuális seu rationális cognítio Dei. Et hæc istic in hoc regno invenítur. Non est quo te exténdas, vel hanc lóngius inquíras, o homo. Istic eam inveníre est, seipsámque revélat detegítque; hic lux ipsa lucet; hic ad regnum istud per dextrum óstium viámque rectam, non per pórticum intrátur. Qui huc pertigérunt, de illis veríssime dici potest: *Regnum Dei intra vos est;* et ipsi veritátem repériunt, ómnibus illis incógnitam qui secum domi non morántur, illísque dumtáxat notam qui illic hábitant.

Tértium, quod hic sanctus commémorat, orátio est. Quid autem est orátio? Primum quidem, ut álii tradidére, mentis est ascénsus in Deum: sed iuxta spiritaliórem seu viciniórem quemdam sensum, orátio est unitíva spíritus creáti in increátum Dei spíritum introvérsio cum propósito, quod a divinitátis æternitáte movétur.

Qui sic orant, *veri sunt adoratóres, Patrem in spíritu et veritate adoránte*s, quales et petit Pater, qui sic eum adórent, uti Dóminus inquit. Isti quæcúmque petunt, accípiunt, et invéniunt quidquid quærunt. In hac oratióne et invenítur áliquid et amíttitur. Quid, inquis, amíttitur? Templum et spíritus et ómnia ea de quibus sùpra díximus. Quo autem ista ábeunt? Nimírum in Deum profluxére, et unus cum illo spíritus facta sunt, uti beátus Apóstolus inquit:

Qui adhæret Deo, unus spíritus est. Quod quid sit quave ratióne fiat, mélius sentíri quam dici potest. Et quæcúmque hinc dicta sunt, minus sunt ad rei veritátem quam ácies acus uníus ad vastíssimum cæli orbem. Experíri id magis fáciat nos Deus. Quod nobis præstáre dignétur sublímis et adoránda Trínitas, Pater, Fílius et Spíritus Sanctus. Amen.

RESPONSORIUM Is 2, 2.3; Ps 125, 6

℟. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles: * Et vénient ad eam omnes gentes, et dicent: Glória tibi, Dómine.

℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. * Et vénient. [AJ II 293]

Ad Officium vigiliæ

Ad cantica, ant. O quam metuéndus est locus iste! Vere non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli. [AG 19*]

HYMNUS Te Deum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Mane surgens Iacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper; votum vovit Dómino: Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. [AG 22*]

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos huius sancti templi tui consecratiónis réparas diem, exáudi preces pópuli tui, et præsta ut fiat hic tibi semper purum servítium et nobis plena redémptio. Per Dóminum.

Die 25 octobris

B. PETRI GEREMIA, PRESBYTERI

Panormi [Palermo] anno 1399 natus, fervido ingenio iuris studio deditus, patre nesciente, Bononiæ studia reliquit ad Ordinem amplectendum. Fæsulis, in conventu S. Dominici, priore S. Antonino, anno 1423 vota emisit. Regulari observantiæ, in Capitulo generali anni 1426 promotæ, quam maxime fovit et optime meritus est, conventus regendo (inter quos enituit ab anno 1428 conventus ille Panormitanus a S. Zita nuncupatus), ac studium et sacram prædicationem promovendo. In Concilio Florentino, quo papa Eugenius IV anno 1439 eum advocaverat, excelsus fuit fide, eruditione et soliditate argumentorum. In Siciliam rediens Panormi constitit ibique mortuus est, die 3 martii 1452, miraculis clarus. Pius VI cultum confirmavit die 12 maii 1784. Eius corpus in ecclesia Ordinis *Pantheon* nuncupata, Panormi, honorifice colitur.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui ad errántes in viam iustítiæ revocándos et christiánam ac regulárem vitam instaurándam Beátum Petrum ineffábili grátia sublimásti, diláta quæsumus, illíus intercessióne corda nostra ut, tua caritáte fervéntes, sémitam mandatórum tuórum semper currámus. Per Dóminum.

Die 26 octobris

B. DAMIANI DE FINALBORGO, PRESBYTERI

Sæculo XV ineunte in oppido Perti in regione Finarii [Finalborgo] in Italia ortum habuit. Pauca de illo cognoscimus, at religiosi humilis, pænitentiæ prædicationi ac renovationi vitæ regularis dediti memoriam reliquit. Regii Lepidi [Reggio Emilia] obiit anno 1484 et cultum illi ab immemorabili præstitum Pius IX die 4 augusti 1848 confirmavit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui fidélium salúti procurándæ, Beátum Damiánum presbýterum mira dicéndi vi et virtútibus decorásti, præsta quǽsumus, ut eius intercessióne verbum tuum in corde bono et óptimo audiéntes, fructificándo in patiéntia retineámus. Per Dóminum.

Die 27 octobris

B. BARTHOLOMÆI DE VICENZA, EPISCOPI

Vicentiæ, in Italia, anno circiter 1200 natus « de honestis et fidelibus parentibus », Bononiæ inter Fratres Prædicatores adlectus est et a S. P. Dominico habitum accepisse traditur. Per plures annos in partibus Lombardiæ et Æmiliæ prædicationi incubuit ac pro pacis restauratione adlaboravit. Alteri translationi S. Patris Dominici anno 1267 interfuit. Cum in studio Curiæ Romanæ esset magister regens in theologia et consiliarius Papæ, ecclesiæ Nimociensi [Limassol], in insula Cypro, episcopus præfectus est anno 1253; deinde ad sedem Vicentinam translatus est (a. 1255) in qua vitam complevit. Vicentiæ ecclesiam Sacræ Corónæ erexit ad asservandam spinam Serti D. N. Iesu Christi, ipsi a sancto rege Ludovico oblatam. Obiit anno 1270. Pius VI insignem præsulem beatorum catalogo adscripsit die 11 septembris 1793, per cultus antiqui confirmationem.

De Communi pastorum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui in errántibus ad veritátis lucem adducéndis, et in pópulis ad pacem et concórdiam revocándis, Beátum Bartholomæum mirábilem effecísti, eius pia intercessióne concéde ut pax tua, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda nostra et intellegéntias nostras in Christo Iesu Dómino nostro. Qui tecum.

Die 30 octobris

B. BENVENUTÆ BOIANI, VIRGINIS

Die 4 maii anno 1255 Foriiulii [Cividale del Friuli] ortum habuit post sex sorores, gaudio recepta et « Benvenuta » vocata. Innocentiæ integritate florens, Sororibus de Pœnitentia adnumerata, plurimas pro peccatorum conversione toleravit afflictiones. Ad sepulchrum S. P. Dominici post votum sanata, impensius eius discipula effecta est, orationi et pœnitentiæ assidue intenta. Obiit die 30 octobris 1292 et cultum illi tributum Clemens XIII confirmavit die 6 februarii 1765.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Grátiam nobis, Dómine, pæniténtiæ, oratiónis et humilitátis infúnde ut, Beátæ Benvenútæ vírginis imitatióne, carnem mortificántes spíritu vívere, et cæléstia iúgiter cogitántes, in te solo Deo réquiem et glóriam inveníre possímus. Per Dóminum.

NOVEMBER

Die 1 Novembris

OMNIUM SANCTORUM

Sollemnitas

Omnia ut in Liturgia Horarum (IV, 1232). Pro opportunitate, præsertim in cantu, adhiberi etiam possunt sequentia elementa ex nostris libris desumpta.

Ad I Vesperas

Pro responsorio brevi, adhiberi potest responsorium prolixum Concéde nobis, 458, vel:

RESPONSORIUM PROLIXUM Ap 7, 13-15

℟. Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt et unde venérunt? Hi sunt, qui lavérunt stolas suas et dealbavérunt eas * In sánguine Agni.

℣. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo eius. * In sánguine Agni. [Glória Patri. In sánguine Agni.] [AG 1024]

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Iesu, coróna cælitum,
María, cæli gáudium,
Deo fruéntes Angeli,
audíte vota súpplicum.

Vos, Patriarchárum chori
vatúmque turmæ nóbiles,
vos, príncipes Apóstoli,
vos, purpuráti Mártyres,

Vos, iuncta Confessóribus
amœna castra Vírginum,
anachoretárum greges,
nostris favéte pláusibus.

Vestris enim concívibus
nostram profféssis régulam
hæc iubilántis Ordinis
dicáta sunt sollémnia.

His ínclitis paréntibus
congratulántur fílii,
illústre quos consórtium
vestri beat collégii.

Sit laus Patri cum Fílio
et utriúsque Flámini,
quos vestra felix cívitas
hymno celébrat pérpeti.

Lectio altera

E Scriptis fratris Ludovíci de Granáda presbýteri

(Introducción del símbolo de la fe: Obras, ed. J. Cuervo, t. V, Madrid 1908, p. 12)

Cognitio Dei per creaturas et per gratiam

Inter omnes constat Dei cognitiónem fontem esse et fundaméntum omnis felicitátis nostræ vel beatitúdinis. Hæc autem cognítio vera est ac germána christianórum theología, quæ ómnium scientiárum regína est ac dómina. Si enim, ut Aristóteles dicit, illa est máxima sciéntia quæ de excellentíssimis rebus tractat, quid excelléntius altiúsve Deo? Quam vero sciéntiam Deus ipse laudat per Ieremíam dicens: *non gloriétur sápiens in sapiéntia sua, et non gloriétur fortis in fortitúdine sua, et non gloriétur dives in divítiis suis, sed in hoc gloriétur qui gloriátur, scire et nosse me.* Hæc ergo cognítio altíssima diviníssima utíllima suavíssima maximéque necessá-

ria est ex sciéntiis quas intelléctus hóminis comprehéndere potest.

Hanc habent cognitiónem qui in cælo sunt beáti, quia divínam esséntiam lúcide vident; quod autem cum in hac vita fíeri non possit, ópera Dei nobis consideránda sunt, quæ ut ex eius bonitáte ac sapiéntia effécta áliquam nobis notítiam de suo fonte atque causa afferunt.

Dei ópera áltera sunt secúndum natúram, áltera secúndum grátiam. Quæ autem secúndum natúram, ópera sunt creatiónis, ad nostra córpora alénda pertinéntia; quæ vero secúndum grátiam, ad sanctificatiónem pértinent animárum. Hæc ópera cum sint multa, tamen princípium et fons unde ómnia oriúntur est redemptiónis nostræ opus.

Qua re patet hæc duo eminentíssima ópera Dómini quasi duos magnos libros nobis esse in quibus légere totam per vitam possímus, ut per ea ad cognitiónem ducámur illíus et magnitúdinis ac pulchritúdinis perfectiónum eius, quæ in istis opéribus ipsíus ut in spéculo refúlgent puríssimo: cum autem illi coniúncti adhærébimus, suavíssimam habébimus contemplatiónem, quæ verum cibum est animarúmque salus.

Responsorium

℟. Concéde nobis, Dómine, quæsumus, véniam delictórum: et intercedéntibus Sanctis, quorum hódie sollémnia celebrámus, talem nobis tríbue devotiónem, * Ut ad eórum pervenire mereámur societátem.

℣. Adiuvent nos eórum mérita, quos própria impédiunt scélera, excúset intercéssio, accúsat quos áctio: et qui eis tribuísti cæléstis palmam triúmphi, nobis véniam non déneges peccáti. * Ut ad eórum.

[AG 1004]

Ad Officium vigiliæ

Ad cantica, ant. Laudem dícite Deo nostro, omnes sancti eius et qui timétis Deum pusílli et magni: quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens. Gaudeámus et exsultémus, et demus glóriam ei. [MG 225]

Hymnus Te Deum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Beáti estis, sancti Dei omnes, qui meruístis consórtes fíeri cæléstium virtútum et pérfrui claritátis glória: ideóque precámur ut, mémores nostri, intercédere dignémini pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. [AG 1008]

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári, quæsumus ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Ad II Vesperas

Ad Magnificat, ant. Salvátor mundi, salva nos omnes, sancta Dei Génetrix Virgo semper María, ora pro nobis: précibus quoque sanctórum Apostolórum, mártyrum et confessórum atque sanctárum vírginum supplíciter pétimus, ut a malis ómnibus eruámur bonísque ómnibus nunc et semper pérfrui mereámur. [AG 1012]

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 3 novembris

S. MARTINI DE PORRES, RELIGIOSI

Festum

Ex equite hispano Ioanne et Anna Velasquez liberta nigri coloris Limæ in Peruvia anno 1579 natus, inter sanctos Martinus est testimonium populi nigri coloris dolenter in Novo Mundo humiliati. Barbitonsoris adiutor erat, cum Ordinem sancti Dominici postulavit amplecti et inter laicos conventus B. M. Virginis de Rosario Limæ adlectus fuit, ubi anno 1603 admissus est ut vota sollemnia profiteretur. Mira simplicitate, innocentia et fide præditus, humilibus deputatus muneribus, cælestibus vero donis et charismatibus a Deo exaltatus est. Erga Eucharisticum mysterium et Redemptoris passionem summa flagrans pietate, caritatis operibus in pauperes, præsertim ægrotos, et in animalia etiam, plene vixit deditus, dignus qui Fratribus cooperatoribus cælestis patronus assignaretur. Ieiunium, asperrimam pœnitentiam atque orationem, noctu præsertim sub exemplo Iesu, diligebat, ex illa hauriens lumina eius doctrinæ christianæ institutiones mirabiliter illustrantia. Die 3 novembris 1639 Limæ obiit. Gregorius XVI beatum illum declaravit anno 1837 et die 6 maii 1962 Ioannes XXIII inter sanctos adscripsit. Martinus omnium animos Americam tum septentrionalem tum meridionalem incolentium ad se allicit, non modo ob singularem humilitatem quæ per se attrahit sed quia ipsemet signum est.

De Communi sanctorum virorum: pro religiosis (LH IV, 1523), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Christum Dóminum páuperes diligéntem, veníte, adorémus.

Vel: Dóminum Deum nostrum, qui se revélat párvulis, veníte, adorémus.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

Hymnus

Te recens mundo reseráta tellus
germen effúdit Dómino venústum,
quod virens fructus redolénsque cælis
ferret amœnos.

Tu Rosæ civis, párili coróna
móribus parta níveis corúscas,
æmulus factus sociúsque honóre
primitiárum.

In Redemptórem pietáte fervens,
ímpetu Matrem vénerans amóris,
Spíritus Sancti domus esse munda
promeruísti.

Terra te plausu mérito celébrat
Prædicatórum decus atque lumen,
norma tu lucens, pius et patrónus
ómnibus esto.

Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
quæ tibi præbens súperos honóres,
det tuis nobis précibus beáta
gáudia cæli.

Psalmodia

Ant. 1 Cum facis eleemósynam nésciat sinístra tua quid fáciat déxtera tua.

Psalmi de Communi sanctorum virorum (LH IV, 1480).

Ant. 2 Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum quod vobis parátum est ab orígine mundi.

Ant. 3 Quod uni ex mínimis fecístis, mihi fecístis, dicit Dóminus.

℣. Díriget Dóminus mansuétos in iudício.
℟. Docébit mites vias suas.

LECTIO PRIOR

De libro Sirácidæ 29, 11-18; 4, 1-11

Vir bonus fidem facit pro proximo suo

Super húmilem longánimis esto et pro eleemósyna non trahas illum. Propter mandátum assúme páuperem et propter inópiam eius ne dimíttas eum vácuum. Perde pecúniam propter fratrem et amícum tuum et non abscóndas illam sub lápide in perditiónem. Pone thesáurum tuum in præcéptis Altíssimi, et próderit tibi magis quam aurum. Conclúde eleemósynam in corde páuperis, et hæc pro te exorábit ab omni malo. Super scutum róboris et super lánceam pónderis advérsus inimícum tuum pugnábit pro te.

Fili, eleemósynam páuperis ne defráudes et óculos tuos ne transvértas a páupere. Animam esuriéntem ne contristáveris et non exásperes páuperem in inópia sua. Cor ínopis ne afflíxeris et non prótrahas datum angustiánti. Rogatiónem contribuláti ne abícias et non avértas fáciem tuam ab egéno. Ab ínope ne avértas óculos tuos propter iram et non des ei locum tibi retro maledicéndi; maledicéntis enim tibi in amaritúdine ánimæ, exaudiétur precátio illíus: exáudiet autem eum, qui fecit illum.

Congregatióni affábilem te fácito et presbýtero humília ánimam tuam et magnáto humília caput tuum. Declína páuperi sine tristítia aurem tuam et redde débitum tuum et respónde illi pacífica in mansuetúdine. Líbera eum, qui iniúriam pátitur, de manu oppriméntis eum et non ácide feras in ánima tua in iudicándo. Esto pupíllis misércors ut pater et pro viro matri illórum; et eris velut fílius Altíssimi obœdiens, et miserébitur tui magis quam mater.

RESPONSORIUM Sir 29, 15; 3, 33; Lc 11, 41

℟. Abscóndite eleemósynam in sinu páuperis, et ipsa orat pro vobis ad Dóminum. * Quia sicut aqua exstínguit ignem, ita eleemósyna exstínguit peccátum.

℣. Date eleemósynam, dicit Dóminus: et ecce ómnia munda sunt vobis. * Quia sicut.

LECTIO ALTERA [****]

E Diálogo sanctæ Catharínæ Senénsis vírginis

(Cap. 7, ff. 10v-11: Trad. Lat. Ms T. II, 4, Bibliothecæ communalis Senensis)

De donorum varietate in Ecclesia

Numquam desístit ánima inflammáta mea ab ómnibus diligénda veritáte, in commúni et in génere, módicum atque satis toti univérso prodésse.

Postquam autem utilitátem áttulit propter unión nem amóris quem fecit in me, ex quo illum amat, eius dilatáto affléctu totíus orbis salúti subvéniens necessitátibus suis, conátur dum prímitus ipsi sibi profécit ex conceptióne virtútum, quibus grátiæ vitam traxit, óculum pónere in particuláribus necessitátibus proximórum. Cum hoc primum in génere fecit, ut dictum est, ex caritátis affléctu omni rationáli creatúræ, et ipse dénique propínquis subvénit secúndum diversárum número gratiárum quas sibi contribuéndas contéxi; alícui enim concédo virtútem doctrínæ, vidélicet verbi, recte sine alicúius respéctu próximo consuléndo; alícui autem exémplum vitæ: hoc debet fácere unusquísque, quod vidélicet sanctæ et honéstæ vitæ óptimam ædificatiónem debet próximo suo dare.

Hæ sunt virtútes et céteræ quam plúrimæ quas mirári non posses, quas parit diléctio proximórum, et eas tam pósui differéntes quia cunctas non exhíbui uni soli.

Alícui unam et alícui réliquam particuláriter tríbuo, quamvis unam habére non possit sine céteris,

quóniam omnes virtútes ad ínvicem sunt connéxæ, sed lárgior multas tamquam pro cápite ceterárum, vidélicet quia alícui concédam principáliter caritátem, alícui iustítiam, alícui vero humilitátem, alícui fidem vivam, alícui prudéntiam, temperántiam, patiéntiam, et alícui quandam fortitúdinem indefésam.

Et sic quam plúrima dona et virtútum grátiæ ac étiam aliórum, spirituáliter et corporáliter, distribúta sunt differénter. Corporáliter dico pro rebus in vita hóminis necessáriis: cúnctaque in tanta differéntia sum largítus quia nequáquam uni ómnia dedi, ut ex vi causam habeátis caritátem in altérutrum exercére.

Nam bene dotáre póteram hómines secúndum corpus et ánimam ómnibus opportúnis, sed ego vólui ut unus alteríus indigéret, et ut mei essent dispensatóres ad contribuéndum dona et grátias quæ a bonitáte mea ipsi recepérunt, quia velit nolit vitáre non potest homo per vim quin utátur cum próximo caritátis actu. Verúmtamen est quod si talis actus mei contemplatióne non fit, nihil quantum ad grátiam sibi prodest.

RESPONSORIUM Cf. 1 Cor 1, 9; Gal 3, 28

℟. Benedíctus Deus et Pater ómnium, qui vocávit nos in societátem fílii sui Iesu Christi Dómini nostri, * Nam idem Dóminus ómnium.

℣. Iam non est Iudæus neque Græcus, non est servus neque liber. * Nam.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Abscóndite eleemósynam, ut supra, 463 et in Appendice, 663.

Vel alia:

Ex Epístola beáti Humbérti de Romans presbýteri De reguláris observántia disciplínæ

(Opera de vita regulari, ed. J.-J. Berthier, vol. I, Romæ 1888, pp. 33-34)

Ad quid mundum relinquentes veneritis cogitate sollicite

Ut perféctius possítis, fratres caríssimi, finem attíngere quem inténditis, ad quid mundum relinquéntes venéritis cogitáte sollícite.

Voluntátes vestras frángite et mundo vos mórtuos æstimáte.

De córdibus vestris abiícite curiósas cogitatiónes, indígnas affectiónes, sinístras intentiónes, violéntas occupatiónes, tristítiam inútilem, privátum amórem et sensum útique singulárem. Illud coram óculis Dei cogitáre pertiméscite, quod in præséntia hóminum erubéscitis opéribus exercére.

Conétur ígitur quisque cor habére quod sit quasi hortus arbóribus virtútum virens, ut apothéca sanctárum affectiónum aromátibus rédolens, ut cælum divinárum illuminatiónum sidéribus fulgens, ut flos supérnum rorem suscípiens, ut arca thesáurum miríficum in se claudens, ut fons devotiónis rívulis semper manans, ut spéculum domínicam imáginem repræséntans. O beátum cor quod éxhibet se sólium in quo Deus sédeat, thálamum in quo quiéscat, sigíllum cui similitúdinem suam ímprimat, cellárium quod vino suo ímpleat, librum in quo memóriam suam scribat, aurum quod pro beneplácito suo flectat!

Conétur íterum atque íterum quisque cor habére Deo devótum, cogitatiónibus discrétum, in tentatiónibus cautum, a rancóre extráneum, a iudíciis aliénum, desidério æternórum lánguidum, amóre vulnerátum, cognitióne fúlgidum, in opéribus timorátum, contemplatióne elevátum, in bono sollícitum, contritióne scissum, mundítia sanctum, timóre custodítum et grátia decorátum.

Dénique diligentíssime studeámus, fratres, ut toto corde recedámus a peccáto, detestándo culpam; toto corde convertámur ad Dóminum, agéndo pæniténtiam; et toto corde quærámus Dóminum, suppli-

cándo véniam; toto corde adhæreámus Dómino, ipsum super ómnia diligéntes; toto corde serviámus Dómino, ipsum laudántes; toto corde sequámur Dóminum, ipsíus sémitas imitántes. Ista mérito debémus Dómino, qui benefícia præstat innúmera cordi nostro.

Ipse namque Deus corda nostra illústrat sapiéntia, gubérnat bonitáte, cibat dulcédine, invítat pulchritúdine, immútat poténtia, caritáte unit, promíssis állicit, flagéllis érudit, comminatióne cóncutit ac benefíciis emóllit.

Ipse Deus dulcíssimus corda nostra intuétur probándo, allóquitur informándo, tangit excitándo, vísitat consolándo, vivíficat iustificándo et áperit irradiándo.

De quibus ómnibus gratiárum actiónes nobis sibi referre cónvenit indefésse.

RESPONSORIUM Cf. Mt 20, 28; 1 Cor 9, 22

℟. Christi Dómini secútus exémplum, qui non venit ministrári sed ministráre, beátus Martínus, * Omnibus ómnia factus est.

℣. Cáritas eius ita in omnes abundávit, ut Martínus a caritáte vocarétur. * Omnibus ómnia.

Vel alia:

E Scriptis fratris Ludovíci de Granáda presbýteri
(Guía de pecadores, prol.: Obras, ed. J. Cuervo, t. I, Madrid 1906, pp. 6-8)

Deus liberalis est et magnificus

Dícite iusto quóniam bene: hoc est núntium quod Deus per Isaíam prophétam ad omnes iustos misit, mínimum verbis, máximum autem præmiis quæ se dicit datúrum. Solent enim hómines liberáles esse in promissiónibus, in factis angústi; Deus autem tam liberális est et magníficus, ut quantæcúmque promissiónes eius sunt, inferióres semper pro eius opéribus manent.

Quid enim brévius dici póterat quam illud: *dícite iusto quóniam bene?* Quanta vero in hoc *bene* sunt abscóndita! Puto enim hoc sine ulla explicatióne seu distinctióne eo dici, ut intélligant hómines hoc ita explicári non posse sicut revéra est, nec ista et illa bona distíngui oportére, quin étiam ómnia quæ in isto *bene* continéntur, hic infiníta láteant et imménsa.

Quaprópter ut Deus cum a Móyse interrogarétur de nómine ipsíus, respóndit dicens: *ego sum qui sum*, plura non adíciens, ut osténderet suum esse non finítum sed universále, quod omne genus esséndi continéret et omnem perfectiónem quæ sine imperfectióne ad idem esse pertinéret; ita vero hic pónitur illud tam breve verbum *bene* nulla explicatióne adiécta, ut in hoc bono comprehéndi summa illa bonórum indicarétur quæ potest cor hóminis expétere: bonum autem illud iusto Deus promíttit præmium virtútis eius.

Duo autem necessária sunt ad hóminem virtúte prædítum faciéndum: unum si talis revéra esse conátur; álterum, si quómodo talis fiat novit. Quibus de rebus tractáre cœpi quippe qui víderim plures hómines, cum virtútem laudent, vítium sequi. Mihi autem inter céteras causas una mihi vidétur quod genus et natura virtútis non intellígitur, cum ipsa quasi áspera stérilis tristis habeátur. Bene ergo is merétur de ómnibus, qui ad hanc dóminam honorándam labórat et in sedem eius regálem cóllocat eam, quippe quæ ómnium rerum regína sit ac dómina.

RESPONSORIUM Cf. Prov 14, 21; Ps 40, 2; Deut 28, 12

℟. Beátus qui miserétur egéni et páuperis, * In die mala liberábit eum Dóminus.

℣. Benedícet ei Dóminus Deus suus in cunctis ad quæ manum míserit. * In die mala.

Vel alia:

Ex Homilía Ioánnis papæ Vicésimi Tértii in canonizatióne sancti Martíni de Porres

(Homilia habita Romæ, die 6 maii 1962: AAS 54, 1962, pp. 306-309)

« *Martinus a caritate* »

[LH IV 1252]

HYMNUS Te Deum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Concórdi récolit vox pia gáudio
quo miro Dóminus gúrgite lúminis
in cælis húmilem te modo inébriat,
Martíne, o vir amábilis.

Quæ mundus túmidis præstat honóribus,
laudes, delícias, vana supérbiæ
sprevísti, cúpiens quæ Deus ínfima
excélsus bene díligit.

Ut Christi exprímeres fidus imáginem,
hæréndo súperis, vílibus óbvius,
cunctis te fámulum trádere sédulum
quæsísti sapiéntius.

Martíne, o, rédiens cælitus ádmone
ut cessent hómines nóxia prósequi
quæ sæva ambítio, fastus et árrogans
diro vúlnere súggerunt.

Summæ sit Tríadi glória pérpetim,
quam pauper, módicus tu roga et ínnocens,
ut isdem páteant ac tibi sémitis
nobis regna perénnia.

PSALMODIA

Ant. 1 Adhæsit ánima mea post te, Dómine, ut spíritus tuus hábitet in me.

Psalmi et canticum de dominica hebd. I.

Ant. 2 Confitémini Dómino, qui húmili Martíno misericórdiam suam cæléstibus donis osténdit.

Ant. 3 Omnes pópuli, tribus et línguæ, laudáte ómnium Dóminum.

LECTIO BREVIS Rom 12, 4-8

Sicut in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eúndem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter alteríus membra. Habéntes autem donatiónes secúndum grátiam, quæ data est nobis, differéntes, sive prophetíam secúndum ratiónem fídei, sive ministérium in ministrándo, sive qui docet in doctrína, sive qui exhortátur in exortándo; qui tríbuit in simplicitáte, qui præest in sollicitúdine, qui miserétur in hilaritáte.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Alter alteríus ónera portáte. * Et sic adimplébitis legem Christi. Alter.

℣. Dilígite ínvicem, quóniam cáritas ex Deo est. * Et sic adimplébitis. Glória Patri. Alter.

Ad Benedictus, ant. Benedíctus Dóminus, quia redemptiónem ómnium géntium fecit, et omnes de ténebris vocávit in admirábile lumen suum.

Vel, præsertim in cantu: Dispérsit, dedit paupéribus: iustítia eius manet in sæculum sæculi.

PRECES

Dóminum Iesum, qui multifórmi grátia sua sanctis ditat Ecclésiam, magnificémus et fidénter invocémus:

Spíritum Sanctum tuum da nobis, Dómine.

Sapiéntiam tuam, Dómine, sapiéntibus et prudéntibus abscónditam, fidélibus tuis ætérnam largíre,
— ut in simplicitáte, cum beáto Martíno, confiteántur nómini sancto tuo et glorién tur in laude tua.

Qui sanctum Martínum effecísti verbo tuo dócilem,
— præsta nobis mandáta tua fidéliter serváre, ut per Spíritum Sanctum in te maneámus et tu in nobis.

Qui, operándo mánibus tuis, dignitátem humáni labóris extulísti illíque opus evangelizatiónis addidísti,
— præsta ut nostrórum Fratrum cooperatórum número rus tua grátia augeátur in præparatiónem evangélii pacis.

Qui, sancti Martíni caritáte, páuperum inópiam sublevásti,
— doce nos ópibus nostris indigéntibus subveníre, teque in mæréntibus inveníre.

Fac, Dómine, ut regéntes populórum non ad solam suam natiónem ánimos inténdant,
— sed cunctos revereántur ac de ómnibus sint sollíciti omni discrímine remóto.

[Nunc laudes et petitiónes nostras confirmémus per oratiónem domínicam:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, qui beátum Martínum per humilitátis iter ad cæléstem glóriam perduxísti, tríbue nobis eius ita nunc pérsequi exémpla præclára, ut exaltári cum ipso mereámur in cælis. Per Dóminum.

[Formula benedictionis, 474].

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS Gal 3, 26-27

Omnes fílii Dei estis per fidem in Christo Iesu. Quicúmque enim in Christo baptizáti estis, Christum induístis.

℣. Congregávit nos in unum Christi amor.
℟. Exsultémus et in ipso iucundémur.

Ad Sextam

LECTIO BREVIS Gal 3, 28

Non est Iudæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est másculus et fémina. Omnes enim vos unum estis in Christo.

℣. Congregávit nos in unum Christi amor.
℟. Et ex corde diligámus nos sincéro.

Ad Nonam

LECTIO BREVIS Gal 5, 13-14

Vos in libertátem vocáti estis, fratres; tantum ne libertátem in occasiónem detis carni, sed per caritátem servíte ínvicem. Omnis enim lex in uno sermóne implétur, in hoc: « Díliges próximum tuum sicut teípsum ».

℣. Confitémini Dómino et invocáte nomen eius.
℟. Annuntiáte inter gentes ópera eius.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

HYMNUS

Martíne, gemma cándida
micans in aula glóriæ,
nobis adésto próferens
dilectiónis pígnora.

Tu caritátis cælitus
es forma factus éminens,
ut Christi amóris vívida
esses imágo géntibus.

Almo replétus Spíritu
ægros, egéntes, órphanos
æstu fovébas péctoris,
pater vocátus ómnium.

His ígnibus nos ímpetra
ut ferveámus ácriter,
quibus Deum propénsius
et diligámus próximos.

Perfúndat omnes cáritas
qua décidant discrímina,
pax una ubíque fúlgeat
uno redémptis Sánguine.

Sit laus Patri cum Fílio
et Spíritu Paráclito,
qui tanta nobis múnera
per te benígne cónferant.

PSALMODIA

Ant. 1 In simplicitáte cordis et æquitáte ambulávit, et invénit grátiam coram óculis Dómini.

Psalmi et canticum de Communi sanctorum virorum (LH IV, 1496).

Ant. 2 Glorificátus est in conspéctu Dómini, et Deus factus est fortitúdo eius.

Ant. 3 Cantábant sancti cánticum novum ante sedem Dei et Agni, et resonábat terra in voces illórum.

Lectio brevis 1 Cor 12, 28-31a

Quosdam quidem pósuit Deus in Ecclésia primum apóstolos, secúndo prophétas, tértio doctóres, deínde virtútes, exínde donatiónes curatiónum, opitulatiónes, gubernatiónes, génera linguárum. Numquid omnes apóstoli? Numquid omnes prophétæ? Numquid omnes doctóres? Numquid omnes virtútes? Numquid omnes donatiónes habent curatiónum? Numquid omnes linguis loquúntur? Numquid omnes interpretántur? Æmulámini autem charísmata maióra.

Responsorium breve

℟. Pax Christi dominétur in córdibus vestris. * Et grati estóte. Pax Christi.

℣. Vocáti estis in uno córpore. * Et grati estóte. Glória Patri. Pax Christi.

Ad Magnificat, ant. Magnificémus Dóminum, qui húmilem servum suum Martínum cæléstibus donis exaltávit.

Vel, præsertim in cantu: Amen dico vobis: quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis. Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum ab inítio sæculi.

Preces

Grátias agámus Deo Patri, qui exímium evangélicæ humilitátis exémplum in sancto Martíno Ecclésiæ suæ largítur, et ad eum fiduciáliter clamémus: *Simplex fac cor nostrum, Dómine.*

Adésto, Dómine, Ecclésiæ tuæ
quam sancti Martíni mirábili vita illumináti,
— eius intercessióne ipsam clarífica
ut ad páuperum salútem sincére inténdat.

Dómine Deus noster, qui tuæ benedictiónis grátia
Ecclésiam tuam semper rénovas et ditas,
— fac ut semper tua benefícia recolámus
et símplici corde grati proficiámus.
Cónsule, Dómine, iis qui discrímen ob genus,
colórem, conditiónem, sermónem aut religiónem
patiúntur,
— ut iúrium suórum et paritátis agnitiónem con-
sequántur.
Adésto, Dómine, paupéribus, órphanis, víduis
et ómnibus derelíctis,
— affer solácium ópere et labóre onerátis
despectorúmque víndica dignitátem.
Réspice propítius fratres et soróres Ordinis,
qui óperi evangelizatiónis suo labóre partícipant,
— donis tuæ dilectiónis univérsis eos adímple.
Frátribus, qui in te dormiérunt, resurrectiónem et
vitam concéde,
— nosque eis in tua glória consócia,
cum véneris glorificári in ómnibus qui credidérunt.
[Precem nostram concludámus, Deum universórum
Patrem alloquéntes verbis quæ ipse Christus Dó-
minus nos dócuit:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, qui beátum Martínum per humilitátis iter ad cæléstem glóriam perduxísti, tríbue nobis eius ita nunc pérsequi exémpla præclára, ut exaltári cum ipso mereámur in cælis. Per Dóminum.

Benedictio finalis

Præstet nobis Deus, per intercessiónem sancti Martíni, abundántiam protectiónis et grátiæ, ut in eius simus servítio devóti et mútua dilectióne sincéri.

℟. Amen.

Die 5 novembris

B. SIMONIS BALLACCHI, RELIGIOSI

Circa annum 1240 in oppido Sancti Archangeli in diœcesi Ariminensi [Rimini] in Italia natus, habitum fratris cooperatoris Arimini induit, ibique humilitate et humanitate præclarus vitam cum Christo absconditam diris pœnitentiis asperam egit pro peccatorum conversione, ad imitationem S. P. Dominici. Suavi agendi ratione enituit, præsertim erga pueros, quos christianæ vitæ rudimenta sapienter docuit. Arimini obiit die 3 novembris anno circiter 1319 et magno populi concursu aliquibus diebus honoratus fuit. Die 14 martii 1820 a Pio VII cultus illius liturgicus concessus fuit.

De Communi sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Simónem, a sæculi fastis convérsum, iugi orándi stúdio et humilitátis prærogatíva decorásti, ipsum nobis imitári concéde ut te solum quærere ac tandem in cælis promíssa humílibus præmia cónsequi valeámus. Per Dóminum.

Die 6 novembris

BB. IGNATII DELGADO, EPISCOPI, FRANCISCI DE CAPILLAS, ALFONSI NAVARRETE, PRESBYTERORUM, ET SOCIORUM, MARTYRUM IN ORIENTE

Memoria obligatoria *

Sub una celebritate, hac die, recolimus universi Ordinis Prædicatorum sodales Martyres in Oriente, quos nihil separare potuit a caritate Christi, illorum scilicet confessionem

---

* « Simul semper celebrantur quoties *eodem gradu* sunt celebrandi, etsi unus aut aliqui eorum sunt magis proprii [absque tamen die propria ipsis convenienter assignata]. Si vero unus aut aliqui ex his Beatis *gradu su-*

qui in Iaponia, in Sina et in regno Annamitarum [Viêt-nam] sæculis XVII-XVIII et XIX, pro Christi fide sanguinem suum fuderunt.

1. *In Iaponia:* annis 1614-1632, ingens passum est agmen martyrum, inter quos Alfonsus Navarrete (1617), Angelus Orsucci et Ludovicus Frarjin (1622) aliique novem fratres hispani ac centum circiter indigenæ: novitii, cooperatores, tertiarii vel sodales SS. Rosarii. Hos omnes una cum aliis qui eodem tempore ibidem passi sunt, Pius IX anno 1867 sollemniter inter beatos rettulit. Annis 1633-1637, novum ibidem agmen 16 sodalium Ordinis nostri martyrum recensetur, in quibus: Dominicus Ibañez de Erquicia et Iacobus Kyushei Tomonaga (1633), Iordanus Ansalone de Sicilia (1634) et Guillelmus Courtet (1637) cum aliis quinque presbyteris, duobus fratribus cooperatoribus, duobus mulieribus tertiariis ac tribus laicis quos inter Laurentius Ruiz protomartyr insularum Philippinarum. Hos omnes Ioannes Paulus II anno 1981 beatorum albo recensuit sollemniter in Oriente.

2. *In Sina:* annis 1648-1748, gloriose passi sunt: Franciscus de Capillas (1648), illius regionis « protomartyr », a Pio X anno 1909 inter beatos annumeratus; duo episcopi, Petrus Sanz (1747) et Franciscus Serrano, cum presbyteris Ioanne Alcober, Ioachim Royo et Francisco Diaz (1748): quos omnes Leo XIII die 14 maii 1893 inter beatos adscripsit.

3. *In Tunquino* [Viêt-nam]: annis 1745-1862, coronati sunt: Franciscus Gil de Federich et Matthæus Alonzo Leziniana (1745); Hyacinthus Castañeda et Vincentius Liem, indigenæ (1773): omnes a Pio X anno 1906 beatorum albo adscripti. Sæculo sequenti iterum nova caterva martyrum gloriosa

---

periore sunt celebrandi, Officium fit de his tantum, omissa celebratione ceterorum » (CR, n. 57).

Attamen, ubi « conveniat eos *alii diei* assignare ad modum *memoriæ obligatoriæ* » (CR, n. 57), integrum manet ius illorum, quorum interest, memoriam ipsorum Bb. Martyrum rite peragendi separatim: vel de singulis (IGLH, nn. 244. 245) suo cuique die convenienti (iuxta CR, n. 56), vel de uno alterove cœtu particulari, die magis appropriato, nempe:

— Die 15 ianuarii: Bb. Francisci de Capillas et aliorum in Sina sociorum martyrum;
— Die 12 iulii: Bb. Ignatii Delgado aliorumque in Viêt-nam sociorum martyrum;
— Die 10 septembris: Bb. Alfonsi Navarrete omniumque aliorum in Iaponia sociorum martyrum.

adstitit (1838-1840): Ignatius Delgado et Dominicus Henares, episcopi; Ioseph Fernandez, presbyter atque 23 indigenæ ad Ordinem nostrum pertinentes, presbyteri vel tertiarii, una cum reliquis sociis, quos omnes Leo XIII die 27 maii 1900 inter beatos rettulit. Adhuc Hieronymus Hermosilla et Valentinus Berrio Ochoa, episcopi, una cum catechista indigena Iosepho Khang et presbytero hispano Petro Almato pro fide occisi sunt (1861) et a Pio X anno 1906 beatorum albo adscripti. Demum Iosephus M. Diaz Sanjurjo et Melchior Garcia Sampedro, episcopi, ac 23 socii, quorum quinque ad Ordinem nostrum una aliave ratione pertinentes, martyrium subierunt ibidem (1857-1862) et a Pio XII die 29 aprilis 1951 inter beatos adscripti sunt.

De Communi plurimorum martyrum (LH IV, 1378), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Beatórum mártyrum festivitátem celebrántes, Christum Iesum, lumen géntium, veníte, adorémus.

Vel, præsertim in cantu: Veníte, adorémus Regem regum, * Qui beátis martýribus corónam dedit glóriæ.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

PSALMODIA

Pro Officio in cantu adhiberi potest hæc series antiphonarum ad Officium lectionis vel ad Laudes vel ad Vesperas.

Ant. 1 Isti sunt, qui contempsérunt vitam mundi et pervenérunt ad cæléstia regna.

Ant. 2 Hi sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Ant. 3 Sub throno Dei sancti clamant: Víndica sánguinem nostrum, Deus noster.

Lectio altera [**]

E Líttera encýclica toti Ordini Prædicatórum Magístri Antoníni Brémond, in morte Bb. Petri Sanz et sociórum

(Die 20 septembris 1748: MOPH 14, Romæ 1904, pp. 213-214)

Sectatores simus eorum

Intellígitis, fratres, quas divínæ erga nos largitáti grátias debeámus, quod ex Dominicánis alúmnis hac étiam ætáte suscitáverit atque elégerit sibi hómines dívites in virtúte, *dominántes in potestátibus*, nuntiántes in prophétis, fortes in bello, contemptóres vitæ, mortis triumphatóres, quos ludíbria et vérbera expértos, ínsuper et víncula et cárceres, *nec tribulátio et angústia, nec fames ac núditas, nec persecútio, nec gládius separáre potuérunt a caritáte Dei, sed in ómnibus superavérunt propter eum, qui diléxit nos.*

Est profécto cur iis, cur nobis ipsis gratulémur, quod *illórum nómina* iam *in cælis descripta* novum æternúmque decus fastis nostris attúlerint ac nova adiécerint nobis incitaménta virtútis. Quis enim præcláris ádeo non excitétur triúmphis, et quasi admótis stímulis sese impélli non séntiat ad eam ineúndam apostólicam viam, quam suo sánguine impréssam gloriosíssimi fratres signárunt? Nonne cor nostrum, dum hæc audímus, ardet in nobis, ut fídei zelo succénsi *eámus et nos et moriámur cum illis?*

Hæc sunt, dilectíssimi, apostolicórum hóminum vota, *hæc eórum merces magna nimis*, hæc institúti, quod profitémur, glória, a maióribus nostris parta, ab æquálibus aucta ac novíssime ad æmulándum nobis propósita.

Ergo *non efficiámur segnes, sed imitatóres eórum, qui fide et patiéntia hereditavérunt promissiónes.*

Ad propósitum nobis certámen currámus, *assuméntes gáleam salútis et gládium spíritus, succíncti lumbos in veritáte, indúti lorícam iustítiæ et calceáti pedes in præparatiónem Evangélii pacis.*

Quod si fortíssimos Christi athlétas per víncula et mortem sequi non póssumus, eórum saltem sectatóres simus in fide et caritáte, in sciéntia et longanimitáte, « servántes in simplicitáte innocéntiam, in caritáte concórdiam, modéstiam in humilitáte, in defendénda veritáte constántiam, in disciplína severitátem, ne áliquid ad recte factórum exémplum desit in nobis, *sed lúceat lux nostra coram homínibus et glorificent patrem nostrum, qui in cælis est* ».

Hæc sunt enim vestígia, quæ illi reverténtes in pátriam nobis reliquérunt, ut illórum sémitis inhæréntes sequerémur et in gáudia. Ad ea nos amantíssime invítant, ibi nos cupidíssime exspéctant, « iam de sua immortalitáte secúri et adhuc de nostra incolumitáte sollíciti ». Ad eórum conspéctum et compléxum veníre, quanta et illis et nobis in commúne erit lætítia! *Remíssas ítaque manus et solúta génua erigámus,* tantæque exspectatióne mercédis forti ánimo simus, alácriter subeúntes *momentáneum et leve tribulatiónis nostræ, quæ ætérnum glóriæ pondus operábitur in nobis.* « *Si compátimur et conregnábimus,* quod præmium non iis tantum parátum est, qui pro nómine Dómini impiórum sævítia sunt perémpti, quóniam univérsitas Deo serviéntium, sicut in Christo est crucifíxa, ita in Christo est coronánda ». Valéte, nostri sociorúmque mémores, in sacrifíciis et precatiónibus vestris.

RESPONSORIUM Cf. Sap 10, 17; Mt 25, 34

℟. Sancti mei, qui in isto sæculo certámen habuístis, * Mercédem labórum ego reddam vobis.

℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum. * Mercédem.

Vel alia:

E Lítteris beáti Valentíni de Bérrio-Ochóa, epíscopi et mártyris

(Carta a la S.da Congregación de Propaganda fide, 1-7-1859: Cartas y escritos del B. Valentín de Berrio-Ochoa, Bilbao 1951, pp. 231-233)

Redemptionis nostræ signum venerati sunt

Tunquinénsium magistrátus per vias públicas cruces et Iesu crucifíxi figúras sparsérunt, atque custódes posuérunt qui motus gestúsque viatórum observárent dum transírent per loca ubi cruces collocátæ erant. Qui autem, redemptiónis nostræ signum adverténdo, sistébat aut retrocedébat vel divertébat, pro certo testimónium fídei quam profitebátur reddébat; unde custódes mínime dubitábant illum habére tamquam Deum Dóminum Iesum, cuius imáginem venerabátur.

Eúndem ergo fidélem custos aggréditur et ad magistrátus addúcit atque omni furóris ímpetu in mansuétum crucis discípulum sævit, gravíssimas ipsi moléstias inferéndo. Quaprópter áccidit ut quamplúres christiáni qui opus habent aliménta quæréndi in áliis pagis, in própriis pagis inclúsos se contíneant, famis et miséria atróciam patiéndo pótius quam fidem suam prodant vel perículum fáciant Dóminum Iesum negándi ante conspéctum hóminum.

Porta urbis præcípuæ Nam Dinh impérvia facta est; ibi étenim non una tantum adest crux, sed multæ apud síngulas portas. In iis vero ad oriéntem, ad occásum et ad septentriónem versis, ad hunc modum collocátæ sunt ut quivis ádvena pertránsiens unam alterámve crucem necessário concúlcet.

Attamen non adsunt solæ portæ quæ christifidéli incéssum præpédiant; bene autem in cárcere tres disponúntur custódiæ, quæ síngulæ ad síngulas cruces invígilent. Divíno succurrénte auxílio, custódum

præféctus, áliter ac summus urbis rector, amíco ánimo affícitur; ideóque effécit ut, cum christiánus áliquis in vínculis deténtis aliménta affert, subláta cruce, líbero gressu incédat.

Neque hic coercétur istórum magistrátuum ódium contra Christum crucifíxum. Alios excogitavérunt modos divínum Salvatórem despiciéndi: cruces enim, cápite verso, suspendérunt in proris, in clavis et in palis naviculárum, sive piscatóres christiáni sunt, sive gentíles; quare summus magistrátus, cum per rivos divérse véhitur, Illíus áspicit imáginem, *in cuius nómine omne genu fléctitur cæléstium, terréstrium et infernórum,* undequáque et quam máxime vilipéndio et ludíbrio et vitupério fíeri.

O diem Dómini magnam et amáram valde! Quómodo nobis adventúra moram facis! O Deum et Patrem Dómini nostri Iesu Christi! *Quando pones omnes Fílii tui inimícos scabéllum pedum eius?*

Dum ergo clamámus *ad Patrem misericordiárum et Deum totíus consolatiónis,* ex tota spíritus nostri contribuláti intentióne súpplices pétimus ut *in omni vestra oratióne et obsecratióne cum gratiárum actióne,* mémores nostri sitis et ómnium qui fidem suam nobis confirmándam credidérunt; ut Deus et Dóminus noster misericórdes óculos ad nos convértat et servitútis nostræ iugum confríngat; sin minus, fidem vivíficet nostram, spem áugeat et caritátem inflámmet, péctora demum róboret nostra ita ut viríliter pugnémus ac de hóstibus triumphémus, ad sancti sui Nóminis glóriam moriéndo.

Ex parte nostra vero numquam oblivíscimur manus ad cælum sustóllere atque Deum rogáre, ut suæ grátiæ torréntes effúndat super vos et super illos qui eleemósynis suis et nos et multos nostros neóphytas susténtant.

Ultima caritátis perféctio prǽmium esto tantæ caritátis. Amen.

RESPONSORIUM Eph 6, 12. 14. 13

℟. Non est nobis colluctátio advérsus carnem et sánguinem, sed advérsus príncipes et potestátes, contra spiritália nequítiæ in cæléstibus; * State ergo succíncti lumbos vestros in veritáte.

℣. Accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, et in ómnibus perfécti stare. * State.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Per víscera misericórdiæ suæ Deus visitávit nos Oriens ex alto, et per sanctos mártyres illumináv it eos, qui in ténebris et in umbra mortis sedent.

Vel, præsertim in cantu: Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusta accépit eos in ætérnum.

Oratio

Maiestátis tuæ cleméntiam supplíciter deprecámur, omnípotens et miséricors Deus ut, sicut Unigéniti tui agnitiónem per Beatórum mártyrum Ignátii, Francísci, Alphónsi et sociórum prædicatiónem populórum Extrémi Oriéntis córdibus infudísti, ita, eórum intercessióne, fídei stabilitáte firméntur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitáti sunt in morte sua, et ídeo corónas triumpháles meruérunt.

Vel, præsertim in cantu: Si coram homínibus torménta passi sunt, spes electórum est immortális in ætérnum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 7 novembris

OMNIUM SANCTORUM ORDINIS PRÆDICATORUM

Festum

Hodierna celebritate, fideliter memoriam recolimus « illorum qui in Familia S. Dominici nos præcesserunt et conversatione exemplum, communione consortium et intercessione subsidium nobis præbent », ut « ad eorum imitationem excitemur et in spiritu nostræ vocationis roboremur » (cf. LCO, nn. 16 et 67).

Ad Invitatorium

Ant. Deum, qui in sanctis suis nos allóquitur, veníte, adorémus.

Vel, præsertim in cantu: Regem regum Dóminum, veníte, adorémus: * Quia ipse coróna sanctórum ómnium.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Supérnæ matris gáudia
repræséntat Ecclésia;
dum festa colit ánnua,
suspírat ad perpétua.

Quam felix illa cívitas,
in qua iugis sollémnitas;
et quam iucúnda cúria,
quæ curæ prorsus néscia.

Illic patres dispósiti
pro dignitáte méruiti,
semóta iam calígine,
lumen vident in lúmine.

Hi sancti quorum hódie
recenséntur sollémnia,
nunc reveláta fácie
Regem cernunt in glória.

Illic Regína vírginum,
transcéndens culmen órdinum,
excúset apud Dóminum
nostrórum lapsus críminum.

Nos ad sanctórum glóriam,
ipsórum per suffrágia,
præséntem post misériam,
perdúcat Christi grátia.

Vel hymnus Iesu, coróna cælitum, ut die 1 novembris, 456.

PSALMODIA

Ant. 1 Novit Dóminus viam iustórum, qui in lege eius meditántur die ac nocte.

Psalmus 14
Habitatio sanctorum in tabernaculo Dei

In ore ipsorum non est inventum mendacium: sine macula sunt (Ap 14, 5).

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? *
quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, et operátur iustítiam; *
qui lóquitur veritátem in corde suo,
qui non egit dolum in lingua sua, †
nec fecit próximo suo malum, *
et oppróbrium non íntulit próximo suo.

Ad níhilum reputátus est in conspéctu eius
malígnus, *
timéntes autem Dóminum glorificat.
Qui iurat in detriméntum suum et non mutat, †
qui pecúniam suam non dedit ad usúram, *
et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, *
non movébitur in ætérnum.

Ant. Novit Dóminus viam iustórum, qui in lege eius meditántur die ac nocte.

[Oratio super psalmum, 640].

Ant. 2 Admirábile est nomen tuum, Dómine, quia glória et honóre coronásti Sanctos tuos, et constituísti eos super ópera mánuum tuárum.

Psalmus 65
Opera Dei in sanctis suis

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (Act 14, 22).

I

Iubiláte Deo, omnis terra, †
psalmum dícite glóriæ nóminis eius, *
glorificáte laudem eius.
Dícite Deo: « Quam terribília sunt ópera tua. *
Præ multitúdine virtútis tuæ
blandiéntur tibi inimíci tui.
Omnis terra adóret te et psallat tibi, *
psalmum dicat nómini tuo ».

Veníte, et vidéte ópera Dei, *
terríbilis in adinventiónibus
super fílios hóminum.
Convértit mare in áridam, †
et in flúmine pertransíbunt pede; *
ibi lætábimur in ipso.
Qui dominátur in virtúte sua in ætérnum, †
óculi eius super gentes respíciunt; *
rebélles non exalténtur in semetípsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum, *
et audítam fácite vocem laudis eius;
qui pósuit ánimam nostram ad vitam, *
et non dedit in commotiónem pedes nostros.

Quóniam probásti nos, Deus; *
igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.
Induxísti nos in láqueum, *
posuísti tribulatiónes in dorso nostro.
Imposuísti hómines super cápita nostra, †
transívimus per ignem et aquam, *
et eduxísti nos in refrigérium. [Gl.]

Ant. Admirábile est nomen tuum, Dómine, quia glória et honóre coronásti Sanctos tuos, et constituísti eos super opera mánuum tuárum.

Ant. 3 Dóminus sanctis suis notam fecit viam vitæ, et adimplévit eos lætítia cum vultu suo.

II

Introíbo in domum tuam in holocáustis; *
reddam tibi vota mea,
quæ protulérunt lábia mea, *
et locútum est os meum in tribulatióne mea.
Holocáusta medulláta ófferam tibi
cum incénso aríetum, *
ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, †
et narrábo, omnes qui timétis Deum, *
quanta fecit ánimæ meæ.
Ad ipsum ore meo clamávi, *
et exaltávi in lingua mea.
Iniquitátem si aspéxi in corde meo, *
non exáudiet Dóminus.
Proptérea exaudívit Deus, *
atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, qui non amóvit oratiónem meam *
et misericórdiam suam a me.

Ant. Dóminus sanctis suis notam fecit viam vitæ, et adimplévit eos lætítia cum vultu suo.

[Oratio super psalmum, 640].

℣. Respícite ad Dóminum, et illumináminí.
℟. Et fácies vestræ non confundéntur.

LECTIO PRIOR

De Epístola beáti Pauli apóstoli
ad Romános 8, 18-30

Prædestinavit nos conformes fieri imaginis Filii sui

Fratres: Exístimo enim quod non sunt condígnæ passiónes huius témporis ad futúram glóriam quæ revelánda est in nobis. Nam exspectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei exspéctat; vanitáti enim creatúra subiécta est, non volens sed propter eum, qui subiécit, in spem, quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis in libertátem glóriæ filiórum Dei.

Scimus enim quod omnis creatúra congemíscit et compárturit usque adhuc; non solum autem, sed et nos ipsi primítias Spíritus habéntes, et ipsi intra nos gémimus adoptiónem filiórum exspectántes, redemptiónem córporis nostri.

Spe enim salvi facti sumus; spes autem, quæ vidétur, non est spes; nam, quod videt quis, sperat? Si autem, quod non vidémus, sperámus, per patiéntiam exspectámus.

Simíliter autem et Spíritus ádiuvat infirmitátem nostram; nam quid orémus, sicut opórtet, nescímus, sed ipse Spíritus interpéllat gemítibus inenarrabílibus; qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus, quia secúndum Deum póstulat pro sanctis.

Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, his, qui secúndum propósitum vocáti sunt. Nam, quos præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii eius, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus; quos autem prædestinávit, hos et vocávit; et quos vocávit, hos et iustificávit; quos autem iustificávit, illos et glorificávit.

RESPONSORIUM Cf. Ps 132, 1

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis. * Quia unus fuit semper spíritus in eis et una fides.

℣. Ecce quam bonum et quam iucúndum habitáre fratres in unum! * Quia unus.

LECTIO ALTERA [****]

Ex Epístolis beáti Iordáni de Saxónia Magístri Ordinis

(Littera encyclica, anno 1233: AFP 22, 1952, pp. 182-185)

Vestræ professionis non sitis immemores

Fíliis in Christo Iesu caríssimis, frátribus univérsis in Província Lombardíæ constitútis, frater Iordánus, eorúndem servus inútilis, salútem et spíritus fervórem.

Invítat cáritas et suádet utílitas ut, qui præsentiáliter vobis, ut vellem, me exhibére non váleo, saltem scripto qualitercúmque vos vísitem, cum opportúnitas ministrátur. Síquidem in loco peregrinatiónis nostræ, quámdiu pravum est cor hóminis, proclívum ad vítia, desidiósum et lánguidum ad virtútes, exhortatiónibus indigémus, ut frater adiuvétur a fratre et ardórem spíritus, quem própriæ neglegéntiæ tepor quotidiánus absórbet, diligéntia caritátis supérnæ inflámmet.

Hinc est, fílii mei dilectíssimi, quod omni virtúte vos precor et móneo, contéstans per eum qui suo reveréndo sánguine vos redémit et pia morte reparávit ad vitam, ut vestræ professiónis vestríque propósiti non sitis immémores, sed semitárum meminéritis antiquárum, per quas antecessóres nostri festinavérunt in réquiem in spíritu veheménti. Qui, dum hic víverent, fuérunt æmulatóres spirítuum, despectóres sui, contemptóres mundi, desideratóres

regni, fortes ad patiéntiam, voluntárii ad paupertátem, férvidi per amórem.

E quibus unum fuísse arbitrámur venerábilem et sanctæ memóriæ Patrem nostrum Domínicum, qui, dum nobíscum in carne víveret, spíritu ambulábat, desidéria carnis non solum non perfíciens, sed extínguens; victu, vestítu et móribus veram in se éxhibens paupertátem. In oratióne contínuus, in compassióne præcípuus, in lacrimárum effusióne pro fíliis, id est animárum zelo férvidus; ad áspera non remíssus, ad advérsa secúrus.

Quantus apud nos in terris éxtitit, clamábant ópera, virtútes et mirácula testabántur. Quantus et nunc máneat apud Deum, his diébus novíssimis, quibus sacrum corpus eius a loco prístinæ sepultúræ ad locum venerábilem transtúlimus, maniféstum est signis, probátum virtútibus.

Pro huiuscémodi laudándus Redémptor noster, Dei Fílius, Iesus Christus, qui talem sibi fámulum est dignátus elígere eundémque nobis patrem præfícere, cuius nos institútio reguláris infórmet et exémplum fúlgidæ sanctitátis inflámmet.

Nonnúllos per Dei misericórdiam in vobis vídeo, super quibus gáudeo et grátias ago Deo, qui pulchritúdinis stúdium habéntes colunt consciéntiam, perfectiónem exquírunt et in prædicatióne labórant, in stúdio fervent, in oratiónibus atque meditatiónibus exardéscunt, *providéntes Dóminum in conspéctu suo semper*, tamquam suárum remuneratórem et iúdicem animárum.

Vos qui tales estis, exsultáte, caríssimi, et quærite ut abundétis magis. Vos vero, qui nondum estis, date óperam, adhibéte sollértiam, ut in eo crescátis in salútem, qui vos ad perficiéndum, non ad tepescéndum vocáre dignátus est in grátiam, in qua statis, Salvátor noster bonus et pius, Dei Fílius Iesus Christus, cui est honor et impérium nunc et in ætérna sæcula sæculórum. Amen.

RESPONSORIUM

℟. Beátus Domínicus, pastor et dux ínclitus in pópulo Dei factus, Prædicatórum Ordinem instítuit méritis, ordinávit exémplis, * Nec miráculis confirmáre désiit.

℣. Loquélam mutis, visum cæcis, surdis audítum, gressum paralýticis, et sanitátem multis restítuit. * Nec miráculis.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Concéde nobis, 495 vel ut in Appendice, 663.

Vel alia:

Ex Epístola beáti Benedícti Décimi Primi papæ ad fratres Ordinis in Capítulo generáli Tolósæ coadunátos

(Romæ, 10 martii 1304: BOP II, Romæ 1730, pp. 93-94)

Palmites Christi cunctos illuminant
evangelicis documentis

Ex horto delicióso Ecclésiæ sacrosánctæ ineffábilis providéntia Conditóris, pro sui nóminis attollénda glória et salúte fidélium procuránda, præclárum Ordinem Prædicatórum diébus novíssimis inter speciósa et fecúnda plantária, quasi lignum vitæ produxit, quod supérni roris benedictióne perfúsum, sic a suis primórdiis laudabílibus increméntis successíve procéssit; sic se, divína operánte grátia, in altum provéxit; sic se longe latéque diffúdit, ut sublimitáte sua cælos pertígerit, et ad fines últimos orbis terrárum suos exténderit pálmites generósos.

Isti sunt pálmites pretiósi Christo viti veræ inhæréntes, fratres vidélicet Ordinis sancti Domínici, qui a superfluitátibus terrenórum purgáti, et

sárcinis divitiárum abiéctis, abnegavérunt salúbriter semetípsos, et ampléxi paupertátem et regulárem vitam profféssi ad convívium Regis cæléstis honóris et honestátis flores suáves et fructus úberes attulérunt.

Isti sunt elécti Christi minístri, conspícua religióne fulgéntes, et honestáte vitæ claríssimi, quos in lucem géntium Dei sapiéntiam dedísse dignóscitur, velut splendéntia sídera in Ecclésiæ firmaménto, et tamquam lucérnas ardéntes in domo Dei, illuminántes cunctos evangélicis documéntis, et spirituálibus rádiis ostendéntes mortálibus viam vitæ.

Isti sunt egrégii bellatóres, qui hostes ánimæ et inimícos sanctæ Ecclésiæ per fídei scutum, gládium spíritus et arma iustítiæ debellántes, obtinére conáti sunt, ut cathólicis univérsis virtútum augménta provéniant, via salútis peccatóribus páteat et hæréticæ pravitátis insánia destruátur.]

Considerétis ígitur, dilectíssimi nobis, et vígili attentióne pensétis præfáti Ordinis firmíssima fundaménta, duces insígnes, mílites strénuos, púgiles indefésSos, ex quibus áliqui iam ad supérnam provécti pátriam, in sanctórum número sollémniter sunt ascrípti, mensæ cæléstis convívæ, et secúri ætérnæ pátriæ possessóres. Et ideo tálium vos non degéneres, sed legítimi fílii, fidéles imitatóres esse debétis ac indesinénter eórum tuta sequi vestígia, qui vobis tam clara, tam certa religióse et ordináte vivéndi reliquérunt exémpla; et Ordinem ipsum habéntem in se perféctæ pulchritúdinis decus, divínæ et Apostólicæ Sedis cleméntia tot grátiis ditátum, sublimátum donis et privilégiis roborátum, immúnem prorsus ab omni mácula conserváre.

Verum quia proni sunt ab adolescéntia sua hóminis sensus ad malum, et indómita caro fácile vergit in culpam, summa cum diligéntia studeátis, ut inveniántur in vobis religiónis fervor, iustítiæ zelus,

iudícii rectitúdo, et in resecándis vítiis correctiónis vígeat disciplína.

In móribus vestris humílitas pretiósa respléndeat, pia devótio crescat, obœdiéntia sancta compláceat, vera patiéntia persevéret. Sitis in cunctis agéndis unánimes, caritáte concórdes, pace tranquílli, et in iis quæ reguláris requírit honéstas, coram Deo et homínibus ordináti, ut étiam a spirituálibus nequítiis sitis tuti, nec per ótii desídias cállidi hostis insídiis pateátis.

Circa stúdium doctrínæ sacræ, per quod magnum consequímini méritum et honórem, sitis assídue vígiles; et atténti prædicatiónum frequéntiæ et confessiónum audiéntiæ, ad quas estis speciáliter deputáti, diligénter et sollícite insisténdo. Et sic vitam vestram circa prædícta etália honésta, seu lícita occupétis, quod in vobis illícita locum habére non possint; totam in auctóre salútis, spei et consolatiónis vestræ, áncoram statuéntes. Porro Ecclesiárum prælátis tantam exhibeátis reveréntiam et honórem, ut eórum grátiam et benevoléntiam mérito cónsequi valeátis.

Táliter enim vobis per vitæ méritum, et áliis profícere potéritis per exémplum; táliter sémina vestra cum labóre mitténtes, reportábitis cum lætítia in cæléstem áream manípulos glorióso; táliter vobis et próximis, sicut vestram decet sanctitátem, glóriam acquirétis perpétuæ claritátis.

Responsorium Io 15, 16; Mt 5, 48

℟. Non vos me elegístis, sed ego elégi vos, et constítui vos ut eátis et fructum afferátis et fructus vester máneat, * Ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo det vobis.

℣. Estóte ígitur perfécti, sicut Pater vester cæléstis perféctus est: * Ut quodcúmque.

Vel, præsertim in cantu: Cf. Ap 7, 14

℟. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes iussa príncipum, meruérunt prǽmia ætérna: * Modo coronántur et accípiunt palmam.

℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. * Modo coronántur et accípiunt palmam.

Vel alia:

E Libéllo fratris Henríci-Domínici Lacordaire ad Ordinem Prædicatórum in Gálliam reducéndum

(Mémoire pour le rétablissement en France de l'Ordre des Frères Prêcheurs, Paris 1839, cap. III-V)

Dominicus agricola Christi

Tértio décimo sæculo in ómnibus homínibus firmíssima erat fides; Ecclésia enim societátem quam sibi conciliáverat adhuc regébat. Mens tamen Europæárum géntium sæculis et christianísmo lente elaboráta, ad adulescéntiæ discrímen appropinquábat. Visiónem quam Innocéntius papa Tértius in sómnio víderat, scílicet Ecclésiam labéntem, beátus Domínicus per orbem terrárum patefécit. Qui, existimántibus ómnibus Ecclésiam esse regínam ac magístram, proféssus est ipsam tantum servári posse si primitíva Apostolórum resúrgeret prædicátio. Beátum Domínicum — sicut olim Petrum Eremítam — discípuli secúti sunt et, sícuti plúrimi crucem suscéperant, ita prædicatóres plúrimi facti sunt.

Magístros et discípulos Universitátes Studiórum totíus Európæ contulérunt. Iordánus de Saxónia, secúndus Ordinis Magíster, plusquam mille frátribus, quos ipse ad novum huius vitæ genus attráxerat, hábitum dedit. Quinque annis, beátus Domínicus, qui ante Honórii lítteras, séxdecim tantum óperis sócios habébat, scílicet octo gállicos, septem hispános

et unum británnum, sexagínta eréxit cænóbia eléctis viris validísque iuvénibus repléta.

Hi omnes, Magístri exémplo, témpore quo Ecclésia dives erat, páuperes esse cupiébant atque ádeo páuperes ut mendicárent. Omnes, Patrem secúti, témpore quo Ecclésia regnábat, ex níhilo auctoritátem obtinére volébant nisi ex líbera deditióne méntium virtútibus. Ipsi enim non dicébant ut hærétici: « Ecclésia spoliánda est », sed eam in se ipsis spoliábant ut pópulis puram sicut a princípio osténderent.

Deum diligébant, profécto diligébant, super ómnia diligébant; et próximum diligébant sicut semetípsos et plusquam semetípsos: in corde enim vulnus illud recéperant quod sanctos omnes ad loquéndum indúcit. Prætérque hoc méritum ánimæ ardéntis sine quo numquam ullus orátor fuit. Frátribus Prædicatóribus sagácitas magna fuit discernéndi quale prædicatiónis genus eórum témpori conveníret.

Nonnúllos nominátim próferam ex his quos nulla umquam delébit oblívio. Inter hos, tértio décimo sæculo, est beátus Hyacínthus, septentrionális regiónis apóstolus, cuius sémitam sequi póssumus monastériis quæ in itínere condébat; beátus Petrus de Veróna, qui exácto longo vitæ apostólicæ cursu, sicariórum telo confóssus in aréna sánguine vúlnerum prima verba Apostolórum símboli conscrípsit: *Credo in Deum*. Quarto décimo sæculo Henrícus Seuze, amábilis svevus iúvenis, tam felíciter prædicábat ut inimíci ánimam eius prétio péterent; eódem témpore, frater Ioánnes Tauler, Colóniæ et in tota Germánia, acclamabátur.

Addo beátum Vincéntium Ferrer qui, quinto décimo sæculo, Hispános, Gállicos, Itálicos, Germános, Británnos, Scotos et Hibérnos evangelizávit, illúmque Hyerónimum Savonaróla, qui, inter pópulum beneficiórum immémorem, vivus adústus est, inú-

tili sævítia, cum eius virtus et glória flammam rogi superáverint. Paulus papa Tértius declarávit se hæréseos suspéctos iudicatúrum esse omnes qui Savonaróla accusáverint.

Thomam Aquinátem addo, qui Ecclésiæ Cathólicæ doctor claríssimus cito factus est; fratrem Angélicum, de quo Michaelángelus dixit néminem posse illas fácies píngere nisi prius in cælo vidísset; Bartholomæum Las Casas ceterósque.

Custódiant ista veneránda nómina qui illa novérunt et ínvocant, et hanc imménsi Ordinis adumbratiónem absolvámus laudes colligéndo, quas canébat, sæculo décimo quarto, unus ex máximis christiánis poétis, Divínæ Comœdiæ celebérrimus vates:

« Vocátus est Domínicus, illúmque agrícolam dico, quem elégit Christus in horto suo cooperatórem. Doctrína simul et voluntáte officióque apostólico, quasi torrens ab altis fóntibus premens, írruit. Ex illo defluxérunt plures rívuli, quibus cathólicus hortus irrigátur ».

RESPONSORIUM

℟. Concéde nobis, Dómine, quæsumus, véniam delictórum: et intercedéntibus Sanctis, quorum hódie sollémnia celebrámus, talem nobis tríbue devotiónem, * Ut ad eórum pervenire mereámur societátem.

℣. Adiúvent nos eórum mérita, quos própria impédiunt scélera, excúset intercéssio, accúsat quos áctio: et qui eis tribuísti cæléstis palmam triúmphi, nobis véniam non déneges peccáti. * Ut ad eórum.

Vel alia:

E Tractátu De mýstica evolutióne fratris Ioánnis Arintero presbýteri

(Ed. Fr. S.-M. Lozano: BAC 91, Madrid 1952, pp. 793-798)

Per novos sanctos et prophetas in Spiritu Ecclesiæ sanctitas crescit

Mýsticus progréssus unus veréque integrális progréssus est. Reápse enim in eo únice natúra ad suárum perfectiónum plenitúdinem pertíngit, simul ac divínis splendóribus provéhitur. Est vitæ ac vírium contínuus profectus, in quo per ómnia proficiéndo iuxta merum exémplar ad *viri perfécti statúram* pertíngere possímus.

Procul dúbio nonnúlli arbitrántur, licet ómnia Ecclésiæ membra singulátim créscere opórteat in vita seu, quod idem est, in virtúte et sanctitáte, Ecclésiam tamen non posse, quantum ad hoc, créscere neque ex hoc ipso mýstice evólvi, quóniam iam ab inítio *sancta;* nec putándum esse illam numquam maióres habére sanctos vel charísmata crebrióra illis quæ tunc adépta est. Attamen si crescit quidem in unitáte et catholicitáte, quamvis semper *una* et *cathólica* fúerit, virtuáliter saltem, sine dúbio et in toto créscere debet, quia contínuo eam opórtet magis magísque ædificári.

Quæ ædificátio præcípue *in caritáte* perfícitur ac, per cónsequens, in sanctitáte et iustítia. Optima vero christiána spécies et forma nulla circumscrípta perféctio est nisi vera « deificátio » seu máxima cum Deo únio et similitúdo. Ideo nos aliquómodo identificári cum ipsa eius infiníta sanctitáte niti debémus eiúsdem Spirítui consentiéntes, ita ut eius sanctificatiónis Spíritus nos plene possídeat atque Verbo Patris hómini facto pénitus configúret.

Pro maióre membrórum cópia, qui táliter agéntes vere sanctificári conténdunt, vita integrális, ut par est, succréscit ac per hoc ipsa vera sánctitas totíus mýstici córporis. Huiúsmodi perduránte progréssu, sanctórum perféctio magis magísque perfícitur in eórum ministérii ópere, atque in isto vitæ árbore novi suavésque fructus sanctificatiónis edúntur et ad maturitátem perducúntur. Itaque ásseri

quidem potest novam sanctitátis formam in quólibet novo sancto apparére, simúlque vero in ómnibus illis in unum coniúnctis magis in dies compléri manifestatiónem thesaurórum virtútis et vitæ, qui in Christo includúntur. Inde sanctórum ómnium celébritas valde gloriósa exstat, quátenus occúltam interióris Iesu vitam manifféstat extérius; quæ quidem sanctórum ómnium perfectiónis excelléntia nihil áliud est nisi redundántia eiúsdem Spíritus, qui effúsus est in illis.

[Sic liquet quómodo ínteger Ecclésiæ organísmus *per ómnia crescit* in illo, qui est caput Christus. Nec súfficit inde assérere numquam habéri posse áliquos sanctos primitívis maióres, neque áliquid quod Christo comparári posset, vel beátæ Vírgini aut Apóstolis vel primis discípulis, ad inferéndum Ecclésiam in sanctitáte non prógredi neque mýstico profféctu evólvi. Hoc esset contráhere ad principalióra tantum vel embrionália membra eius ipsum perlúcidum Ecclésiæ corpus mýsticum, adúltum sane ac firmum, in complúrimis eius órganis et in univérsa eius varietáte et functiónum pulchritúdine.]

Christus autem, únicus Ecclésiæ institútor, huius mýstici córporis Caput éxstitit et est, qui illud regit et órdinat et in unitáte consérvat; qui vires et grátias distríbuit ac pro eius prosperitáte vígilat; qui próprio quoque Spíritu ipsum vivíficat et ad profféctum impéllit ut crescat in toto. Ipse nobíscum manet *hódie* sicut et *heri* atque *semper* permanébit, iuxta eius promissiónem: *Vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sæculi.* Equidem ipse est qui soliditátem tríbuit firmíssimo Apostolórum fundaménto, qui tamen nec totam turrim seu Dómini domum constítuunt nec totum quidem fundaméntum: nam una cum ipsis omnes étiam novi apóstoli et prophétæ in Spíritu, supra angulárem lápidem ei firmaméntum áfferunt.

[Ecclésia vero, úsquedum id évenit, semper augé-

scens progréditur *in sanctitáte et iustítia coram Deo ómnibus diébus*, Ipso dirigénte *pedes nostros in sémitas pacis*, seu sanctitátis et perfectiónis. In istis vero sémitis nullam áliam régulam, aut lucem, aut fidúciam áliam possidémus, nisi divínum Magístrum, qui est *via, véritas et vita;* neque ullum álium términum nostris gréssibus præfíxum habémus, nisi ipsam Patris cæléstis perfectiónem. Hæc in illo exemplári incarnáta invenítur, qui *splendor est glóriæ eius et figúra substántiæ ipsíus, cuius glóriam vídimus quasi* veri *Unigéniti, plenum grátiæ et veritátis*, et *de cuius plenitúdine nos omnes accépimus*, úsquedum sanctórum perféctio consummétur in opéribus ministérii eórum et totum corpus plene connéxum seu ædificátum *in caritáte* consístat.]

RESPONSORIUM Eph 4, 15-16; 1 Petr 2, 4-5

℟. Veritátem faciéntes in caritáte, crescámus in illo per ómnia, qui est caput Christus: * Ex quo totum corpus compáctum, in mensúram uniuscuiúsque membri, augméntum facit in ædificatiónem sui in caritáte.

℣. Ad Dóminum accedéntes, lápidem vivum a Deo eléctum, et ipsi tamquam lápides vivi superædificámini domus spiritális, per Iesum Christum. * Ex quo.

Vel, præsertim in cantu: Ap 7, 14

℟. Lavérunt stolas suas, et cándidas eas fecérunt, * In sánguine Agni.

℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas. * In sánguine.

Ad Officium vigiliæ

Pro celebratione Vigiliæ protractæ hic adduntur cantica et Evangelium proprium ut in Appendice, 649.

HYMNUS Te Deum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Salvéte, cedri Líbani,
plantæ viréntes Ordinis,
quæ prata nunc cæléstia
implétis almo gérmine.

Vos Trinitátis glória
ætérna circumpléctitur,
vos aura Matris Vírginis
mulcet piis favóniis.

Vos Angelórum cúriæ
cingunt choréa pérpetim,
et írrigant puríssimi
æternitátis rívuli.

O ínclitæ propágines,
vestros iuváte fílios,
in valle mæsta débiles
nos roboráte súrculos.

Sit laus Patri cum Fílio,
simúlque dulci Flámini,
læti quibúscum vívitis
in sempitérno lúmine.

PSALMODIA

Deprecemur misericordiarum patrem, ut illo nos regente spiritu, quo filii Dei aguntur, per terminos, quos posuerunt patres nostri, ad eandem metam perpetuæ felicitatis nos quoque indeflexo tramite pertingere mereamur (B. Iordanus de Saxonia).

Ant. 1 Hæc est generátio quæréntium Dóminum, quæréntium fáciem Dei Iacob.

Psalmi et canticum de dominica hebd. I.

Ant. 2 Gaudent in cælis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo regnant in ætérnum.

Ant. 3 In civitáte Dómini clare sonant iúgiter órgana sanctórum: ibi Angeli et Archángeli hymnum decántant ante thronum Dei, allelúia.

LECTIO BREVIS 1 Io 1, 5-7

Hæc est annuntiátio, quam audívimus ab eo et annuntiámus vobis, quóniam Deus lux est, et ténebræ in eo non sunt ullæ. Si dixérimus quóniam communiónem habémus cum eo et in ténebris ambulámus, mentímur et non fácimus veritátem; si autem in luce ambulémus, sicut ipse est in luce, communiónem habémus ad ínvicem, et sanguis Iesu Fílii eius mundat nos ab omni peccáto.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Sancti et iusti * In Dómino gaudéte. Sancti.
℣. Vos elégit Deus in hereditátem sibi * In Dómino gaudéte. Glória Patri. Sancti.

Ad Benedictus, ant. Benedíctus Deus, qui elégit nos, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu eius in caritáte.

Vel, præsertim in cantu: Dóminus, Deus Israel, eréxit cornu salútis nobis in domo Domínici púeri sui, ut serviámus illi in sanctitáte et iustítia coram ipso ómnibus diébus nostris.

PRECES

Laudes dicámus Deo Patri, qui nos vocávit in sortem sanctórum in lúmine: *Tu solus sanctus, Dómine.*

Sol iustítiæ, Deus, quo beátus Pater Domínicus collustrátus in terra modo refúlget in cælis:
— tibi cum eo læti grátias ágimus.

Omnis sanctitátis fons, qui in sanctis frátribus nostris atque soróribus exímium suscitásti veritátis amórem, Christo crucifíxo conformitátem et salútis animárum sitim:
— propter insértum nobis propósitum eos imitándi grates tibi repéndimus.

Præcláram tuam osténdis in sanctis frátribus sapiéntiam atque voluntátem omnes hómines salvos faciéndi:
— propióres iam illis effécti eos honorándo, laudes tibi cum ipsis cánimus.

Fratres nostros, quos in mundo tibi testes fecísti, benígnus réspice:
— propter eórum fortem et constántem ánimum, grátias tibi persólvimus.

Propter cunctos fratres et soróres, quos adveniéntis regni tui prænúntios consecrásti,
— glorificámus te, Dómine.

[Qui fratres et membra Christi sumus, verbis primogéniti et cápitis utámur, una voce dicéntes:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, omnis perfectiónis exémplar, qui Ecclésiam tuam, in ædificatiónem Córporis Christi, váriis semper donis sanctitátis exórnas, concéde quæsumus ut, sanctórum famíliæ nostræ sectántes vestígia, eórum quoque tandem communióne fruámur ætérna. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas, 508.

[Formula benedictionis, 508].

Ad Horam mediam

Psalmi de feria currente, vel psalmodia complementaris.

Ad Tertiam

Ant. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

LECTIO BREVIS Rom 8, 16-17

Ipse Spíritus testimónium reddit una cum spíritu nostro quod sumus fílii Dei. Si autem fílii, et herédes: herédes quidem Dei, coherédes autem Christi; si tamen compátimur, ut et conglorificémur.

℣. Gaudéte et exsultáte, omnes sancti.

℟. Quóniam merces vestra copiósa est in cælis.

Ad Sextam

Ant. Beáti pacífici, beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

LECTIO BREVIS Col 3, 12-13

Indúite vos sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, patiéntiam; supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis si quis advérsus áliquem habet querélam; sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos.

℣. Congregávit nos in unum Christi amor.

℟. Exsultémus et in ipso iucundémur.

Ad Nonam

Ant. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

LECTIO BREVIS Eph 4, 15

Veritátem faciéntes in caritáte crescámus in illum per ómnia, qui est caput Christus.

℣. Fratres nostri accepérunt corónam vitæ.

℟. Quam repromísit Deus diligéntibus se.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

Hymnus

Textus congruus, vel Supérnæ matris gáudia, ut ad Officium lectionis, 483, vel Iesu, coróna cælitum, ut die 1 novembris, 456.

Psalmodia

Ant. 1 Vos, qui reliquístis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis et vitam ætérnam possidébitis.

Psalmus 88, 2-19

Decor virtutis sanctorum Dominus

Ducit nos Spiritus Sanctus ad singula quæ in lumine facienda sunt opera (S. Cyrillus Alexandrinus).

Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo, *
in generatiónem et generatiónem
annuntiábo veritátem tuam in ore meo.
Quóniam dixísti: †
« In ætérnum misericórdia ædificábitur », *
in cælis firmábitur véritas tua.

« Dispósui testaméntum elécto meo, *
iurávi David servo meo:
Usque in ætérnum confirmábo semen tuum, *
et ædificábo in generatiónem et generatiónem
sedem tuam ».

Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine, *
étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.
Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino, *
símilis erit Dómino in fíliis Dei?
Deus, metuéndus in consílio sanctórum, *
magnus et terríbilis super omnes
qui in circúitu eius sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? *
Potens es, Dómine, et véritas tua in circúitu tuo.
Tu domináris supérbiæ maris, *
elatiónes flúctuum eius tu mítigas.

Tu conculcásti sicut vulnerátum Rahab, *
in brácchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cæli, et tua est terra, *
orbem terræ et plenitúdinem eius tu fundásti.
Aquilónem et Austrum tu creásti, *
Thabor et Hermon in nómine tuo exsultábunt.
Tibi brácchium cum poténtia; *
firma est manus tua, et exaltáta déxtera tua.
Iustítia et iudícium firmaméntum sedis tuæ. *
Misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam.

Beátus pópulus qui scit iubilatiónem; *
Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt,
et in nómine tuo exsultábunt tota die, *
et in iustítia tua exaltabúntur.
Quóniam decor virtútis eórum tu es, *
et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.
Quia Dómini est scutum nostrum, *
et sancti Israel rex noster.

Ant. Vos, qui reliquístis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis et vitam ætérnam possidébitis.

[Oratio super psalmum, 640].

Ant. 2 Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum a constitutióne mundi.

Psalmus 97
Iustitia Domini in sanctis eius

Qui credit in Christum cum interius fuerit sanatus, in novum hominem reformatur ... et caro ista mortalis recipiet et ipsa suam perfectissimam sanitatem (S. Augustinus).

Cantáte Dómino cánticum novum, *
quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera eius, *
et brácchium sanctum eius.

Notum fecit Dóminus salutáre suum, *
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
Recordátus est misericórdiæ suæ *
et veritátis suæ dómui Israel.
Vidérunt omnes términi terræ *
salutáre Dei nostri.

Iubiláte Deo, omnis terra, *
erúmpite, exsultáte et psállite.
Psállite Dómino in cíthara, *
in cíthara et voce psalmi;
in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ, *
iubiláte in conspéctu regis Dómini.

Sonet mare et plenitúdo eius, *
orbis terrárum et qui hábitant in eo.
Flúmina plaudent manu, †
simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini, *
quóniam venit iudicáre terram.
Iudicábit orbem terrárum in iustítia *
et pópulos in æquitáte.

Ant. Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum a constitutióne mundi.

[Oratio super psalmum, 641].

Ant. 3 In Fílio suo elégit nos Deus in laudem glóriæ grátiæ suæ.

Vel, præsertim in cantu: Redemísti nos, Dómine Deus, in sánguine tuo ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne: et fecísti nos Deo nostro regnum.

Canticum Col 1, 12-20

Christus primogenitus omnis creaturæ et primogenitus ex mortuis

Grátias agámus Deo Patri, *
qui dignos nos fecit
in partem sortis sanctórum in lúmine,

qui erípuit nos de potestáte tenebrárum *
et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ,
in quo habémus redemptiónem
per sánguinem eius, *
remissiónem peccatórum.

Qui est imágo Dei invisíbilis, *
primogénitus omnis creatúræ;
quóniam in ipso cóndita sunt univérsa †
in cælis et in terra, *
visibília et invisibília,
sive throni sive dominatiónes *
sive principátus sive potestátes:

ómnia per ipsum et in ipso creáta sunt, †
et ipse est ante omnes, *
et ómnia in ipso constant.

Et ipse est caput córporis Ecclésiæ, †
qui est princípium, primogénitus ex mórtuis, *
ut sit in ómnibus ipse primátum tenens;

quia in ipso complácuit
omnem plenitúdinem inhabitáre, *
et per eum reconciliáre ómnia in ipsum,
pacíficans per sánguinem crucis eius *
sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt.

Vel, ad libitum, canticum Eph 1, 3-10, 320.

Ant. In Fílio suo elégit nos Deus in laudem glóriæ grátiæ suæ.

Vel, præsertim in cantu: Redemísti nos, Dómine Deus, in sánguine tuo ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne: et fecísti nos Deo nostro regnum.

[Oratio super canticum, 641].

Lectio brevis — Phil 1, 3-5a. 7-8

Grátias ago Deo meo in omni memória vestri, semper in omni oratióne mea pro ómnibus vobis cum gáudio deprecatiónem fáciens, super communióne vestra in Evangélio; sicut est mihi iustum hoc sentíre pro ómnibus vobis, eo quod hábeam in corde vos, et in vínculis meis et in defensióne et confirmatióne Evangélii sócios grátiæ meæ omnes vos esse. Testis enim mihi Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Christi Iesu.

Responsorium breve

℟. Hæc est vera fratérnitas * Quæ Christi amóre vicit sæculi ténebras. Hæc est.
℣. Inclita tenens regna cæléstia. * Quæ Christi amóre. Glória Patri. Hæc est.

Ad Magnificat, ant. Christi pia grátia sanctos sublimávit quos Patris Domínici Ordo propagávit: nos eórum méritis pétimus iuvári, atque suis précibus Deo commendári.

Vel, præsertim in cantu: Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo, qua in terris mícuit fratrum multitúdo.

Preces

Oculis in cælum sublevátis et concórdi cum beátis frátribus voce Dóminum flagitémus.
Sancti simus, quia tu sanctus es.

Cum beáta María Vírgine, Fílii tui matre,
cuius tutélæ Ordinem Prædicátorum commisísti,
verba tua auscultáre vólumus:
— ítaque da nobis, Dómine, cor húmile et atténtum.

Cum beáto Domínico, Patre nostro, cui verbi ministérium contulísti, evangélium regni mundo nuntiáre inténdimus:
— vitam ígitur nostram fac verbo tuo confórmem.

Cum frátribus nostris martýribus,
qui córpora tibi hóstiam vivéntem exhibuérunt,
testimónium tibi réddere vólumus:
— præsta nobis ut crucem parátam
quotídie fórtiter portémus.
Cum frátribus et soróribus nostris
post fructuósam vitam ædes tuas ingréssis
sperámus ad cænam ætérnam admítti:
— fac ut spes nostra non confundátur.
Cunctis famíliæ nostræ sodálibus et benefactóribus defúnctis
— benígnus tríbue ut in ætérnum apud te máneant.
[Spíritu Christi, quo clamámus « Abba Pater », Christi oratiónem dicámus:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, omnis fons sanctitátis, qui Ecclésiam tuam váriis sanctórum Ordinis Prædicatórum donis ditáre dignátus es, da nobis ita eórum sequi vestígia, ut quos hódie sub una celebritáte venerámur in terris, iis perpétua tandem festivitáte associémur in cælis. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas, 501.

Benedictio finalis

Deus, glória et exsultátio Sanctórum, benedícat vos benedictióne perpétua, qui vobis hodiérna trí-buit celebráre sollémnia.
℟. Amen.

Vel:

Consepúlti cum Christo per baptísmum in mortem et conresuscitáti cum ipso, concédat nobis Deus ut in novitáte vitæ ambulémus.
℟. Amen.

Die 8 novembris

ANNIVERSARIUM OMNIUM FRATRUM ET SORORUM DEFUNCTORUM O. P.

Ordo noster, baptizatorum populus qui apostolico munere mancipati ad Deum progrediuntur, celebrata heri gloriosa festivitate fratrum et sororum qui plene gloriæ Christi sociati in cælis congaudent, hodierna celebratione de illis commemorationem agit qui hac vita functi nos præcesserunt cum signo fidei, ad illos suffragandos hoc communi anniversario.

Omnia, ut in Officio defunctorum (LH IV, 1545), præter sequentia. Si in dominica occurrit, etsi Missa fit de illa, celebrari potest Officio vel Vigilia seu celebratione verbi Dei pro defunctis, Missa vero die proximiore libero.

Ad Officium lectionis

LECTIO PRIOR

De libro Lamentatiónum 3, 17-26

Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei

Repúlsa est a pace ánima mea, oblítus sum bonórum. Et dixi: « Périit splendor meus et spes mea a Dómino ». Recordáre paupertátis et peregrinatiónis meæ, absínthii et fellis. Memória memor est, et tabéscit in me ánima mea. Hæc récolam in corde meo, ídeo sperábo. Misericórdiæ Dómini, quia non sumus consúmpti, quia non defecérunt miseratiónes eius. Novæ sunt omni mane, magna est fides tua. « Pars mea Dóminus, dixit ánima mea; proptérea exspectábo eum ». Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærénti illum. Bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dómini.

RESPONSORIUM

℟. Qui Lázarum resuscitásti a monuménto fœtidum: * Tu eis, Dómine, dona réquiem et locum indulgéntiæ.

℣. Qui ventúrus es iudicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. * Tu eis.

Vel aliæ lectiones biblicæ, in Liturgia Horarum (IV, 1549) et in Ordine Exsequiarum Romano (nn. 83-107).

LECTIO ALTERA [****]

E Libro de mortalitáte sancti Cypriáni, epíscopi et mártyris (Nn. 20-22, 26: PL 4, 596-597; 601-602)

Non sunt lugendi fratres nostri

Nobis quoque ipsis mínimis et extrémis quóties revelátum est, quam frequénter atque maniféste de Dei dignatióne præcéptum est ut contestárer assídue et públice prædicárem fratres nostros non esse lugéndos accersitióne Domínica de sæculo liberátos, cum sciámus non eos amítti sed præmítti, recedéntes præcédere, ut proficiscéntes, ut navigántes solent, desiderári eos debére, non plangi, nec accipiéndas esse hic atras vestes, quando illi ibi induménta alba iam súmpserint, occasiónem dandam non esse gentílibus ut nos mérito ac iure reprehéndant quod, quos vívere apud Deum dícimus, ut extínctos et pérditos lugeámus, et fidem quam sermóne et voce deprómimus cordis et péctoris testimónio non probémus. Spei nostræ ac fídei prævaricatóres sumus; simuláta, ficta, fucáta vidéntur esse quæ dícimus. Nihil prodest verbis præférre virtútem et factis destrúere veritátem.

Increpat dénique apóstolus Paulus et obiúrgat et culpat si qui contristéntur in excéssu suórum: *Nólumus*, inquit, *ignoráre vos, fratres, de dormiéntibus, ut non contristémini sicut et céteri qui spem non habent. Si enim crédimus quia Iesus mórtuus est et resurréxit, sic et Deus eos qui dormiérunt in Iesu addúcet cum illo.* Eos contristári dicit in excéssu suórum qui spem non habent.

Qui autem spe vívimus et in Deum crédimus et Christum passum esse pro nobis et resurrexísse confídimus, in Christo manéntes, et per ipsum atque in ipso resurgéntes, quid aut ipsi recédere istinc de sæculo nólumus, aut nostros recedéntes quasi pérditos plángimus ac dolémus, ipso Christo Dómino et Deo nostro monénte ac dicénte: *Ego sum resurréctio*

et vita. Qui credit in me, licet moriátur, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non moriétur in ætérnum. Si in Christum crédimus, si fidem verbis et promíssis eius habémus, et non mórimur in ætérnum, ad Christum, cum quo et victúri et regnatúri semper sumus, læta securitáte veniámus.

Quod ínterim mórimur, ad immortalitátem morte transgrédimur; nec potest vita ætérna succédere, nisi hinc contígerit exíre. Non est éxitus iste, sed tránsitus et temporáli itínere decúrso ad ætérna transgréssus. Quis non ad melióra veníre festínet? quis non mutári et transformári ad Christi spéciem et ad cæléstis glóriæ dignitátem veníre cítius exóptet? Paulo apóstolo prædicánte et dicénte: *Nostra autem conversátio,* inquit, *in cælis est, unde et Dóminum exspectámus Iesum Christum, qui transformábit corpus humilitátis nostræ conformátum córpori claritátis suæ.*

Amplectámur diem qui assígnat síngulos domicílio suo, qui nos istinc eréptos et láqueis sæculáribus exsolútos paradíso restítuit et regno. Quis non péregre constitútus properáret in pátriam régredi? quis non, ad suos navigáre festínans, ventum prósperum cupídius optáret, ut velóciter caros licéret amplécti?

Pátriam nostram paradísum computámus. Magnus illic nos carórum númerus exspéctat, paréntum, fratrum, filiórum frequens nos et copiósa turba desíderat, iam de sua incolumitáte secúra, et adhuc de nostra salúte sollícita. Ad hos, fratres dilectíssimi, ávida cupiditáte properémus, ut cum his cito esse, ut cito ad Christum veníre contíngat optémus.

Responsorium 1 Th 4, 13-14; Ier 22, 10

℟. De dormiéntibus non contristémini, sicut et céteri qui spem non habent: * Si enim crédimus quod Iesus mórtuus est et resurréxit, ita et Deus eos qui dormiérunt per Iesum addúcet cum eo.

℣. Nolíte flere mórtuum, neque lugeátis super eum fletu. * Si enim crédimus.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Salvatórem exspectámus ut in Appendice, 664.

Vel alia:

Ex Actibus canonizatiónis sancti Patris Domínici
(Nn. 7-8: MOPH 16, Romæ 1935, pp. 127-130)

Testimonium fratris Venturæ Veronensis de morte sancti Patris Dominici

Circa finem mensis iúlii anno millésimo ducentésimo vigésimo primo, fuit revérsus de cúria Dómini Ugónis tunc témporis Hostiénsis epíscopi et Apostólicæ Sedis legáti, qui erat Venétiis. Et rédiit ipse frater beátus Domínicus valde lassus, quia magnus calor erat. Et licet sic fatigátus esset, locútus fuit cum ipso teste, qui tunc erat novus prior, et fratre Rodúlfo usque ad magnam partem noctis de facto Ordinis. Et dum iste vellet dormíre, rogávit dictum fratrem beátum Domínicum, quod iret ad dormiéndum et non súrgeret in nocte ad Matutínum, sed ipse non acquiévit précibus istíus, sed intrávit in ecclésiam et pernoctávit in oratióne. Et nihilóminus intérfuit ad Matutínum, sicut audívit a frátribus et ab eódem fratre Domínico.

Et post Matutínum audívit a frátribus, quod ei dolébat caput. Et ex tunc cœpit languére manifésteé de illa ægritúdine, de qua migrávit ad Dóminum. Dum iacébat in ipsa ægritúdine, nóluit iacére in lecto, sed in saccóne, et faciébat vocári ad se fratres novítios et dulcíssimis verbis et álacri stúdio consolabátur eos et hortabátur ad bonum. Et ita patiénter sustinébat illam ægritúdinem et étiam álias, quod videbátur semper esse hílaris et iucúndus.

Dum gráviter infirmarétur, fecérunt eum portáre ad Sanctam Maríam in Monte, qui erat sánior locus. Et cum créderet se mori, vocávit istum priórem et fratres. Et ivérunt illuc fere vigínti fratres cum dicto prióre. Et cum essent circa eum, ipse sic iacén-

do cœpit prædicáre eis et fecit eis valde bonum sermónem et compunctívum, et sicut credit tunc inunxérunt eum.

Et audívit tunc a quibúsdam, quod mónachus, qui erat tunc rector in dicta ecclésia, dixit, quod si morerétur ibi non permítteret eum asportári, sed fáceret eum sepelíri ad dictam ecclésiam. Sed cum ipse testis retulísset illa prædícto fratri beáto Domínico, ipse frater beátus Domínicus respóndit: « Absit, quod ego sepéliar, nisi sub pédibus fratrum meórum. Portáte me extra, ut ego móriar in via illa, ut possítis me sepelíre ad ecclésiam illam nostram ». Et tunc suméntes reduxérunt eum Bonóniam ad ecclésiam Sancti Nicolái, timéntes ne in via morerétur.

Et cum fuísset illic, stetit per bonam horam et fecit vocáre póstea hunc testem et dixit ei: « Præparáte vos ». Et cum prior iste et álii fratres præparássent se sollémniter ad commendatiónem ánimæ et conveníssent circa eum, ipse frater beátus Domínicus dixit huic prióri et frátribus: « Exspectáte adhuc ». Et dum ista fíerent, dixit ipse prior ei: « Pater, tu scis quómodo dimíttis nos desolátos et tristes. Meménto nostri, ut ores pro nobis ad Dóminum ». Et ipse frater beátus Domínicus elevátis mánibus ad cælum dixit: « Pater sancte, tu scis, quia libénter pérstiti in voluntáte tua, et illos, quos dedísti mihi, custodívi et conservávi. Et recomméndo eos tibi, consérva et custódi eos ». Et dixit se audivísse a frátribus, quod cum rogárent eum de se, respóndit eis: « Ego utílior ero vobis et fructuósior post mortem, quam fúerim in vita mea ».

Et post páululum dixit idem frater beátus Domínicus huic prióri et frátribus: « Incípite ». Et incepérunt offícium commendatiónis ánimæ sollémniter fácere. Et sicut credit, ipse frater beátus Domínicus dicébat offícium cum eis, quia movébat lábia. Et dum Offícium fácerent, finívit. Et credidérunt fírmiter, quod cum dícerent verba illa: « Subveníte

Sancti Dei, occúrrite Angeli Dómini, suscipiéntes ánimam eius et offeréntes eam in conspéctu Altíssimi », quod tunc emísit spíritum.

RESPONSORIUM

℟. O spem miram, quam dedísti mortis hora te fléntibus, dum post mortem promisísti te profutúrum frátribus! * Imple, Pater, quod dixísti, nos tuis iuvans précibus.

℣. Qui tot signis claruísti in ægrórum corpóribus, nobis opem ferens Christi, ægris medére móribus. * Imple, Pater.

Vel alia:

Ex Constitutióne pastorali *Gáudium et spes* Concílii Œcuménici Vaticáni secúndi de Ecclésia in mundo huius témporis

(Nn. 18-22: AAS 58, 1966, pp. 1038. 1042-1044)

Ænigma doloris et mortis per Christum et in Christo illuminatur

Coram morte ænígma conditiónis humánæ máximum evádit. Non tantum cruciátur homo dolóre et córporis dissolutióne progrediénte, sed étiam, immo magis, perpétuæ extinctiónis timóre. Recte autem instínctu cordis sui iúdicat, cum totálem ruínam et definitívum éxitum suæ persónæ abhórret et réspuit. Semen ætérnitátis quod in se gerit, ad solam matériam cum irreductíbile sit, contra mortem insúrgit. Omnia téchnicæ artis molímina, licet perutília, anxietátem hóminis sedáre non valent: prorogáta enim biológica longævitas illi ulterióris vitæ desidério satisfácere nequit, quod cordi eius ineluctabíliter inest.

Dum coram morte omnis imaginátio déficit, Ecclésia tamen, Revelatióne divína edócta, hóminem ad beátum finem, ultra terréstris miséria límites, a Deo creátum esse affírmat. Mors ínsuper corporális,

a qua homo si non peccásset subtráctus fuísset, fides christiána docet fore ut vincátur, cum homo in salútem, culpa sua pérditam, ab omnipoténte et miseránte Salvatóre restituétur.

Deus enim hóminem vocávit et vocat ut ei in perpétua incorruptíbilis vitæ divínæ communióne tota sua natúra adhæreat. Quam victóriam Christus, hóminem a morte per mortem suam liberándo, ad vitam resúrgens adéptus est. Cuicúmque ígitur recogitánti hómini, fides, cum sólidis arguméntis obláta, in eius anxietáte de sorte futúra respónsum offert; simúlque facultátem præbet cum diléctis frátribus iam morte præréptis in Christo communicándi, spem cónferens eos veram vitam apud Deum adéptos esse.

Reápse nonnísi in mystério Verbi incarnáti mystérium hóminis vere claréscit.

Christiánum certe urgent necéssitas et offícium contra malum per multas tribulatiónes certándi necnon mortem patiéndi; sed mystério paschæli consociátus, Christi morti configurátus, ad resurrectiónem spe roborátus occúrret.

Quod non tantum pro christifidélibus valet, sed et pro ómnibus homínibus bonæ voluntátis in quorum corde grátia invisíbili modo operátur. Cum enim pro ómnibus mórtuus sit Christus cumque vocátio hóminis última revéra una sit, scílicet divína, tenére debémus Spíritum Sanctum cunctis possibilitátem offérre ut, modo Deo cógnito, huic paschæli mystério consociéntur.

Tale et tantum est hóminis mystérium, quod per Revelatiónem christiánam credéntibus illucéscit. Per Christum et in Christo, ígitur, illumináture ænígma dolóris et mortis, quod extra eius Evangélium nos ćbruit. Christus resurréxit, morte sua mortem déstruens, vitámque nobis largítus est ut, fílii in Fílio, clamémus in Spíritu: *Abba, Pater!*

Cum in eo natúra humána assúmpta, non perémpta sit, eo ipso étiam in nobis ad sublímem dignitátem

evécta est. Ipse enim, Fílius Dei, incarnatióne sua cum omni hómine quodámmodo se unívit. Humánis mánibus opus fecit, humána mente cogitávit, humána voluntáte egit, humáno corde diléxit. Natus de María Vírgine, vere unus ex nostris factus est, in ómnibus nobis símilis excépto peccáto.

Agnus ínnocens, sánguine suo líbere effúso, vitam nobis méruit, in ipsóque Deus nos sibi et inter nos reconciliávit et a servitúte diáboli ac peccáti erípuit, ita ut unusquísque nostrum cum Apóstolo dícere possit: Fílius Dei *diléxit me et trádidit semetípsum pro me*. Pro nobis patiéndo non solúmmodo exémplum præbuit ut sequámur vestígia eius, sed et viam instaurávit, quam dum séquimur, vita et mors sanctificántur novúmque sensum accípiunt.

RESPONSORIUM Ps 26, 1-2; 22, 4

℟. Dóminus illuminátio mea et salus mea; quem timébo? * Dóminus protéctor vitæ meæ: a quo trepidábo?

℣. Si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, quóniam tu mecum es. * Dóminus.

Vel alia:

Ex Scriptis fratris Petri Andréæ Liégé presbýteri
(Le temps du défi: les chrétiens à l'épreuve, Mulhouse 1978, pp. 98-100)

Una cum Christo mori

Fides nostra in Christi sacrifício et morte fontem et óstium agnóscit ómnium quæ in vita nostra sacrifícii et renuntiatiónis formam índuunt. Vivens enim Deus nonne per crucem Iesu se Deum osténdit qui mortem et ália mala atque calamitátes, quæ in vita nostra operántur, in spem convértit? Nonne Iesus, in próprio sacrifício, hóminis ad Deum relatiónes plene restaurávit, ad extrémum usque pergens spiritálem agónem?

Una cum Christo mori est in eius sequéla se mancipári, in hanc ipsam spem ac spiritále certámen insisténtes. In spiritáli quidem certámine una cum Christo nos emancipámur cum pro Dei et fratrum caritáte nos ipsos impéndimus, quocúmque prétio, advérsus quidquid mendácii vel iniustítiæ vel fatalitátis vel violéntiæ vel ódii vel poténtium machinatiónis vel formídinis obstet. In spe autem Christo mancipámur cum de profúndis mortis nostræ vel desperatiónum aut defectiónum nostrárum vel incredulitátum aut desperatiónum hóminum, ómnium prorsus vitæ nostræ exprobatiónum, Deo vivénti nos plene remíttimus.

Mystérium paschále ómnibus præfúlget cuiúsque géneris renuntiatiónibus quibus consentímus, vel frustratiónibus quas pátimur, vel in nosmetípsos domínio quod gérimus aut disciplínæ cui nos subícimus. Non de stóica quadam sapiéntia vel moráli quodam ascetísmo lóquimur. Vita autem cum Christo resuscitáta iam in ipsum « cum Christo mori » cónfluit; ipsa certámen nostrum nostrámque paupertátem transfigúrat, ipsa oblatiónem nostram et decisiónem próvocat. *Sive enim vívimus, Dómino vívimus; sive mórimur, Dómino mórimur. Sive ergo vívimus, sive mórimur, Dómini sumus.*

Pars inter lineas posita ad libitum omitti potest.

¶ Mori cum Christo est desídiam existéntiæ devíncere, cupídinem depónere, a volubilitáte recédere, ánimi levitátem dimíttere, ab inanitáte vel apparéntiæ ratióne desístere et Evangélium sincére elígere eíque fidéliter adhærére.

Mori cum Christo est divítiis aut humána glória se expedíre et expoliári consentíre, ad vitam suam pro Dei regno moderándam.

Mori cum Christo est fratérnæ dilectiónis áleam súmere sui expropriatiónis poscéntis, aut veritátem

et iustítiam inter hómines testificándi perículum suscípere, aut fídei datæ servándæ discrímen experíri.

Mori cum Christo est illórum qui in circúitu nostro sunt asperitátes vel renísus sustinére mutationémque admíttere quæ instaurándæ fidelitáti desérviat.

Mori cum Christo est mortem própriam assúmere velut oblatiónem et fiduciálem in Deum repositiónem, fratrum quoque et amicórum mortem in spe recípere.

Mori cum Christo est senescéntiam, deiectiónes, iactúras, étiam in apostólicis labóribus, seréno ánimo ferre.

Mori cum Christo est ab egoísmo et sui ipsíus admiratióne liberári per vários amándi et participándi et miseréndi et sese reconciliándi stímulos.

Mori cum Christo est intérdum obscuritátem fídei experíri et fírmiter sustinére.

Tam multæ in omni christiána vita sério peracta sunt occasiónes abnegatiónis et sacrifícii quasi necessáriæ. Cavéndum tamen ne in ratiónem agéndi repeténdam convertántur. Unicuíque vero iuxta própriam conditiónem vel tempus in quo vivit vel recéptam vocatiónem, Spíritus Sanctus in témpore opportúno appellatiónem cuíque conveniéntem facit audíre, in pace et gáudio firmióre quam extérnis procéllis aut ánimi concitatiónibus.

Mínime vero Eucharístiæ celebrátio adest ubi Christus, qui cum credéntibus coadunátis paschále suum sacrifícium partícipat, non sibi assúmat omne quod in eórum vita sacrifícii ac evangélicæ abnegatiónis formam præbeat, converténdum quidem in vitæ fructus suæ Resurrectiónis virtúte. Talísne nostra est Eucharístiæ celebrátio?

RESPONSORIUM Cf. Bar 3, 2; Iudt 7, 19 (Ps 103, 6)

℟. Emendémus in mélius quæ ignoránter peccávimus: ne súbito præoccupáti die mortis quærámus spátium pæniténtiæ, et invenire non possímus: * Atténde, Dómine, et miserére, quia peccávimus tibi.

℣. Peccávimus cum pátribus nostris: iniúste égimus, iniquitátem fécimus. * Atténde.

Antiphona ad cantica pro Officio vigiliæ, 664.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Ego sum óstium, dicit Dóminus: per me si quis introíerit, salvábitur, et páscua invéniet, allelúia.

Oratio

Deus, qui nos ad eándem spem mirífice vocas, súpplices pro frátribus et soróribus nostris defúnctis exorámus ut, quos in hac vita ineffábili amóre dilexísti, quosque apostólica caritáte tibi deservíre in Evangélii prædicatióne donásti, in pace et gáudio tecum, benígnus, recípias. Per Dóminum.

[Formula benedictionis, 521].

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Non turbétur cor vestrum, neque formídet: créditis in Deum, et in me crédite: in domo Patris mei mansiónes multæ sunt, allelúia, allelúia.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

[Formula benedictionis, 521].

PRECES PRO DEFUNCTIS

His precibus, pro opportunitate, celebratio pro defunctis concludi potest. Responsiones vero, una laudatoria altera supplex, si fieri potest, cantentur.

I

Crucifíxum Iesum Fílium Patris ætérni, de Spíritu Sancto concéptum, natum de Vírgine María, Verbum Dei ætérnum adorémus supplicántes,
℟. *Adorámus Te.*

Iesu crucifíxe, templum Dei sanctum,
in quo bónitas et misericórdia Patris pro homínibus hábitant,
℟. *Adorámus Te.*

Iesu crucífixe, iustítiæ et amóris receptáculum,
bonitáte plene, fons totíus fidelitátis, omni laude digníssime,
℟. *Adorámus Te.*

Iesu crucifíxe, rex et centrum ómnium córdium,
in quo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et sciéntiæ,
in quo hábitat omnis plenitúdo divinitátis,
in quo Pater sibi complácuit,
℟. *Adorámus Te.*

II

Christus resuscitátus, primogénitus ex mórtuis, pignus fidúciæ speíque nostræ, pro nobis ad Patrem interpéllat: deprecémur per eum qui est Dóminus vivéntium,
℟. *Intercéde pro nobis.*

Christe, de cuius plenitúdine omnes nos accépimus, spes nostra ætérna, pátiens et multæ misericórdiæ, dives in omnes qui ínvocant te,
℟. *Intercéde pro nobis.*

Christe, fons vitæ et sanctitátis,
in aqua baptísmi fratres nostros abluísti, Córpore et Sánguine tuo enutrivísti,
℟. *Intercéde pro eis.*

Christe, salus in Te sperántium,
spes abscóndita ómnium hóminum, virtus liberátrix omnis creatúræ,
℟. *Intercéde pro ómnibus hódie moriéntibus.*

BENEDICTIO FINALIS

Benedícat vos Deus totíus consolatiónis, qui hóminem ineffábili bonitáte creávit, et in resurrectióne Unigéniti sui spem credéntibus resurgéndi concéssit.
℟. Amen.

Vel:

Pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra et intellegéntias vestras in sciéntia et caritáte Dei, et Fílii sui, Iesu Christi Dómini nostri.
℟. Amen.

Die 14 novembris

B. IOANNIS LICCIO, PRESBYTERI

Caccabi in Sicilia anno circiter 1430 ortus, adulescens 15 annorum Prædicatorum Ordinem in conventu a S. Zita nuncupato amplexus est, suadente beato Petro Geremia a quo habitum suscepit. Hilaris spiritu et caritate fervidus regularis observantiæ promotioni institit et marialis Rosarii propagationi. Prædicationi impensæ deditus Siciliam percurrit, pauperes, ægrotos et in carcere detentos visitans, ita ut « Siciliæ apostolus » appellaretur, continuo magis sollicitus non annis vitam ditandi sed vita annos. Virtutibus conspicuus ac meritis plenus in Domino quievit Caccabi, in patrio conventu ab ipso ædificato, die 14 novembris 1511 et a Benedicto XIV die 25 aprilis 1753 eius cultus confirmatus fuit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Ioánnem plena sui abnegatióne atque exímiæ caritátis zelo claréscere voluísti, ut mystérium tuæ in páuperes dilectiónis reveláret, eius nobis imitatióne concéde quæ tua sunt semper nos quærere et in Christo lucrándis frátribus eníxe incúmbere. Per Dóminum.

Eodem die 14 novembris

B. LUCIÆ DE NARNI, VIRGINIS

Narniæ orta die 13 decembris 1476, desponsata fuit Petro de Alessio nobili viro mediolanensi anno 1491. Inito cum sponso pacto virginitatem ne læderent, post tres annos, castitate servata, habitum Ordinis nostri suscepit die 8 maii in Ascensione Domini 1494. Paulo post missa est Romam ad domum sanctæ Catharinæ Senensis et deinde — anno 1496 — Viterbium ubi sacris stigmatibus a Christo Domino mirabiliter insignita est. Pluries theologi ac medici confirmaverunt huius rei veritatem. Propter hoc privilegium ac signum sanctitatis Dux Ferrariensis a Summo Pontifice petiit ut famula Dei Ferraram iret et consilio suo ipsum adiuvaret. Monasterio et ecclesia S. Catharinæ Senensis constructis, sollemniter in civitatem suscepta est die 7 maii 1499 ibique obiit die 15 novembris 1544. Iussu confessoris de stigmatibus et vita sua intima scripsit. Eius cultum Clemens XI die 1 martii 1710 confirmavit. Corpus Narniæ conditum est.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátam Lúciam, passiónis Fílii tui signáculis mirabíliter decorátam una cum virginitátis et patiéntiæ donis, blandiéntem mundum elúdere et persequéntem superáre fecísti, da ut eius intercessióne et exémplo, nec mundánis vincámur blandítiis nec ullis frangámur advérsis. Per Dóminum.

Die 15 novembris

S. ALBERTI MAGNI, EPISCOPI ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Festum

Albertus Lavingiæ in Svevia natus est exeunte sæculo XII, vel ineunte XIII. Patavii studia complevit (1223), ibique a B. Iordano de Saxonia habitum Ordinis accepit. Ab anno 1242 usque ad annum 1248 Parisiis docuit et inter omnes discipulum diligentissimum habuit Thomam de Aquino. Discipulis ab alienis terris Parisios congregatis, frater Albertus spiritu universali novam scientiam edocuit, physicam scilicet aristotelicam secundum Iudæorum Arabumque interpretationem. Anno 1248 Studium generale Coloniæ nuper erectum rexit et Thomas illuc secutus est eum. Deinde officiis variis functus, Provincialis Teutoniæ electus (1254-1257), una cum franciscano Bonaventura strenue defendit ius Ordinum Mendicantium docendi in Universitatibus.

Episcopus Ratisbonensis consecratus anno 1260, muneri post duos annos abrenuntiavit se indignum existimans. Studio denuo deditus peregrinavit Wursburgum, Strasburgum, Coloniam. Sanctorum sapientiam cum humana scientia mirifice coniunxit, scriptis et magisterio eminenter clarus, morum vero integritate ac pastorali caritate clarior. Eximia quoque pietate in Eucharistiæ sacramentum et in Deiparam Virginem, quæ illum, ut traditur, ad perseverandum confortavit in sacro proposito, enituit. Insignia sacræ doctrinæ aliarumque scientiarum documenta reliquit, dignus qui « magnus » diceretur ac « doctor universalis ». Obiit die 15 novembris anno 1280 Coloniæ Agrippinæ [Köln]. Pius II anno 1459 inter sanctissimos doctores Ecclesiæ Albertum annumeravit. Pius XI die 16 decembris 1931 sanctum declaravit ac Pius XII patronum scientiarum naturalium cultoribus dedit.

De Communi pastorum (LH IV, 1421), vel doctorum Ecclesiæ (1446), præter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Deum, sciéntiæ et fortitúdinis fontem, veníte, adorémus.

Vel, præsertim in cantu: Sapiéntiæ fontem adorémus Dóminum, * Qui sapiéntiæ vias edócuit Albértum.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

O clara lux Colóniæ,
Albérte, doctor óptime,
Thomæ magíster ínclite,
hymni tribútum súscipe.

Te sanctitátis lámpadem,
te veritátis índicem,
te caritáte flámmeum
vox prædicat fidélium.

Cunctos fidéles édoce
quæ sunt cadúca spérnere,
cunctásque mentes érige
ad vera cæli gáudia.

Nunc e supérna pátria
tuis adésto frátribus,
Petríque navem flúctibus
maris freméntis éripe.

Sit, Christe Rex piíssime,
iugis tibi victória,
Patri sit ac Paráclito
laudis perénne cánticum.

PSALMODIA

Ant. 1 Illi beáta María: Fili, fuge mundum et Fratrum Prædicatórum disciplínam apprehénde.

Psalmi de Communi pastorum (LH IV, 1422).

Ant. 2 In ómnibus opéribus digitórum Dei miram conspéxit magnificéntiam.

Ant. 3 Altis ánimi sénsibus atque senténtiis veritátem in caritáte locútus est.

℣. Atténde tibi et doctrínæ: insta in illis.

℟. Hoc fáciens et te ipsum salvum fácies et eos qui te áudiunt.

LECTIO PRIOR

De libro Sapiéntiæ 7, 7-14. 17-21

Divitias nihil esse duxi in comparatione sapientiæ

Optávi, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ. Præpósui illam regnis et sédibus et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus; nec comparávi illi lápidem pretiósum, quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam et propósui pro luce habére illam, quóniam inextinguíbile est lumen illíus.

Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, innumerábiles divítiæ in mánibus illíus, et lætátus sum in ómnibus, quóniam sapiéntia antecédit ista, et ignorábam quóniam horum ómnium mater est; quam sine fictióne dídici et sine invídia commúnico; divítias illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus; quem qui acquisiérunt, ad amicítiam in Deum se paravérunt propter disciplínæ dona commendáti.

Deus dedit mihi horum, quæ sunt, sciéntiam veram, ut sciam dispositiónem orbis terrárum et virtútes elementórum, inítium et consummatiónem et medietátem témporum, vicissitúdinum permutatiónes et commutatiónes témporum, anni cursus et stellárum dispositiónes, natúras animálium et iras bestiárum, vim spirítuum et cogitatiónes hóminum, differéntias virgultórum et virtútes radícum. Et, quæcúmque sunt abscónsa et manifésta, dídici; ómnium enim ártifex dócuit me sapiéntia.

RESPONSORIUM Cf. Sap 7, 17-21

℟. Dedit mihi sciéntiam, ut scirem dispositiónem orbis terrárum et virtútes elementórum, natúras animálium et vim ventórum, differéntias virgultórum et virtútes radícum. * Omnium enim ártifex dócuit me sapiéntia.

℣. Quæcúmque sunt abscónsa et improvísa, dídici. * Omnium enim.

LECTIO ALTERA [***]

Ex Enarratiónibus in Matthæi Evangélium sancti Albérti Magni epíscopi

(Opera omnia, vol. 20, ed. Borgnet, Parisiis 1893, pp. 247-249)

In nobis suæ naturæ impressit notam

Funes cecidérunt mihi in præcláris: étenim heréditas mea præclára est mihi. Dixit Dóminus ad Aaron: ... *Ego pars et heréditas tua in médio filiórum Israel. Péperit Sara, uxor Dómini mei, fílium dómino meo in senectúte sua: dedit et ómnia quæ habúerat.*

Sara princeps interpretáta, Ecclésia est: Fílius ætérni gáudii, flos et heres, ille est quem ex grátia per Ecclésiam Deus Pater génerat. In senectúte novissimórum témporum: qui étiam ómnia in hereditáte dat quæcúmque umquam habúerat, quia se dando, ómnia donat quæ sua sunt. *Non confúnditur Deus vocári Deus eórum. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea: proptérea exspectábo eum.*

Hæc ígitur sunt, quæ sunt actus patérni indícia, in his quos Pater summus génerat per grátiam.

Voluntárie génuit nos verbo veritátis, ut simus inítium áliquod creatúræ eius: in hoc énim nobis suæ natúræ impréssit notam, et per cónsequens notítiam, quia omne quod cognóscitur, nota sua et notítia quam in ánima facit, cognóscitur.

Ex notítia enim causátur fides, quæ ad Patrem áperit óculos; ex coniunctióne cáritas, quæ in Patrem figit óculos; ex affléctu quem ad nos habet, spes, quæ ad alta peténda érigit óculos: non enim sumus contenti parvis, sperántes in affléctu Patris. His ergo de causis dícitur: « Pater ».

Nec potest non esse dulcis et familiáris orátio, quæ a familiaríssimo íncipit. Propter hoc in præcedéntibus dícitur esse nobíscum, et vidére nos in abscóndito, quia et familiáris est et dulcis: quia áliter ad ipsum non haberémus accéssum. Et ídeo Unigénitus, cuius spíritu adoptámur, dícitur esse in sinu Patris.

RESPONSORIUM Ps 70, 17-18

℟. Deus, docuísti me a iuventúte mea, et usque nunc pronuntiábo mirabília tua: et usque in senéctam et sénium. * Ne derelínquas me.

℣. Donec annúntiem brácchium tuum generatióni omni quæ ventúra est. * Ne derelínquas me.

Vel, præsertim in cantu, Responsorium prolixum Gyrum cæli ut in Appendice, 664.

Vel alia:

Ex Tractátu de forma orándi sancto Albérto Magno epíscopo tribúto

(Ed. Wimmer, Ratisbonæ 1902, pp. 53 sqq.)

De præparatione orantis

Nota quod nos præparáre debémus ad orándum. Hæc autem præparátio duplex est, scílicet remóta et propínqua.

Præparátio remóta íterum duplex est, intérior et extérior. Intérior autem triplex est, prima scílicet consciéntiæ purgátio: *Si cor nostrum non repre-*

hénderit nos, fidúciam habémus ad Deum, et quidquid petiérimus, accipiémus ab eo. Secúnda est mentis humiliátio, quia *Dóminus respéxit in oratiónem humílium et non sprevit precem eórum.* Tértia est iniuriárum remíssio. Cum stare voluéritis ad orándum *dimíttite si quid habétis advérsus áliquem, ut et Pater vester qui in cælis est, dimíttat vobis peccáta vestra.*

Extérior præparátio simíliter triplex est, et quidem prima Dei præceptórum implétio, quia, sicut ait Isidórus, si quod præcépit Dóminus faciámus, id quod pétimus, sine dúbio impetrábimus. Secúnda est fratris offénsi reconciliátio: *Si offers munus tuum ante altáre, et ibi recordátus fúeris, quia frater tuus habet áliquid advérsus te, relínque ibi munus tuum ante altáre et vade prius reconciliári fratri tuo et tunc véniens ófferes munus tuum.* Tértia est ieiuniórum et eleemosynárum, quibus orátio fulcítur, adhibítio; ut enim Isaías dicit: *Frange esuriénti panem tuum et egénos vagósque induc in domum tuam, tunc invocábis et Dóminus exáudiet.*

Præparátio vero propínqua simíliter duplex est, scílicet item intérior et extérior. Intérior autem íterum triplex est, prima scílicet cordis ad se revocátio: *Tu autem cum oráveris, intra in cubículum tuum, et clauso óstio ora Patrem tuum in abscóndito;* ingréssus in cubículum est cordis ad se revocátio et óstii cláusio est eiúsdem cordis reténtio. Cor autem ad se revocáre est cogitatiónes et affectiónes extra se dispérsas intérius collígere.

Secúnda est intentiónis ad Dóminum applicátio. Veráciter enim orámus, quando aliúnde non cogitámus. Purgándus est ítaque primum ánimus et temporálium rerum cogitatiónibus segregándus, ut pura ácies cordis ad Dóminum vere et simplíciter dirigátur. Cogitátio omnis carnális abscédat et sæculáris, nec quidquam áliud tunc ánimus cógitet quam id solum quod precátur. Ideo enim et sacérdos ante

oratiónem, præfatióne præmíssa, parat fratrum corda, dicéndo: « Sursum corda », et illi respóndent: « Habémus ad Dóminum », ut claudátur contra adversárium pectus et soli Deo páteat, nec habeámus áliud in corde, áliud in voce.

Quómodo enim audíri te a Deo póstulas, cum te ipse non áudias? Dóminum tui mémorem esse vis, cum tui memor ipse non sis! Hoc est maiestátem Dei neglegéntia oratiónis offéndere, hoc est vigiláre óculis et corde dormíre, cum débeat christiánus étiam cum dormit, corde vigiláre. Tértia est affectiónis devótæ in Deum provocátio, quæ máxime fit per meditatiónem circa nostram miséria et circa Dei bonitátem sive misericórdiam. In consideratióne nostræ miséria discámus, quid nobis necésse sit pétere, in consideratióne Dei misericórdiæ, quo desidério debeámus postuláre.

[Extérior autem præparátio consístit in tribus, scílicet in situ et hábitu et gestu. De situ certum est, quod licet oráre stando ac sedéndo et étiam iacéndo. Verúntamen in oratiónibus públicis opórtet nos in huiúsmodi serváre formam ab Ecclésia vel a maióribus nostris constitútam. De hábitu vero, nota quod orántem decet hábitus húmilis et abiéctus. De gestu porro nota, quod ad hunc pértinet génuum fléxio, mánuum expánsio, péctoris túnsio, oculórum et faciéi elevátio vel inclinátio, labiórum compréssio vel vocis emíssio, lacrimárum effúsio, gémitus, suspíria et huiúsmodi.]

Responsorium Ps 60, 2-3. 6

℟. Exáudi Deus deprecatiónem meam, inténde oratióni meæ; * A fínibus terræ ad te clamávi.

℣. Quóniam tu, Deus meus, exaudísti vota mea, dedísti hereditátem timéntium nomen tuum. * A fínibus terræ.

Vel alia:

Ex Commentário in Evangélium Lucæ sancti Albérti Magni epíscopi

(22, 19: Opera omnia, vol. 23, ed. Borgnet. Parisiis 1893, pp. 672-674)

Pastor et doctor in ædificationem corporis Christi

[LH IV 1268]

HYMNUS Te Deum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Noctis tenébras díssipans
auróra, solis núntia,
hortátur, ut post cánticum
sequámur Albérti vias.

Qui factus est apóstolus,
iter salútis prædicans,
ut dormiéntes súrgerent,
Christi fruéntes lúmine.

Greges minister sédulus
defendit a raptóribus,
salvans, redúcens, álligans,
vitæque fontes índicans.

Pacis sequéster ímpiger,
Albérte, cunctis géntibus
pacis supérnæ múnera
indesinénter ímpetra.

Deo Patri sit glória,
eiúsque soli Fílio,
cum Spíritu Paráclito,
et nunc et in perpétuum.

PSALMODIA

Ant. 1 Oratióne et devotióne magis quam stúdio hæc sacra sciéntia comparátur.

Psalmi et canticum de dominica hebd. I.

Ant. 2 Doce me, Dómine, radíces árboris meæ cælo et non terræ infígere: ne in fóliis verbórum, sed pótius in frúctibus bonórum óperum, fidélis cognóscar.

Ant. 3 Qui nos Fílii tui vivificásti morte, carne enútris ac sánguine, Deus a nobis benedicáris in sæcula.

LECTIO BREVIS Iob 38, 4-7; 42, 1-2

Ubi eras quando ponébam fundaménta terræ? Indica mihi, si habes intellegéntiam. Quis pósuit mensúras eius, si nosti? Vel quis teténdit super eam líneam? Super quo bases illíus solidátæ sunt? Aut quis demísit lápidem angulárem eius, cum clamárent simul astra matutína, et iubilárent omnes fílii Dei? Respóndens autem Iob Dómino dixit: « Scio quia ómnia potes, et nulla te latet cogitátio ».

RESPONSORIUM BREVE

℟. Iustum dedúxit Dóminus * Per vias rectas. Iustum.

℣. Et osténdit illi regnum Dei. * Per vias. Glória Patri. Iustum.

Ad Benedictus, ant. Atténde, fili mi, sapiéntiam, et ad elóquia oris mei inclína aurem tuam, quia in sapiéntia fundávit Dóminus terram, et stabilívit cælos prudéntia.

Vel, præsertim in cantu: Austeritáte vitæ, oratiónis devotióne, amóre fraternitátis, doctrínæ effusióne, Albértus glorificávit Dóminum.

Preces

Glóriam Christo canámus qui, ad Ecclésiæ ædificatiónem Ordinísque decórem, sanctum Albértum sapiéntiæ suæ donis ac méritis magnum effécit, ideóque fervénter implorémus:
Adáuge nobis, Dómine, sapiéntiam tuam.

Adésto, Dómine, Ecclésiæ tuæ pastóribus
tuíque amóris vicáriis,
— fidem indeficiéntem, spem vivam,
atténtam illis tríbue caritátem.

Qui beátum Albértum pro denário vitæ ætérnæ
operári in vínea tua primo mane conduxísti
— serva nos, ut fidéles inveniámur in tuo servítio
et eándem recipiámus mercédem.

Qui, in tuæ veritátis addiscéndæ sémitis
nobis tantum magístrum próvide donásti,
— fervóris eius fac nos partícipes
et tuæ veritáti confórmes.

Qui voluísti ut hómines ingénio suo ad mundum
regéndum secréta naturália investigárent,
— da ut sciéntiæ et artes ad glóriam tuam
et ómnium felicitátem dirigántur.

Iúvenes nostri fervéntes semper spíritu
tibi sátagant inveníri,
— tibíque vocánti, beáti Albérti imitatióne,
magnanímiter obsecúndent.

Qui nos Evangélii salútis vocásti præcónes,
— præsta ut discámus quod oratióne et devotióne
magis quam stúdio hæc sacra sciéntia comparátur.

[Iterum Deum laudémus et deprecémur verbis ipsíus Christi:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, qui beátum Albértum epíscopum in humána sapiéntia cum divína fide componénda magnum effecísti, da nobis, quæsumus, ita eius magistérii inhæ-

rére doctrínis, ut per scientiárum progréssus ad profundiórem tui cognitiónem et amórem perveniámus. Per Dóminum.

[Formula benedictionis, 536].

Ad Horam mediam

Antiphonæ et psalmi de feria currente.

Ad Tertiam

LECTIO BREVIS Sap 8, 2-4

Sapiéntiam amávi, et exquisívi a iuventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus. Generositátem illíus glorificat, contubérnium habens Dei; sed et ómnium Dóminus diléxit illam. Doctrix enim est disciplínæ Dei, et eléctrix óperum illíus.

℣. Lingua eius meditáta est iustítiam tuam.
℟. Tota die laudem tuam, Dómine.

Ad Sextam

LECTIO BREVIS Sap 13, 1

Vani sunt omnes hómines in quibus non subest sciéntia Dei; et de his quæ vidéntur bonis non potuérunt intellégere eum, qui est, neque opéribus attendéntes agnovérunt artíficem.

℣. Díriget Dóminus mansuétos in iudício.
℟. Docébit mites vias suas.

Ad Nonam

LECTIO BREVIS Sir 43, 10-13

Spécies cæli glória stellárum, mundum illúminans in excélsis Dómini. In verbis Sancti stabunt iuxta præcéptum et non defícient in vigíliis suis. Vide arcum, et bénedic eum qui fecit illum: valde speciósus

est in splendóre suo; gyrávit cælum in circúitu glóriæ suæ, manus Excélsi tetendérunt illum.

℣. Honestávit eum Dóminus in labóribus.
℟. Et complévit labóres illíus.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Vesperas

Hymnus

Eia festívis celebrétur hymnis
nomen Albérti résonans ubíque,
sanctus ac doctor mérito vocátur
magnus in orbe.

Digna Guzmáni sóboles refúlsit,
ásperam vixit sine labe vitam,
ac Dei verbum dócuit poténtis
arte loquélæ.

Rite, doctrínæ rádiis supérnæ,
méntium densas ténebras fugávit,
et gregem pastor pius ad salútis
páscua duxit.

Panis et vini spécie laténtem
éxtulit Christum rédamans, adórans,
Vírginem fervens cóluit Maríam
pacis amátor.

Christe, Rex regum, tibi sit potéstas,
sit decus, virtus, honor atque Patri,
et Paracléto páriter resúltet
glória in ævum.

Psalmodia

Ant. 1 Albértus Dei præco ac miníster assíduus, Christi pacem ubíque firmávit.

Psalmi et canticum de Communi pastorum (LH IV, 1441).

Ant. 2 Pro denário vitæ ætérnæ ad laborándum in vínea tua me, Dómine, primo mane conduxísti.

Ant. 3 Fac Dómine, ut sim prædicatiónis templum, domus oratiónis et laudis tuæ in perpétuum.

LECTIO BREVIS Rom 12, 4-8

Sicut in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eúndem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter alterius membra. Habéntes autem donatiónes secúndum grátiam quæ data est nobis, differéntes, sive prophetíam secúndum ratiónem fídei, sive ministérium in ministrándo, sive qui docet in doctrína, sive qui exhortátur in exhortándo; qui tríbuit in simplicitáte, qui præest in sollicitúdine, qui miserétur in hilaritáte.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Sapiéntiam eius, * Enarrábunt gentes. Sapiéntiam.

℣. Et laudem eius enuntiábit Ecclésia. * Enarrábunt gentes. Glória Patri. Sapiéntiam eius.

Ad Magnificat, ant. Dabo vobis pastóres iuxta cor meum, et pascent vos sciéntia et doctrína.

Vel, præsertim in cantu: Deus, scientiárum Dómine, te toto corde et ore laudámus atque benedícimus, quia de pátribus nostris magnum suscitásti doctórem.

PRECES

Grátias agámus Deo Patri, qui in sancto Albérto sapiéntiæ suæ vias nobis osténdit, eúmque instánter orémus:

Pérfice nos, Dómine, in viis tuis.

Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ
ut sancti Albérti Magni subsídiis et exémplis eam próspere áugeas,
— et in tua dilectióne iúgiter perfícias.

Bonitátem tuam, ómnibus creatúris diffúsam,
nobis suáviter osténde,
— ut, duce tanto magístro,
tuam ubíque glóriam contemplémur.

Scientiárum cultóres iuvenésque tirónes
sancti Albérti inciténtur exémplis,
— ut supérnæ tuæ sapiéntiæ
augeántur lúmine.

Qui sanctum Epíscopum in pastoráli regímine
sapiéntia tua fidélem effecísti minístrum,
— reipúblicæ moderatóres illúmina,
ut, háustis de tuo fonte consíliis,
probáta æquitáte in ómnibus decérnant.

Ardórem satagéntem et progréssum
Ordini nostro concéde propítius,
— nosque redde in verbi tui veritáte concórdes
et tua semper caritáte ferventes.

Vultus tui lucem largíre defúnctis,
et eius contemplatióne nos quoque redde beátos
— cum beáta María Vírgine et ómnibus sanctis.

[Precem nostram ad Deum Patrem lúminum a quo omne donum perféctum descéndit concludámus verbis ipsíus Christi:]

Pater noster, etc.

Oratio, ut ad Laudes matutinas, 532.

Benedictio finalis

Deus, fons et orígo totíus sapiéntiæ, qui in illam exquiréndam sanctum Albértum effécit magnum, grátiam vobis concédat, benedictiónis suæ largitátem infúndat, atque suæ tríbuat sapiéntiæ abundántiam.

℟. Amen.

Vel:

Deus scientiárum Dóminus, qui beátum Albértum oratióni et stúdio incumbéntem dono sapiéntiæ ditávit, vos suo lúmine illústret et sua benedictióne adímpleat.

℟. Amen.

Die 19 novembris

B. IACOBI BENFATTI, EPISCOPI

Pontificis Benedicti XI familiaris et cooperator, Iacobus Benfatti Mantuæ, ubi natus fuerat medietate sæculi XIII, episcopus nominatus fuit (a. 1304) ab eodem Pontifice. Odia et dissidia compescere sategit. Pauperes peste et fame bis miserrime afflictos propria cura et amore sublevavit, unde patris pauperum nomen promeruit. Sancte mortuus est die 19 novembris 1332, episcopatus anno vigesimo octavo. Cultus illi ab immemorabili præstitus a Pio IX approbatus fuit die 22 septembris 1859.

De Communi pastorum, vel sanctorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Iacóbum, formam gregis factum, pacis stúdio et misericórdia in pópulo conspícuum effecísti, fac nos, eius intercessióne et exémplo, in verbi tui veritáte concórdes, et tua semper caritáte fervéntes. Per Dóminum.

Die 24 novembris

B. MARGARITÆ DE SAVOIA, RELIGIOSÆ

Margarita, e stirpe regia Ducum Sabaudiæ anno 1382 probabiliter nata, a Vincentio Ferrer ad altioris perfectionis studium accensa est. Vidua relicta trigesimo sexto ætatis suæ anno, habitum Sororum de Pœnitentia assumpsit. Mira in pauperes et infirmos ardebat caritate, sua egenis distri-

buens, ægrotorum ulcera propriis manibus tergens. Albæ Pompeiæ sibi ac religiosis virginibus monasterium construxit, in quo triplicem Christi passionem sustinuit, nempe calumnias, ægritudinem ac persecutionem. Pro pace universalis Ecclesiæ redintegranda — schisma enim occidentale paulo antea fuerat — maximos labores feliciter suscepit. Mortua est in Domino die 23 novembris 1464. Eius cultus a S. Pio V anno 1566 permissus et die 8 octobris anno 1669 a Clemente IX confirmatus fuit.

De Communi sanctarum mulierum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátam Margarítam ex aulæ régiæ fastis ad húmilem tui sequélam transíre docuísti, concéde ut, abdicátis eius exémplo mundi delíciis, discámus divínis incúmbere et in amóre tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre. Qui vivis.

DECEMBER

Die 1 decembris

B. IOANNIS DE VERCELLI, PRESBYTERI

Sæculo XIII ineunte in pago Mosso S. Maria in Vercellensis diœcesis finibus natus, ius in Universitate Parisiensi docebat cum inter Fratres Prædicatores, beati Iordani de Saxonia prædicatione permotus, adlectus est. Sextus totius Ordinis Magister assumptus die 7 iunii 1264, fratribus annos fere viginti in exemplum eluxit. Thomam de Aquino sæpe consuluit in rebus theologicis et doctrinæ eius tuendæ studuit. Concilio Lugdunensi anno 1274 interfuit ibique multum adlaboravit. Sancti Dominici filius vere amantissimus marmoream arcam, sculptis imaginibus Nicolai Pisani insignem, exstruendam curavit. Nominis Iesu cultum promovit. Austerus et benignus prædicator indefesse peregrinavit studium paupertatem et evangelicam prædicationem vi ac zelo promovens. Mortuus est Monte Pessulano [Montpellier] die 30 novembris 1283. Cuius corpus sæculo XVI, dissidiis religionis sævientibus, combustum fuit. Pius X eius cultum confirmavit die 7 septembris 1903.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui Beátum Ioánnem, in Prædicatórum Ordine promovéndo, singulári zelo mira prudéntia ac fortitúdine claréscere voluísti, ipso interveniénte concéde ut família tua semper et ubíque salúbri regímine gubernétur. Per Dóminum.

Die 8 decembris

IN CONCEPTIONE IMMACULATA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Sollemnitas

Omnia ut in Liturgia Horarum (I, 934). Pro opportunitate, præsertim in cantu, adhiberi etiam possunt sequentia elementa ex nostris libris liturgicis desumpta.

Ad I Vesperas

Adhiberi potest loco responsorii brevis:

RESPONSORIUM PROLIXUM Cf. Sap 7, 25; Ps 72, 24

℟. Elégit Maríam Deus, et præelégit eam, et creávit eam in Spíritu Sancto: * Ideo nihil inquinátum in eam incúrrit.

℣. Dedit Maríæ Dóminus protectiónem salútis suæ, et déxtera sua suscépit eam. * Ideo. [Glória Patri. Ideo.] [AG 639]

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Homilíis sancti Ioánnis Damascéni presbýteri

(Hom. 6 in Nativitatem B. V. Mariæ, 4-12: PG 96, 666-679)

Tota thalamus Spiritus,
tota civitas Dei vivi

Hódie perflárunt auræ totíus orbis gáudii prænúntiæ. Læténtur cæli désuper, térraque infra exsúltet. Exsúltet natúra: agna enim in lucem éditur, ex qua Pastor ovem índuet, ac véteris mortalitátis túnicas lacerábit.

Constituámus diem sollémnem pro Dei Genetríce. Lætáre, Anna *stérilis, quæ non paris: erúmpe et clama, quæ non párturis.* Exsúlta, Ióachim, quóniam ex fília tua *puer natus est nobis et fílius datus est nobis, et vocábitur nomen eius magni consílii,* salútis univérsi mundi, *Angelus, Deus fortis.*

Puer iste Deus est: qui ergo puérperam Dei Genetrícem negas? « Si quis sanctam Vírginem Dei Genetrícem non confitétur, aliénus est a Deitáte ». Non meum hoc dictum est, etsi meus est sermo: hanc enim diviníssimam hereditátem a Theólogo patre Gregório accépi.

Hódie mundi salus inchoáta est. Nobis enim in sancta Probática seu pecuária domo nata est Dei mater, ex qua Agnus Dei qui tollit peccátum mundi, nasci vóluit.

Hódie tomum novum ópifex ómnium cóndidit Deus Verbum, quem ex corde Pater eructávit; Spíritu, qui Dei lingua est, tamquam cálamo conscríptum.

O digna Deo fília, humánæ venústas natúræ, primígenæ paréntis Evæ emendátio! O fília semper virgo, cui nulla ad concipiéndum necessária viri ópera est! Quem enim útero gestásti, hic sempitérnum Patrem habet. O fília terrígena, quæ Dei genetrícibus ulnis Creatórem gerébas!

Vere res omnes cónditas dignitáte antecelluísti. Nam ex te sola summus ille ópifex partum assúmpsit, massæ nostræ primítias. Caro eius ex tuis sanguínibus concréta fuit. Quin Deus ex tuis mamíllis lac suxit, tuáque lábia Dei lábiis cohæsérunt. Dignitátem tuam præcognóscens universórum Deus, te proínde diléxit dilectámque prædestinávit, atque extrémis tempóribus produxit, ac Deíparam matrem, suíque Fílii ac Verbi nutrítiam fecit.

Tota thálamus Spíritus, tota cívitas Dei vivi, quam lætíficant flúminis ímpetus; sancti, inquam, Spíritus gratiárum fluctus. Tota pulchra, tota Deo propínqua: o Virgo divínis grátiis áffluens, templum Dei sanctum, templum, inquam, non auro et inánimis lapídibus decorátum, sed auri loco Spíritu fulgens; pro lapídibus pretiósis, pulchérrimam margarítam habens Christum, Deitátis illum carbúnculum.

Sanctus Deus et Pater, qui in te et ex te mystérium pérfici vóluit, quod ante sæcula præfinítum erat. *Sanctus fortis,* Dei Fílius ac Deus, unigénitus, qui et primogénitam ex stérili produxit, ut unigénitus ipse ex Patre et primogénitus omnis creatúræ, unigénitus nascerétur ex te Vírgine matre, primogénitus in multis frátribus símili nobis ratióne, carnis et sánguinis, quæ ex te assúmpsit, párticeps factus. *Sanctus immortális,* sanctíssimus Spíritus, qui divinitátis suæ rore te conservávit, ne ab igne divíno absúmpta fúeris. Nam et hoc quoque Móysis ille rubus præsignábat. Fiat, fiat!

Ave, María grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui, Iesus Christus Dei Fílius. Ipsi glória cum Patre et Spíritu sancto in infiníta sæcula sæculórum.

RESPONSORIUM Sir 24, 26; Ps 65, 16; Iud 13, 18

℟. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me: * Et narrábo vobis quanta fecit Deus ánimæ meæ.

℣. Vivit Dóminus, quóniam adimplévit in me misericórdiam suam. * Et narrábo. [MG 124]

Vel alia lectio altera: textus S. Thomæ de Aquino, 421.

Ad Officium vigiliæ

Ad cantica, ant. Sanctimónia et magnificéntia in Conceptióne eius: annuntiáte in ómnibus pópulis glóriam eius. [MG 130]

HYMNUS Te Deum.

Ad II Vesperas

Adhiberi potest loco responsorii brevis:

RESPONSORIUM PROLIXUM Ap 12, 1; Is 61, 10

℟. Signum magnum appáruit in cælo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius: * Et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

℣. Induit eam Dóminus vestiméntis salútis, induménto iustítiæ, et quasi sponsam ornávit eam monílibus suis. * Et in cápite. [Glória Patri. Et in cápite.] [MG 129]

Ad Magnificat, ant. Hódie egréssa est virga de radíce Iesse: hódie sine ulla peccáti labe concépta est María: hódie contrítum est ab ea caput serpéntis antíqui, allelúia. [AG 644]

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti, quǽsumus ut, qui ex morte eiúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos, eius intercessióne, ad te perveníre concédas. Per Dóminum.

Die 16 decembris

B. SEBASTIANI MAGGI, PRESBYTERI

Sebastianus sæculo XV inter reformatores vitæ dominicanæ clarus fuit. Brixiæ in Italia anno 1414 e nobili familia ortus, habitum Prædicatorum anno 1429 induit. Bis Vicarius generalis Congregationis reformatæ Provinciæ Lombardiæ et prior plurimorum conventuum, austerum sibi, benignum ac patientem « virum quadam dulci bonitate, lenitate et comitate ornatum » in alios se præbuit. Mortuus est anno 1496 in cœnobio Genuensi Sanctæ Mariæ de Castello et eius cultus a Clemente XIII die 15 aprilis 1760 approbatus fuit.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio

Deus, qui evangélicæ perfectiónis et veritátis Beátum Sebastiánum suasórem exímium excitásti, eius quǽsumus imitatióne concéde perféctæ caritátis nos viam íngredi et vitam spíritus pæniténtia álere, ut glóriam tuam et vitam assequámur ætérnam. Per Dóminum.

OFFICIA VOTIVA

★ Sanctissimi Nominis Iesu 547
★ D. N. Iesu Christi patientis 559

Prænotanda

1. Hæc sectio duo Officia votiva Domini continet, compluribus elementis locupletata pro celebrationibus *maioris gradus* liturgici forte occurrentibus (v.g. Tituli ecclesiæ propriæ, vel ipsius Provinciæ aut Sororum Congregationum Patronatus). Horum Officiorum habitudo ad traditionem et spiritualitatem Ordinis, in cuiusque ipsorum *introductione* particulari evocatur. Ad liturgicam vero atque linguisticam eorum adaptationem quod attinet, orientationes congruæ in Prænotandis generalibus huius Proprii afferuntur.

2. Hæc Officia votiva, iuxta præscripta novi Iuris liturgici (IGLH, nn. 225-233), a qualibet communitate et a singulis libere celebrari possunt *diebus non impeditis*, sive in toto sive ex parte, devotionis quidem causa (cf. IGLH, n. 245), ratione tamen habita boni communis, præsertim si cum populo celebratur (Cf. IGLH, n. 220).

3. Ad diem celebrationis quod attinet, quæ hic indicantur diebus magis receptis pro *annuali* celebratione respondent, quin ex hoc aliquid votivæ horum Officiorum indoli minuatur vel derogetur.

4. Speciali diligentia consultum est celebrationi horum Officiorum *in cantu*, ita ut semper possibilitas tribuatur id quærentibus disponendi textibus gregoriana melodia ornatis.

SANCTISSIMI NOMINIS IESU

Pro commemoratione

[Die 3 ianuarii vel tamquam Officium votivum]

Amor erga Domini Iesu Salvatoris Nomen, quem priorum sæculorum christiani ex apostolicis scriptis et traditionibus adepti sunt pro vita et confessione fidei, usque ad martyrii agonem, decursu inde sæculorum perrexit. In Orientalis Ecclesiæ traditione, stricto ligamine cum spiritualitate « hesicastica » processit. In Occidente vero, præeuntibus popularis pietatis formis, in connexione cum Nativitatis cycli celebrationibus, inde a s. XII incrementum sumit, sub influxu præsertim monasteriorum ubi fervoris formam induit peculiarem, cuius testimonium exstat insigne « magna iubilatio » *Iesu dulcis memoria.*

In nostro Ordine, ab eius exordiis (s. XIII), plures memorantur fratres ob eorum peculiarem erga « dulcissimum Salvatoris Nomen » amorem. Vel ipse papa Gregorius X, post secundum Lugdunense Concilium (1274), Fratribus Prædicatoribus specialiter commendat promotionem laudis et venerationis SS. Nominis Iesu: cui strenue intendit B. Ioannes de Vercelli († 1283), tunc Ordinis Magister. Quæ cura — interea novis formis spiritualitatis Fratrum Minorum aucta — fastigia maiora attingit s. XIV, perspicuis prædicationis formis et spiritualibus scriptis: quæ inter merito illa B. Henrici Seuze († 1366) recensentur. Notabiliter autem hæc devotio crescit S. Bernardini Senensis († 444) prædicatione et SS. Nominis Confraternitatum diffusione, pro quarum institutione Ordo noster plurimum adlaboravit, de speciali mandato Summorum Pontificum inde a Pio IV, una cum illa Confraternitatum SS. Rosarii.

Liturgica formularia propria inde a s. XIV inveniuntur; at nonnisi sequentibus sæculis eorum usus in Liturgia assumitur, reapse: a. 1530 apud Fratres Minores; exeunte sæculo XVII apud nos; a. 1721 in Calendario Romano pro universa Ecclesia, existente iam in Liturgia celebratione *In Circumcisione Domini* (die 1 ianuarii), in qua præcipua afferebantur etiam de SS. Nominis Iesu impositione. Novissime vero hæc festivitas in novo Missali Romano locum cedit sollemnitati Sanctæ Dei Genetricis Mariæ, « in qua potissimum commemoratur etiam impositio SS. Nominis Iesu » (CR, n. 35). Veruntamen quædam *Missa votiva* de SS. Nomine Iesu adhuc exstat (MR, p. 835/LR, p. 841). Et huic respondet hoc *Officium votivum* ad libitum adhibendum (cf. IGLH, nn. 244-245), præsertim pro celebratione proprii Patroni vel Tituli ecclesiæ.

Ad Invitatorium

Ant. Admirábile nomen Iesu, quod est super omne nomen, veníte, adorémus.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Iesu dulcis memória,
dans vera cordi gáudia,
sed super mel et ómnia
eius dulcis præséntia.

Nil cánitur suávius,
nil audítur iucúndius,
nil cogitátur dúlcius
quam Iesus Dei Fílius.

Iesu, spes pæniténtibus,
quam pius es peténtibus,
quam bonus te quæréntibus,
sed quid inveniéntibus!

Nec lingua valet dícere,
nec líttera exprímere,
expértus potest crédere
quid sit Iesum dilígere.

Sis, Iesu, nostrum gáudium,
qui es futúrus prǽmium,
sit nostra in te glória
per cuncta semper sæcula.

Sicubi gradu festi celebratur:

PSALMODIA

Ant. 1 Vocábis nomen eius Iesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum.

Ps 19: Oratio pro regis victoria (LH I, 579).

Ant. 2 Christus Iesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere: quorum primus ego sum.

Ps 53, 1-6. 8-9: In nomine Domini salus (LH I, 664).

Ant. 3 Omnis, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

Ps 148: Præconium Domini creatoris (LH I, 724).

In cantu ad Officium lectionis vel Laudes vel Vesperas.

Ant. 1 Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient et adorábunt coram te, Dómine, et glorificábunt nomen tuum.

Ant. 2 Benedíctum nomen glóriæ tuum sanctum, et laudábile et superexaltátum in sæcula.

Ant. 3 Confitémini Dómino et invocáte nomen eius: mementóte quóniam excélsum est nomen eius.

℣. Simplex fac cor meum, Deus.
℟. Ut tímeat nomen tuum.

LECTIO PRIOR

Ex Actibus Apostolórum 3, 1-16

Deus glorificavit Filium suum Iesum

Petrus et Ioánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suæ, baiulabátur, quem ponébant cotídie ad portam templi, quæ dícitur Speciósa, ut péteret eleemósynam ab introeúntibus in templum; is cum vidísset Petrum et Ioánnem incipiéntes introíre in templum, rogábat, ut eleemósynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioánne dixit: « Réspice in nos ». At ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis. Petrus autem dixit: « Argéntum et aurum non est mihi;

quod autem hábeo, hoc tibi do: In nómine Iesu Christi Nazaréni surge et ámbula! ». Et apprehénsa ei manu déxtera, allevávit eum; et prótinus consolidátæ sunt bases eius et tali, et exsíliens stetit et ambulábat et intrávit cum illis in templum, ámbulans et exsíliens et laudans Deum. Et vidit omnis pópulus eum ambulántem et laudántem Deum, cognoscébant autem illum quóniam ipse erat, qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam templi, et impléti sunt stupóre et éxtasi in eo, quod contígerat illi.

Cum tenéret autem Petrum et Ioánnem, concúrrit omnis pópulus ad eos ad pórticum, qui appellátur Salomónis, stupéntes. Videns autem Petrus respóndit ad pópulum: « Viri Israelítæ, quid mirámini in hoc aut nos quid intuémini, quasi nostra virtúte aut pietáte fecérimus hunc ambuláre? *Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob, Deus patrum nostrórum* glorificávit Púerum suum Iesum, quem vos quidem tradidístis et negástis ante fáciem Piláti, iudicánte illo dimítti; vos autem Sanctum et Iustum negástis et petístis virum homicídam donári vobis, auctórem vero vitæ interfecístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, cuius nos testes sumus. Et in fide nóminis eius hunc, quem vidétis et nostis, confirmávit nomen eius, et fides, quæ per eum est, dedit huic integritátem istam in conspéctu ómnium vestrum.

RESPONSORIUM Cf. Lc 1, 31; 2, 21b; et Mt 1, 21b

℟. Ecce concípies et páries fílium, et vocábis nomen eius Iesum: * Ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum.

℣. Vocátum est nomen eius Iesus, quod vocátum est ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur. * Ipse enim.

LECTIO ALTERA [**]

Ex Opúsculis sancti Thomæ de Aquíno presbýteri

(Opusc. 60, De humanitate Iesu Christi Domini nostri: Ed. Lugdunensis, 1562, p. 417)

Hoc nomen Iesus est magnæ et multæ virtutis

Et vocátum est nomen eius Iesus. Notándum quod nómina singulárium hóminum semper imponúntur ab áliqua proprietáte eius cui impónitur, vel a témpore — sicut nómina sanctórum quandóque imponúntur his qui in eórum festis nascúntur — vel a cognatióne, vel ab áliqua ália proprietáte. Nómina vero quæ divínitus imponúntur data, semper signíficant donum áliquod gratuítum divínitus datum eis quibus imponúntur, sicut dictum est Abrahæ: *appelláberis Abraham quia patrem multárum géntium constítui te;* et dictum est Petro: *tu es Petrus et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.* Quia, ergo, hómini Christo hoc munus grátiæ collátum erat, ut per ipsum omnes salvaréntur, conveniénter est vocátum nomen eius Iesus, idest « salvátor ».

Dicéndum vero, quod hoc nomen Iesus est magnæ et multæ virtútis. Est enim pœniténtibus in refúgium, ægrotántibus in remédium, pugnántibus in subsídium, oránti bus in suffrágium: quia confert véniam a peccátis, grátiam sanitátis, victóriam tentátis, virtútem et fidúciam impetrándæ salútis.

De primo dícitur: *Scribo vobis, filíoli, quóniam remittúntur vobis peccáta propter eius nomen.* Et *Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent.* Augustínus: « Quid est Iesus nisi " salvátor "? Ergo propter temetípsum esto mihi *Iesus!* Noli, Dómine, noli sic atténdere malum meum, ut obliviscáris bonum tuum ». Sed attendéndum quod circumcisióne hoc nomen impónitur, per quod significátur quod spirituáliter circumcísi salvántur. Unde Bernárdus: « Nos fratres necésse est circumcídi, et sic nomen

salútis accípere; Circumcídi, plane, non líttera sed spíritu et veritáte ».

De secúndo dícitur: *Oleum effúsum nomen tuum.* Oleum, enim, levámen est dolóris. Sic et hoc nomen Iesus. Inde Bernárdus: « Habes ánima mea recónditum electuárium in vásculo vocábuli, quod est Iesus, quod nulli umquam pesti invenítur inéfficax. Item Petrus Ravennénsis: « Hoc est nomen quod dedit cæcis visum, surdis audítum, claudis egréssum, sermónem mutis, vitam mórtuis ».

De tértio dícitur: *Turris fortíssima nomen Dómini.* Et: *In nómine meo dæmónia eícient.* Et: *Revérsi sunt discípuli cum gáudio dicéntes:* « *Dómine étiam in nómine tuo dæmónia subiciúntur nobis* ». Unde Petrus Ravennénsis: « Totam diáboli potestátem de obséssis corpóribus virtus huius nóminis, scílicet Iesus, fugávit ».

De quarto dícitur: *Si quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis.* Unde Augustínus: « In nómine meo: quod est Christus Iesus. Christus *regem*, Iesus *salvatórem* signíficat. Et per hoc quodcúmque pétimus, in nómine Salvatóris pétimus, et tamen ipse "salvátor" est non solum quando facit quod pétimus, verum étiam quando non facit: quóniam, quod vidit peti contrárium salúti, non faciéndo éxhibet se Salvatórem. Novit enim médicus quid pro sua, quid contra salútem suam poscat ægrótus. Ideo contráriam poscéntis non facit voluntátem, ut fáciat sanitátem ».

Nota verbum Bernárdi de Christi circumcisióne et eius nóminis impositióne: « Magnum et mirábile sacraméntum: circumcíditur puer et vocátur Iesus. Quid sibi vult ista connéxio? Sed agnósce mediatórem Dei et hóminum, qui ab ipso suæ nativitátis exórdio divínis sóciat humána, ima summis. Náscitur ex mulíere, sed cui fecunditátis fructus sic accédit ut non décidat flos virginitátis; pannis invólvitur, sed isti panni angélicis láudibus honorántur; abscón-

ditur in præsépio, sed próditur stella radiánte de cælo ». Si et circumcísio probat veritátem assúmptæ humánæ natúræ, et nomen quod est super omne nomen glóriam índicat maiestátis.

RESPONSORIUM Cf. Ps 5, 12; 88, 16-17

℟. Læténtur omnes qui sperant in te, Dómine: in ætérnum exsultábunt et habitábis in eis: et gloriabúntur in te omnes * Qui díligunt nomen tuum.

℣. Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exsultábunt tota die. * Qui díligunt.

Vel alia:

E Lítteris De divíni Nóminis Iesu veneratióne beáti Henríci Seuze presbýteri

(Epist. XII: Opera latine reddita a Laurentio Surio, Coloniæ 1615, pp. 263 sqq.)

Pone me ut signaculum super cor tuum

Omnípotens et ætérnus Deus petit ab ánima munda, ut ipsum ceu signáculum ponat super cor suum. Itaque quílibet sincérus Dei amátor numquam non pias quasdam imágines vel senténtias ánimæ ore debet retinére, unde cor illíus erga Deum permoveátur ac inflammétur.

Síquidem in hac vita ea vel summa est perféctio, ut crebro simus mémores Dei, corde sæpius ad illum suspirémus, de illo frequénter loquámur, eius dicta ánimo affigámus, propter illum agámus et omittámus ómnia, nec quemquam nisi illum dumtáxat spectémus et intentióne prosequámur. Oculi nostri illum amánter aspíciant, aures eius adhortatiónes auscúltant, cor, sensus et ánimus amabíliter eum amplectántur. Ubi eum offéndimus, précibus illum conciliémus. Dum nos exércet, illum ferámus plácide; ubi se occúltat quærámus eum nec cessémus umquam donec inveniámus: invéntum, digne retineámus.

Sive eámus, sive subsistámus, sive bibámus, sive edámus, moníle illud præclaríssimum nóminis Iesu semper nostris debet esse impréssum pectóribus. Quando nihil áliud præstáre valémus, saltem per óculos nostris eum infígere córdibus debémus.

Nomen eius dulcíssimum semper in ore circumferámus, et dum vigilámus tum sério illíus simus mémores, ut dormiéntes inde somniémus, dicamúsque cum Prophéta: « O Deus ætérne, o dulcíssima Sapiéntia, quam bona es ánimæ quærénti te, et te solam concupiscénti ».

Hæc nimírum est ómnium óptima exercitátio. Enimvéro exercitiórum ómnium ceu coróna quædam est iugis orátio: ad quam cétera ómnia velut ad scopum referúntur. Quid, quæso, in cælis áliud agunt, nisi quod Deum contemplántur, amant et laudant?

Quanto ígitur amabílius Dóminum Deum nostrum, ætérnam illam sapiéntiam nostris infígimus córdibus, quanto étiam sæpius eam contemplámur et ulnis córdium nostrórum stríngimus, tanto étiam et in hac et in futúra vita suávius illa nos complectétur.

RESPONSORIUM Ps 55, 11; 105, 47

℟. Exspectábo nomen tuum, Dómine: * Quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.

℣. Ut confiteámur nómini sancto tuo et gloriémur in laude tua. * Quóniam.

[HYMNUS Te Deum]

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Iesu, rex admirábilis,
et triumphátor nóbilis,
dulcédo ineffábilis,
totus desiderábilis;

Quando cor nostrum vísitas,
tunc lucet ei véritas,
mundi viléscit vánitas,
et intus fervet cáritas.

Iesu, dulcédo córdium,
fons vivus, lumen méntium,
excédens omne gáudium,
et omne desidérium.

Iesum omnes agnóscite,
amórem eius póscite,
Iesum ardénter quærite,
quæréndo inardéscite.

Te nostra, Iesu, vox sonet,
nostri te mores éxprimant,
te corda nostra díligant,
et nunc, et in perpétuum.

Psalmodia

Ant. 1 Ubi sunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi sum in médio eórum.

Psalmi et canticum de dominica hebd. I.

Ant. 2 Quodcúmque petiéritis in nómine meo, hoc fáciam, ut glorificétur Pater in Fílio. Si quid petiéritis me in nómine meo, hoc fáciam.

Ant. 3 Omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Iesu Christi, grátias agéntes Deo et Patri per ipsum.

Lectio brevis Tit 2, 11

Appáruit grátia Dei salutáris ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut abnegántes impietátem et sæcularia desidéria, sóbrie et iuste et pie vivámus in hoc sæculo, exspectántes beátam spem et advéntum glóriæ magni Dei et Salvatóris nostri Iesu Christi:

qui dedit semetípsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, et mundáret sibi pópulum peculiárem, sectatórem bonórum óperum.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Sperent in te * Qui novérunt nomen tuum. Sperent.

℣. Non dereliquísti quæréntes te, Dómine. * Qui novérunt. Glória Patri. Sperent.

Ad Benedictus, ant. Iesus sempitérnum habet sacerdótium: unde salváre potest accedéntes per semetípsum ad Deum, semper vivens ad interpellándum pro nobis.

Vel, præsertim in cantu: Dedit se, ut liberáret pópulum, et acquíreret sibi nomen ætérnum.

Preces congruæ vel de feria currente.

Oratio

Deus, qui unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Salvatórem et Iesum vocári iussísti, concéde propítius ut cuius sanctum nomen venerámur in terris, eius quoque aspéctu perfruámur in cælis. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas.

Ad Horam mediam

Ad Horam mediam, omnia ut in feria currente.

Ad Vesperas

HYMNUS

Iesu, decus angélicum,
in aure dulce cánticum,
in ore mel mirificum,
in corde nectar cælicum.

Qui te gustant esúriunt,
qui bibunt adhuc sítiunt,
desideráre nésciunt
nisi Iesum, quem díligunt.

O, Iesu mi dulcíssime,
spes suspiránti ánimæ,
te quærunt piæ lácrimæ,
te clamor mentis íntimæ.

Mane nobíscum, Dómine,
et nos illústra lúmine,
pulsa mentis calígine,
mundum reple dulcédine.

Iesu, flos Matris Vírginis,
amor nostræ dulcédinis,
tibi laus, honor nóminis,
regnum beatitúdinis.

Psalmodia

Ant. 1 Ibant Apostóli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Iesu contuméliam pati.

Ps 112: Laudabile nomen Domini (LH I, 319).

Ant. 2 Omni die non cessábant Apóstoli in templo et circa domos docéntes et evangelizántes Christum Iesum.

Ps 134: Laus Domini mirabilia operantis (LH I, 446).

Ant. 3 In nómine Iesu omne genu flectátur cæléstium, terréstrium et infernórum.

Cant. Phil 2, 6-11: De Christo, servo Dei (LH I, 320).

Lectio brevis 2 Th 1, 11-12

Dignétur vos vocatióne sua Deus et ímpleat omnem voluntátem bonitátis et opus fídei in virtúte,

ut glorificétur nomen Dómini nostri Iesu Christi in vobis, et vos in illo, secúndum grátiam Dei nostri et Dómini Iesu Christi.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Magnificáte Dóminum mecum, * Et exaltémus nomen eius in idípsum. Magnificáte.

℣. Confiteámur nómini Dómini magno et terríbili, quóniam sanctum est. * Et exaltémus. Glória Patri. Magnificáte.

Ad Magnificat, ant. Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen meum novum.

Vel, præsertim in cantu: Vocábis nomen eius Iesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eorum.

Preces congruæ vel de feria currente.

Oratio

Sancti nóminis tui, Dómine Iesu, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum, quia numquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis. Qui vivis.

Ad Completorium adhiberi potest hymnus Iesu, nostra redémptio, ut infra, 675.

DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI PATIENTIS

[Die 4 maii vel alia ad libitum]

Dominicæ Passionis cultus, qui ad nos usque mirifice propagatus est, florere cœpit inde a sæculo XI, una cum nova erga humanitatem Christi religiosa sensibilitate.

Plura ac pulcherrima testimonia huiusmodi peculiaris pietatis formæ exstant, a monachis præsertim evulgatæ ac signanter sæculo XIII et deinde ope Fratrum Minorum et Prædicatorum. Apud nos, ipsis principiis Ordinis, perspicua testatur nostratum pietas erga Salvatorem patientem eiusque Matrem misericordiæ. Prima autem liturgica testificatio est celebratio *Coronæ Domini* (die 4 maii secus 24 aprilis) introducta occasione donationis cuiusdam Aculei e Serto spineo Domini provenientis, a S. Ludovico Francorum rege nostratibus factæ anno 1239.

Decursu vero sæculorum aliæ de Passione Domini celebrationes accesserunt in libris Ordinis: *Orationis in Monte Oliveti* (feria III post Dom. Septuag.); *Dominicæ Passionis* (fer. III post Dom. Sexag.); *Lanceæ et Clavorum* (fer. VI post Dom. I Quadr.); *S. Syndonis* (fer. VI post Dom. II Quadr.); *SS. Quinque Vulnerum* (fer. VI post Dom. III Quadr.); *Pretiosi Sanguinis* (fer. VI post Dom. IV Quadr.); quibus singularis iungebatur celebratio *In Compassione B. V. Mariæ* (fer. VI post Dom. in Passione). Quæ omnes usque ad Pii X liturgiæ reformationem celebrabantur.

Sed quid inde dicendum de singulari huius pietatis forma in traditione Ordinis, Sanctorum præsertim et Beatorum nostrorum, qui omnes, licet diversimode, mirifico erga Iesum patientem flagrabant amore? Quomodo, inter tantos, non statim cogitemus de beato Dominico, qui, sicut sæpissime illum beatus Angelicus pinxit, ad pedes Christi crucifixi provolutus, ipsum tenero contuebatur corde? Revera sapientialis Salvatoris patientis assidua contemplatio nota quædam essentialis nostræ spiritualitatis apparet. In hoc sane peramanti intuitu, Prædicatoribus comperta fiunt omnia, quæ ad Evangelium salutis nuntiandum primarie pertinent ipsumque hominem sub lumine fidei respiciunt. In illo revera consistit nostræ arctæ cum Christo unionis fons simulque dilectionis in fratres expressio.

Quinimmo testes fieri velle Iesu a mortuis suscitati condivisionem implicat et exigit eiusdem passionis: nescimus enim ante tempus quo ducimur et quæ nobis evenient. Intellegimus proinde Evangelii ministrorum mentem et cor incessanter ferri debere in Christum patientem, intermissa amoris et contemplationis necessitudine.

Huic intentioni respondet hoc Officium votivum, quod iuxta locorum legitimam consuetudinem vel adiunctas proponitur ad libitum celebrandum.

Sicubi gradu sollemnitatis celebrandum occurrit, primæ Vesperæ sumuntur ab Officio in Exaltatione S. Crucis, ut in Liturgia Horarum IV, 1116.

Ad Invitatorium

Ant. Christum regem, pro nobis humiliátum et passum, veníte, adorémus (T.P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Dóminum Iesum, qui per crucis mystérium redémit mundum, * Veníte, adorémus (T.P. allelúia).

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario, seu potius Ps 66.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Auctor salútis únice,
mundi redémptor ínclite,
tu, Christe, nobis ánnue
crucis fecúndæ glóriam.

Tu sputa, irrísus, víncula
et dira passus vérbera,
crucem volens ascéndere
nostræ salútis grátia.

Hinc morte mortem díruens
vitámque vita lárgiens,
mortis minístrum súbdolum
devíceras diábolum.

Nunc in Paréntis déxtera
sacráta fulgens víctima,
audi, precámur vívide,
tuo redémptos sánguine.

Te summa Deus Trínitas
colláudet omnis spíritus,
quos per crucis mystérium
salvas, rege per sæcula.

PSALMODIA

Sumitur ad libitum alia vel alia series antiphonarum ex his quæ hic proponuntur: quarum prima A « kerigmatica » dici potest; altera vero B « parenetica »; tertia autem C « evangelica », cantu gregoriano ornata.

Antiphona 1

Ser. A Nos prædicámus Christum crucifíxum, Dei virtútem et Dei sapiéntiam (T.P. allelúia).

Ser. B Comméndat caritátem suam Deus in nos, quóniam, cum adhuc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est (T.P. allelúia).

Ser. C Venit Iesus cum discípulis suis in Gethsémani et cœpit pavére et tædére. [AJ I 654]

Psalmus 68, I: 2-14 [LH II 1105]

Vox Christi ad Patrem in passione positi

Christus deprecatur ut salvus fiat a Patre, postulatque ne decipiatur spes fidelium in eius resurrectione confisa (Cassiodorus).

Antiphona 2

Ser. A Christus ingrédiens mundum dixit: Ecce vénio, ut fáciam, Deus, voluntátem tuam; in qua voluntáte sanctificáti sumus per oblatiónem córporis Christi Iesu (T.P. allelúia).

Ser. B Nemo tollit a me ánimam meam, sed ego pono eam et íterum sumo eam (T.P. allelúia).

Ser. C Factus in agonía prolíxius orábat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. [AJ I 656]

Psalmus 68, II: 14-22.30-37

[LH II 1106]

Antiphona 3

Ser. A Christus diléxit nos et trádidit seípsum pro nobis oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis (T.P. allelúia).

Ser. B In hoc nóvimus caritátem, quóniam ille pro nobis ánimam suam pósuit; et nos debémus pro frátribus ánimas pónere (T.P. allelúia).

Ser. C Pater, si non potest hic calix transíre nisi bibam illum, fiat volúntas tua. [AJ I 655]

Psalmus 87 [LH II 372]

Iusti mærentis assidua et fiducialis oratio

Visus est etiam aliquando orare sanctus Pater Dominicus, manibus et ulnis expansis, ad similitudinem crucis vehementer extensis ... « Domine Deus salutis meæ, etc. » usque ibi: « Expandi manus meas ad te ». Per hoc poterat quilibet devotus orationem intelligere illius Patris et doctrinam in orando hoc modo, cum vellet in Deum mirabiliter moveri virtute orationis (E Novem modis orandi S. Dominici).

℣. Vere languóres nostros ipse tulit (T.P. allelúia).
℟. Et dolóres nostros ipse portávit (T.P. allelúia).

Lectio prior [**]

De libro Isaíæ prophétæ 52, 13 — 53, 12

Vulneratus est propter iniquitates nostras

Ecce próspere aget servus meus; exaltábitur et elevábitur et sublímis erit valde. Sicut obstupuérunt super eum multi, sic defórmis erat, quasi non esset hóminis spécies eius, filiórum hóminis aspéctus eius, sic dispérget gentes multas. Super ipsum con-

tinébunt reges os suum, quia, quæ non sunt narráta eis, vidérunt et, quæ non audiérunt, contempláti sunt.

« Quis crédidit audítui nostro, et brácchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndit sicut virgúltum coram eo et sicut radix de terra sitiénti. Non erat spécies ei neque decor, ut aspicerémus eum, et non erat aspéctus, ut desiderarémus eum. Despéctus erat et novíssimus virórum, vir dolórum et sciens infirmitátem, et quasi abscondebámus vultum coram eo; despéctus, unde nec reputabámus eum.

Vere languóres nostros ipse tulit et dolóres nostros ipse portávit; et nos putávimus eum quasi plagátum, percússum a Deo et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra; disciplína pacis nostræ super eum, et livóre eius sanáti sumus.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit; et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum ».

Afflíctus est et ipse subiécit se et non apéruit os suum; sicut agnus, qui ad occisiónem dúcitur, et quasi ovis, quæ coram tondéntibus se obmútuit et non apéruit os suum.

Angústia et iudício sublátus est. De generatióne eius quis enarrábit? Quia abscíssus est de terra vivéntium; propter scelus pópuli mei percússus est ad mórtem. Et posuérunt sepúlcrum eius cum ímpiis, cum divítibus túmulum eius, eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore eius. Et Dóminus vóluit contérere eum infirmitáte. Si posúerit in piáculum ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu eius prosperábitur.

Propter labórem ánimæ eius vidébit lucem, saturábitur in sciéntia sua. Iustificábit iustus servus meus multos et iniquitátes eórum ipse portábit. Ideo dispértiam ei multos, et cum fórtibus dívidet spólia,

pro eo quod trádidit in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est; et ipse peccátum multórum tulit et pro transgressóribus rogat.

RESPONSORIUM Is 53, 5; 1 Petr 2, 24; Eph 5, 2

℟. Vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra; disciplína pacis nostræ super eum. * Et livóre eius sanáti sumus (T.P. allelúia).

℣. Christus diléxit nos et trádidit semetípsum pro nobis, oblatiónem et hóstiam Deo, in odórem suavitátis. * Et livóre.

Vel, præsertim in cantu: Ier 11, 19; Ps 40, 8

℟. Eram quasi Agnus ínnocens: ductus sum ad immolándum et nesciébam; consílium fecérunt inimíci mei advérsum me, dicéntes: * Veníte, mittámus lignum in panem eius, et eradámus eum de terra vivéntium.

℣. Omnes inimíci mei advérsum me cogitábant mala mihi: verbum iníquum mandavérunt advérsum me, dicéntes: * Veníte. [OHS 43]

Vel alia:

De Epístola beáti Pauli apóstoli
ad Romános 5, 8-11. 17-21. 6, 1-11

Vetus homo noster simul cum Christo crucifixus est ut ultra non serviamus peccato

Commendat suam caritatem Deus in nos ...

RESPONSORIUM 2 Cor 5, 14-15; Rom 8, 32

℟. Cáritas Christi urget nos, æstimántes hoc quóniam pro ómnibus mórtuus est Christus; * Ut et qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit (T.P. allelúia).

℣. Próprio Fílio suo non pepércit Deus, sed pro nobis ómnibus trádidit illum. * Ut et qui vivunt.

Vel, præsertim in cantu:

℟. Per tuam Crucem salva nos, Christe Redémptor, qui mortem nostram moriéndo destruxísti, * Et vitam resurgéndo reparásti (T.P. allelúia).

℣. Miserére nostri, Iesu benígne, qui passus es cleménter pro nobis. * Et vitam. [AG 799]

LECTIO ALTERA [***]

Ex Tractátu De Passióne Christi sancti Thomæ de Aquíno presbýteri

(Summa Theol. III, 46, 1, 3m et 3c; 49, 3, 2m et 3m)

Sanandæ nostræ miseriæ convenientior modus alius non fuit quam per Christi passionem

Hóminem liberári per passiónem Christi, convéniens fuit et misericórdiæ et iustítiæ eius. Iustítiæ quidem, quia per passiónem suam Christus satisfécit pro peccáto humáni géneris: et ita homo per iustítiam Christi liberátus est. Misericórdiæ vero, quia, cum homo per se satisfácere non posset pro peccáto totíus humánæ natúræ, Deus ei satisfactórem dedit Fílium suum, secúndum illud: *Iustificáti gratis per grátiam ipsíus, per redemptiónem quæ est in Christo Iesu, quem pósuit Deus propitiatórem per fidem ipsíus.*

Et hoc fuit abundantióris misericórdiæ quam si peccáta absque satisfactióne dimisísset. Unde dícitur: *Deus, qui dives est in misericórdia, propter nímiam caritátem qua diléxit nos, cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo.*

Augustínus dicit: « Sanándæ nostræ miséria conveniéntior modus álius non fuit » quam per Christi passiónem. Tanto enim áliquis modus conveniéntior est ad assequéndum finem, quanto per ipsum plura concúrrunt quæ sunt expediéntia fini. Per hoc autem quod homo per Christi passiónem est liberátus, multa

occurrérunt ad salútem hóminis pertinéntia, præter liberatiónem a peccáto.

Primo enim, per hoc homo cognóscit quantum Deus hóminem díligat, et per hoc provocátur ad eum diligéndum: in quo perféctio humánæ salútis consístit. Unde Apóstolus dicit: *Comméndat suam caritátem Deus in nobis, quóniam, cum inimíci essémus, Christus pro nobis mórtuus est.* Secúndo, quia per hoc dedit nobis exémplum obœdiéntiæ, humilitátis, constántiæ, iustítiæ, et ceterárum virtútum in passióne Christi ostensárum: quæ sunt necessáriæ ad humánam salútem. Unde dícitur: *Christus passus est pro nobis, nobis relínquens exémplum, ut sequámur vestígia eius.*

Tértio, quia Christus per passiónem suam non solum hóminem a peccáto liberávit, sed étiam grátiam iustificántem et glóriam beatitúdinis ei proméruit. Quarto, quia per hoc est hómini indícta maior necéssitas se immúnem a peccáto conservándi: secúndum illud: *Empti estis prétio magno: glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.* Quinto, quia hoc ad maiórem dignitátem cessit: ut, sicut homo victus fúerat et decéptus a diábolo, ita étiam homo esset qui diábolum vínceret; et sicut homo mortem méruit, ita homo moriéndo mortem superáret; ut dícitur: *Deo grátias, qui dedit nobis victóriam per Iesum Christum.*

Ad hoc autem quod consequámur efféctum passiónis Christi, opórtet nos ei configurári. Configurámur autem ei in baptísmo sacramentáliter, secúndum illud: *Consepúlti sumus ei per baptísmum in morte.* Unde baptizátis nulla pœna satisfactória impónitur: quia sunt totáliter liberáti per satisfactiónem Christi. Quia vero *Christus semel tantum pro peccátis nostris mórtuus est*, ídeo non potest homo secundário configurári morti Christi per sacraméntum baptísmi. Unde opórtet quod illi qui post baptísmum peccant, configuréntur Christo pa-

tiénti per áliquid pœnalitátis vel passiónis quam in seípsis sustíneant. Quæ tamen multo minus súfficit quam esset condígna peccáto, cooperánte satisfactióne Christi.

Satisfáctio autem Christi habet efféctum in nobis in quantum incorporámur ei ut membra cápiti. Membra autem opórtet cápiti esse conformia. Et ídeo, sicut Christus primo quidem hábuit grátiam in ánima cum passibilitáte córporis, et per passiónem ad glóriam immortalitátis pervénit; ita et nos, qui sumus membra eius, per passiónem ipsíus liberámur quidem a reátu cuiúslibet pœnæ, ita tamen quod primo recípimus in ánima *spíritum adoptiónis filiórum*, quo adscríbimur ad hereditátem glóriæ immortalitátis, adhuc corpus passíbile et mortále habéntes; póstmodum vero, *configuráti passiónibus et morti Christi*, in glóriam immortálem perdúcimur; secúndum illud Apóstoli: *Si fílii Dei, et herédes, herédes quidem Dei, coherédes autem Christi: si tamen compátimur, ut simul glorificémur.*

RESPONSORIUM 1 Petr 2, 24; Eph 2, 4-5

℟. Christus peccáta nostra pértulit in córpore suo super lignum * Ut peccátis mórtui iustítiæ vivámus (T.P. allelúia).

℣. Propter nímiam caritátem, qua diléxit nos Deus, cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo. * Ut peccátis.

Vel, præsertim in cantu: 2 Tim 1, 9-10

℟. Vocávit nos Deus vocatióne sua sancta, secúndum grátiam suam, quæ manifestáta est nunc * Per illuminatiónem Salvatóris nostri Iesu Christi (T.P. allelúia).

℣. Qui destrúxit mortem, illumināvit autem vitam in incorruptiónem. * Per illuminatiónem.

[AJ II 489]

Vel alia:

Ex Libéllo Amóris beáti Henríci Seuze presbýteri
(Das Minnebüchlein: ed. K. Bihlmeyer, Heinrich Seuse, Deutsche Schriften, Stuttgart 1907, pp. 537 sqq.)

In Passione Christum sequi

O Sapiéntia ætérna, splendor glóriæ et figúra substántiæ Patris, qui univérsa de níhilo creásti, et ut hóminem ad Paradísi gáudia perdúceres, in hanc vallem miséria descendísti eíque viam redeúndi per tuam dulcíssimam conversiónem demonstrásti, et pro cunctórum satisfactióne tamquam Agnus ínnocens Patri immolári voluísti, áperi per pretiósam mortem tuam cor meum, ut te regem regum et dóminum dominántium óculis íntegræ fídei semper adspíciam.

O cæléstis fortitúdo et constántia ánimæ meæ, Iesu Christe dulcíssime, qui primum ad domum príncipis Annæ sæve ductus, de doctrína tua a Iudæis, ad prunas sedéntibus, et ab Anna ipso interrogátus es. Qui mansuétus respondísti, sed caput tuum crudéliter percussérunt. O splendor lucis ætérnæ et spéculum sine mácula, quanto contémptu óculos tuos claros obligavérunt, et fáciem amábilem conspuéntes fœdavérunt et caput innóxium tantis plagis percussérunt!

O redémptio mundi plene satisfáciens, Iesu Christe dulcíssime, post magnum martýrium quod per totam noctem usque ad dilúculum passus es in domo príncipis Annæ, ut et martýrium et cáritas tua univérso mundo manifésta fíerent, ad aulam Cáiphæ ductus et quasi latro circúmdatus es. Cum autem tam humíliter coram iúdice stabas, iníque accusátus es; quamvis Fílius Dei ipse esses, illi diris vócibus clamábant te mortis esse reum.

O solus princeps et princípium omnis creatúræ, Dóminus ómnium legiónum Angelórum, Iesu Christe dulcíssime, brácchia tua crudéliter tetendé-

runt, te nudum ad incómmodam colúmnam alligavérunt, sævis plagis flagellavérunt, purpúreo vestiménto induérunt, coróna spínea coronavérunt, blasphémiis derisérunt, caput sanctum tuum sævis mánibus percussérunt: fácie ergo cruóre fœdáta, portans corónam spíneam et purpúreum vestiméntum, foras edúctus es. Senténtia mortis a mortáli iúdice contra te, vitæ auctórem, pronuntiáta est.

At unum scio, unum ut verum téneo: ómnia hæc ut me ad amórem tuum attráheres pertulísti, te, summe bonum, étiam plagis aspérrimis dans pro mei caritáte.

Nunc ergo, ánima mea, áspice fáciem eius amábilem, in quo plenitúdinem omnis grátiæ habes, quia ipse róseis guttis rubéscit; áspice caput eius, e quo fontes sánguinis manant, crudélibus spinis quæ illud transfixérunt!

Concéde nunc sérvulo tuo, o Rex meus, ut in passióne te sequar, ut mala ita feram, ut tecum crucifígar, tecum regnatúrus in sæcula sæculórum. Amen.

RESPONSORIUM 1 Cor 1, 18. 23

℟. Verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est. * His autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est (T.P. allelúia).

℣. Nos prædicámus Christum crucifíxum, Iudæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam. * His autem.

Vel, præsertim in cantu: 1 Petr 2, 21-23

℟. Christus passus est pro vobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia eius: * Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ipsíus.

℣. Qui, cum maledicerétur, non maledicébat, cum paterétur, non comminabátur. * Qui peccátum.

Vel alia:

E Sermónibus super Ezechiélem fratris Hierónymi Savonaróla presbýteri

(Ed. Naz.: Prediche sopra Ezechiele, a cura di R. Ridolfi, vol. II, Roma 1955, pp. 336-344)

Christus crucifixus amor est noster verus

Congregáti sumus hic ut contemplémur passiónem Dómini Salvatóris. Néscio an gaudére vel tristári debeámus. Gaudéndum est de tanta salúte, tristári autem de tali morte. Eámus ergo in utráque parte, non dicémus áliud nisi amor, omnes clament: amor, amor.

Prædicátio nostra erit subtílis et non subtílis, tamen omnes accípient, máxime expérti in amóre, inexpérti autem cognóscent longitúdinem suam ab amóre. Amor non tenet órdinem, unde loquémur cum amáto et cum ipso amóre. Non exténdam me super órdinem passiónis, sed intelligétis me. Omnes atténti sitis et intrémus in amórem.

Cógitans super hac passióne Dómini quid dictúrus essem, vidi mulíerem pulchram et ornátam et flentem. Factus óbviam ei dixi: Quem quæris? Quid est quod fles? Respóndit sponsa Christi, et dixit: quæro diléctum qui pacíficet me. Volo ipsum quem díligo. Volo non solum ipsum sed et amórem eius, áliud non desídero ab eo nisi hoc. Invéni custódes in terris, scílicet apóstolos páuperes, interrogávi eos et dixi: Quem amátis vos? Certe et nos amórem amámus. Ecce ostendémus tibi Christum crucifíxum, hic est amor noster verus. O sic talis crucifíxus amor est! Est quidem. Ténui ergo eum et dixi: Amor es tu? Respóndit: *Ego vir videns paupertátem meam.* O quare es pauper? Quia amor semper pauper est; amor ómnia oblivíscitur præter rem amátam. Eram ditíssimus et factus sum pauper; habébam ómnia, et nihil vidétur esse in me. Vellem ergo et ego te

oblivísci ómnia, et vellem te éffici amórem mecum et essémus unus amor simul.

Vere omnes conditiónes amántis habes, Dómine Iesu. Vere tu amor es verus. Respício manus, pedes, caput, os sanctum et corpus tuum et es totus amor. Sed non potes redímere natúram humánam absque talem passiónem? Certe sic, cum omnes actus mei sint infiníti; sed amor non vult hoc tantum, sed maióra. Unde ego fílius et véritas ætérna, fácere débeo ut inter vos vídear mórtuus. Sed non posset áliter fíeri? Absolúte posset; sed præcéptum divínum *circúmdedit me,* et amor áliter non permíttit. *Aggravávit cómpedem meum,* ligans me in carcéribus amor, et tenet me. Aliis módica pássio est data, sed mihi super omnes.

Quid dicis, María, de amóre dilécti fructus? Nonne miréris de tanto amóre? O Virgo, quid dicis? Diléctus meus cándidus est propter divinitátem et rubicúndus propter humanitátem. Eléctus super omnes Angelos, quia amor est. Verba eius stillant primam myrrham, idest primam mortificatiónem, et primam passiónem: unde ego, fili, quoad partem rationálem, sum conténta.

O amor adhuc satiátus non es sic condemnátus ab homínibus? Nonne suffíciunt quæ habuísti? Pónitur crux in húmeris eius in médio latrónum, sed amor portábat ómnia. Secúndum áliquos óbviam factus est Vírgini: et videns óculis própriis fílium et fílius matrem, facti sunt inde ampléxus. « O fili, quid est hoc? ». « Mater, opórtet sic fácere pro salúte ».

[Venérunt ad montem. Non est négligens amor. Orat: Pater, ecce amor condúxit me hucúsque. Ecce caro mea, ecce sacrifícium. Pérfora manus et pedes, óffero me pro ómnibus Iudæis et ómnibus præséntibus et futúris. Qua facta oratióne, exúitur spontánee. Pórrigit manum, et ecce conclavátur, tráhitur áltera et idem tráhitur pedes. O Dómine Iesu, quid

est hoc? O ciélo! o Angeli, o María, quid fácitis? Ecce crux Dómini et Deus noster!

Ecce, dilectíssimi, amor. O amor divínus, quómodo vídeo te absque consolatóre. Factus es in oppróbrium; omnes vitúperant, et tu stas, Iesus, et dicis: Parce illis. Tu dicis: Sítio, et inebriáris absíntio. Amor sic condúxit me. *Recordáre*, ánima mea, *paupertátis meæ.* Hic est rex tuus et Deus tuus. Comméndo tibi hunc pópulum, Dómine. Amor víscerum tuárum, parce, Dómine, huic pópulo tuo. Amen.]

RESPONSORIUM Lam 1, 12

℟. O vos omnes qui transítis per viam, atténdite et vidéte, * Si est dolor símilis sicut dolor meus.

℣. Atténdite, univérsi pópuli, et vidéte dolórem meum. * Si est dolor. [OHS 208]

Ad Officium vigiliæ

Ad cantica, ant. Ego sum vestra redémptio: manus meæ, quæ vos fecérunt, clavis confíxæ sunt, propter vos flagéllis cæsus sum, spinis coronátus sum, aquam pétii pendens et acétum porrexérunt, in escam meam fel dedérunt, et in latus lánceam; mórtuus et sepúltus, resurréxi: vobíscum sum, et vivo in ætérnum (T.P. allelúia). [AJ I 701]

Cantica et Evangelium sumuntur in Liturgia Horarum (II, 1730-1732 et 1738, vel IV, 1594 in Exaltatione S. Crucis).

[HYMNUS Te Deum.]

Oratio, ut ad Laudes matutinas, 577 vel ad Vesperas, 584.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Christe, lux vera, bónitas et vita,
gáudium mundi, píetas imménsa,
qui nos a morte róseo salvásti
sánguine tuo,

Insere tuum, pétimus, amórem
méntibus nostris, fídei refúnde
lumen ætérnum, caritátis auge
dilectiónem.

Tu nobis dona fontem lacrimárum,
tu parcitátis múnera minístra,
vítia carnis animíque tunde
frámea tua.

Procul a nobis pérfidus absístat
Satan, a tuis víribus confráctus;
Sanctus assístat Spíritus, a tua
sede demíssus.

Glória Deo sit ætérno Patri,
sit tibi semper, Genitóris Nate,
cum quo æquális Spíritus per cuncta
sæcula regnat.

PSALMODIA

Sumitur ad libitum alia vel alia series antiphonarum ex his quæ hic, eodem modo ac supra diversificatæ, proponuntur, cum psalmis specialiter selectis vel psalmodia de dominica hebd. I.

Antiphona 1

Ser. A Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret (T.P. allelúia).

Ser. B Christus per Spíritum Sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo (T.P. allelúia).

Ser. C Ecce appropinquávit hora, et Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. [AJ I 657]

Psalmus 56

[LH II 900]

Fiducialis oratio matutina in afflictione

Audis Magistrum orantem, disce orare. Ad hoc enim oravit, ut doceret orare; ad hoc passus est, ut doceret pati (Rufinus).

Antiphona 2

Ser. A Opórtuit Christum multa pati et sic intráre in glóriam suam.

Ser. B Vos, qui aliquándo erátis longe, facti estis prope in sánguine Christi.

Ser. C Exívit ergo Iesus portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum. Et dixit Pilátus: Ecce homo. [AJ I 709]

Canticum Is 12, 1-6

[LH II 1001]

Populi redempti exsultatio

Si quis sitit, veniat ad me et bibat (Io 7, 37).

Antiphona 3

Ser. A Iustificáti in sánguine Christi, salvi érimus ab ira per ipsum.

Ser. B Grátias Deo qui dedit nobis victóriam per Iesum Christum.

Ser. C Pilátus volens pópulo satisfácere, trádidit illis Iesum flagéllis cæsum, ut crucifigerétur. [AJ I 707]

Psalmus 147

[LH II 367]

Laus pro salute

Vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi (Eph 2, 13).

LECTIO BREVIS Col 1, 3. 19-22

Grátias ágimus Deo Patri Dómini nostri Iesu Christi, quia in ipso complácuit omnem plenitúdinem habitáre et per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis eius, sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt. Et vos, cum essétis aliquándo alienáti et inimíci sensu in opéribus malis, nunc autem reconciliávit in córpore carnis eius per mortem exhibére vos sanctos et immaculátos et irreprehensíbiles coram ipso.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Adorámus te Christe, * Et benedícimus tibi. Adorámus.

℣. Quia per passiónem et mortem tuam redemísti mundum. * Et benedícimus. Glória Patri. Adorámus.

Tempore paschali: 1 Io 4, 9-11

In hoc appáruit cáritas Dei in nobis quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum. In hoc est cáritas, non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse diléxit nos et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. Caríssimi, si sic Deus diléxit nos, et nos debémus altérutrum dilígere.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Christus diléxit nos, et lavit nos in sánguine suo. * Allelúia, allelúia. Christus.

℣. Et fecit nos regnum, et sacerdótes Deo et Patri, * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Christus.

[AG 856]

Ad Benedictus, ant. Tráditus est Iesus propter delícta nostra et resurréxit propter iustificatiónem nostram (T.P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Próprio Fílio non pepércit Deus, sed pro nobis ómnibus trádidit illum. [AG 476]

Vel: O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte si est dolor sicut dolor meus. [AG 480]

PRECES

Redemptórem nostrum, mediatórem ad Deum pro nobis super crucem constitútum, sincéra pietáte adorémus eúmque implorémus:
Qui passus es pro nobis, exáudi nos.

Tu, Dóminus et magíster noster, qui pro nobis factus es obœdiens usque ad mortem,
— doce nos voluntáti Patris semper obtemperáre.

Tu, via et véritas nostra, qui omnes accedéntes per te ad Deum in perpétuum salváre potes,
— univérsos fílios Dei dispérsos cóngrega in viam salútis ætérnæ.

Tu, pastor et rector noster,
qui láncea mílitis transfígi voluísti,
ut inde sacraménta salútis manárent,
— perduc Ecclésiam tuam in pascha ætérnitátis.

Tu, Redémptor noster, qui in ligno pendens, latróni pæniténti pepercísti,
— nobis peccatóribus ignósce.

Tu, Salvátor noster, qui vitam tuam imménsa caritáte pro frátribus tradidísti,
— præsta, ut eádem caritáte nos ínvicem diligámus.

[Qui uníus Patris fílii, per Christi passiónem et resurrectiónem, effécti sumus et in eiúsdem Spíritu unánimes habitámus in domo, Patrem exorémus oratióne ipsíus Christi:]

Pater noster, etc.

Oratio

Dicitur una ex sequentibus orationibus ad libitum selecta:

1 Omnípotens sempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere et crucem subíre fecísti, concéde propítius ut, sicut commemoratiónem passiónis eius celebrámus, ita et patiéntiæ ipsíus habére documénta et resurrectiónis consórtia mereámur. Per Dóminum.

2 Dómine Iesu Christe, qui expánsis in cruce mánibus traxísti ómnia ad te, trahe nos ad apértum cor tuum míserans, ut tuo sánguine ablúti tuóque Spíritu recreáti in tuo amóre cotídie crescámus. Qui vivis.

3 Fac nos, miséricors Deus, Dómini Iesu patiéntis meditáre mystérium et resurgéntis prædicáre virtútem ut, superáto mortis certámine, ad incorruptíbilem resurrectiónem perveniámus. Per Dóminum.

Vel ut ad Vesperas, 584.

Benedictio finalis, 585.

Ad Horam mediam

Psalmi de feria currente cum antiphonis propriis ut infra (IGLH, nn. 135, 232). Pro adiunctis ad unam ex his Horis dici possunt sequentes psalmi: Pss 39, 2-14. 17 18 (I et II); 53, 1-6. 8-9. Sicubi vero gradu sollemnitatis celebretur, ad alias Horas psalmodia complementaris adhibeatur. Pro celebratione in cantu series C antiphonarum sumi potest.

HYMNUS

Salva, Redémptor, plasma tuum nóbile,
signátum sancto vultus tui lúmine,
ne lacerári sinas fraude dæmonum,
propter quod mortis exolvísti prétium.

Dole captívos esse tuos sérvulos,
absólve reos, compedítos érige,
et quos cruóre redemísti próprio,
rex bone, tecum fac gaudére pérpetim.

Ad Tertiam

Antiphona

Ser. A Sciébat ab inítio Iesus qui essent non credéntes et quis traditúrus esset eum.

Ser. B Iesus ut vidit Maríam plorántem et Iudæos, qui vénerant cum ea, plorántes propter Lázarum, frémuit spíritu et turbávit seípsum: et lacrimátus est.

Ser. C Veni ad montem myrrhæ, et ad collem thuris: tamquam agnus ad occisiónem ductus obmútui, et non apérui os meum. [AJ I 669]

LECTIO BREVIS Col 2, 6.13-14

Sicut accepístis Christum Iesum Dóminum, in ipso ambuláte, quia cum mórtui essétis in delíctis et præpútio carnis vestræ, convivificávit vos Deus cum illo, donans nobis ómnia delícta, delens quod advérsum nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, et ipsum tulit de médio affígens illud cruci.

℣. Oblátus est, quia ipse vóluit (T.P. allelúia).
℟. Et livóre eius sanáti sumus (T.P. allelúia).

Oratio

Effúnde super nos, quǽsumus, omnípotens Deus, spíritum oratiónis et grátiam prædicatiónis, ut Unigéniti tui passiónem pio devotiónis afféctu iúgiter recólere, et in corde pópuli tui verbo et exémplo imprímere valeámus. Per Christum.

Ad Sextam

Antiphona

Ser. A Multi discipulórum Iesu abiérunt retro et iam non cum illo ambulábant.

Ser. B Videns Iesus civitátem flevit super illam, dicens: Si cognovísses et tu, quæ ad pacem tibi!

Ser. C Quasi abscónditus vultus eius et despéctus, unde nec reputávimus eum. [AJ I 686]

Lectio brevis Phil 1, 29-30a; 2, 5

Vobis datum est pro Christo non solum ut in eo credátis sed ut étiam pro illo patiámini, idem certámen habéntes. Hoc sentíte in vobis quod et in Christo Iesu.

℣. Meménto mei, Dómine (T.P. allelúia).
℟. Dum véneris in regnum tuum (T.P. allelúia).

Oratio, ut ad Tertiam.

Ad Nonam

Antiphona

Ser. A Videns Iesus turbas, misértus est eis, quia erant vexáti et iacéntes sicut oves non habéntes pastórem.

Ser. B Tota cívitas éxiit óbviam Iesu, et viso eo rogábant ut transíret a fínibus eórum.

Ser. C Ad Iesum cum veníssent, non fregérunt eius crura, sed unus mílitum láncea latus eius apéruit. [AG Add., 11 **]

LECTIO BREVIS Rom 8, 16-17

Spíritus testimónium reddit una cum spíritu nostro quod sumus fílii Dei et herédes: herédes quidem Dei, coherédes autem Christi; si tamen compátimur ut et conglorificémur.

℣. Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo (T.P. allelúia).

℟. Et fecísti nos Deo nostro Regnum (T.P. allelúia).

Oratio, ut ad Tertiam.

HYMNUS

Ad Vesperas

Signum crucis mirábile
totum per orbem prænitet,
in qua pepéndit ínnocens
Christus, Redémptor ómnium.

Hæc arbor est sublímior
cedris, habet quas Líbanus,
quæ poma nescit nóxia
sed ferre vitæ prǽmia.

Tu, Christe, rex piíssime,
huius crucis signáculo
horis, moméntis ómnibus
muníre nos non ábnuas,

Ut, ore tibi cónsono
et corde devotíssimo,
possímus omni témpore
laudes referre débitas.

Patri, tibi, Paráclito
sit æqua, Iesu, glória,
qui nos crucis victória
concédis usque pérfrui.

PSALMODIA

Sumitur ad libitum alia vel alia series antiphonarum ex his quæ hic proponuntur: quarum prima A « kerigmatica » dici potest; altera vero B « parenetica »; tertia autem C « evangelica », cantu gregoriano ornata.

Antiphona 1

Ser. A Propter nímiam caritátem suam, qua dilexit nos Deus, cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo (T.P. allelúia).

Ser. B Gratificávit nos Deus in dilécto Fílio suo, in quo habémus redemptiónem per sánguinem eius (T.P. allelúia).

Ser. C Et báiulans sibi crucem exívit in eum, qui dícitur Calváriæ locum: ubi crucifixérunt eum. [AJ I 709]

Psalmus 21, I et II: 2-23 [LH II 1112]

Afflictio iusti et exauditio

Ideo Iesus voce magna clamabat, ut notum omnibus faceret quam oportuerit eum sævientibus manibus derelinqui, hoc est Salvatorem mundi fieri, non per miseriam, sed per misericordiam; nec amissione auxilii, sed definitione moriendi (S. Leo Magnus).

Antiphona 2

Ser. A Christus semel pro peccátis passus est, iustus pro iniústis, ut nos offérret Deo (T.P. allelúia).

Ser. B Christus semel oblátus ad multórum auferénda peccáta, secúndo apparébit exspectántibus se in salútem (T.P. allelúia).

Ser. C Ait latro ad latrónem: Nos quidem digna factis recípimus; hic autem quid fecit? Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum (T.P. allelúia). [AG 477]

Psalmus 21, III: 24-33 [LH II 1113]

Antiphona 3

Ser. A Christus cum esset Fílius, dídicit ex his, quæ passus est, obœdiéntiam; et factus est ómnibus obœdiéntibus sibi causa salútis ætérnæ (T.P. allelúia).

Ser. B Christus peccáta nostra pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui, iustítiæ vivámus (T.P. allelúia).

Ser. C Cum accepísset Iesus acétum dixit: Consummátum est; et inclináto cápite trádidit spíritum. [AG 478]

Canticum 1 Petr 2, 21-24 [LH II 857]

Christus patiens nobis reliquit exemplum

Lectio brevis Hebr 12, 1b-3

Per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen, aspiciéntes in auctórem fidei et consummatórem Iesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit crucem, confusióne contémpta atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte eum qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semetípsum contradictiónem, ut ne fatigémini ánimis vestris deficiéntes.

Responsorium breve

℟. Christus mórtuus est pro peccátis nostris, * Ut nos offérret Deo. Christus.

℣. Mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu. * Ut nos offérret Deo. Glória Patri. Christus.

Tempore paschali: Act 13, 26-30

Viri fratres, nobis verbum salútis huius missum est. Qui habitábant Ierúsalem et príncipes eórum, Iesum ignorántes et voces prophetárum, quæ per omne sábbatum legúntur, iudicántes implevérunt, et nullam causam mortis inveniéntes petiérunt a Piláto ut interficerétur; cumque consummássent ómnia, quæ de cælo scripta erant, deponéntes eum de ligno posuérunt in monuménto. Deus vero suscitávit eum a mórtuis.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Miserére nostri, Iesu benígne. * Allelúia, allelúia. Miserére.

℣. Qui passus es cleménter pro nobis. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Miserére.

Ad Magnificat, ant. Christus pro ómnibus mórtuus est, ut et qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit (T.P. allelúia).

Vel, præsertim in cantu: Fecit nos Deo et Patri suo regnum, primogénitus mortuórum, et princeps regum terræ, allelúia. [AG 1000]

Vel: Dum in cruce pénderet unigénitus Dei Fílius, et ab ómnibus subsannarétur, mater eius Virgo María ipsum verum Deum et hóminem cóndolens venerabátur. [AJ I 693]

PRECES

Christum Iesum, qui per Spíritum Sanctum semetípsum óbtulit Patri pro salúte ómnium nostrum, adorémus et sincéro corde invocémus:
Dómine, miserére.

Dómine Iesu, qui per passiónem tuam
grátiam mundo es largítus,
— da ut de Spíritu tuo iúgiter vivámus,
quem per baptísmum nobis infudísti.

Qui oppróbrium hóminum es factus
et quasi vermis calcátus propter nos,
— doce nos tuam humilitátem et patiéntiam indúere.

Qui in hunc mundum venísti,
ut testimónium perhibéres veritáti,
— corda nostra corróbora,
ut semper simus cooperatóres veritátis.

Qui teípsum humiliásti,
factus obœdiens usque ad mortem,
— da nos per patiéntiam passióni tuæ adhærére,
ut resurrectiónis grátiam consequámur.

Qui in passióne tua dira torménta sustinuísti,
— doce illáta nobis, tecum patiénter sustinére,
ut salutáre tuum in nobismetípsis manifestémus.

Qui latróni tecum in cruce patiénti
paradísi áditum reserásti,
— defúnctos fratres et soróres
tecum in cælo addúcere dignéris
nosque aliquándo eórum redde consórtes.

[Exémplum Christi secúti, qui cruci affíxus voluntáti Patris se trádidit eúmque pro persecutóribus exorávit, misericordiárum Patrem deprecémur, dicéntes:]

Pater noster, etc.

Oratio

1 Omnípotens sempitérne Deus, qui passiónem Fílii tui Dómini nostri Iesu Christi in prétium redemptiónis humánæ misericórditer suscepísti, concéde propítius, ut, sicut hódie pœnárum et dolórum passiónis eius memóriam celebrámus, ita eorúndem fructus mereámur esse partícipes. Per Dóminum.

2 Deus, qui Unigénitum tuum crucem subíre voluísti, ut salvum fáceret genus humánum, præsta quǽsumus ut, cuius mystérium in terra cognóvimus, eius redemptiónis prǽmia in cælo cónsequi mereámur. Per Dóminum.

3 Deus, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem, concéde nobis fámulis tuis ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per Dóminum.

Vel ut ad Laudes matutinas, 577.

Benedictio finalis

Super famíliam tuam, quǽsumus, Dómine, quæ passiónem et mortem Fílii tui in spe resurrectiónis devóta mente recóluit, benedíctio copiósa descéndat, indulgéntia véniat, consolátio abúndet, fides sancta succréscat, redémptio sempitérna firmétur.

℟. Amen.

OFFICIA
B. MARIÆ VIRGINIS IN SABBATO

★ Sancta Maria Mater Dei 589
★ Sancta Maria Regina Virginum 597
★ Sancta Maria Mater Gratiæ 605
★ Sancta Maria Mater Misericordiæ 614
★ Sancta Maria Regina Apostolorum 621

Pro celebratione memoriæ ad libitum B. Mariæ Virginis in sabbato, iuxta primævam Ordinis traditionem, præter Officium quod in Liturgia Horarum invenitur (III, 1362; IV, 1346) adhiberi potest unum aliumve ex sequentibus schematibus cum elementis propriis, congrua quidem discretione servata.

Diversa hæc schemata peculiaribus titulis ornantur, quin ex eo aliquis illius notæ character ipsis tribuatur, nisi simplex quædam connotatio, practicitatis causa.

I

[SANCTA MARIA MATER DEI]

Ad Invitatorium

Ant. Memóriam Dei Genetrícis celebrántes, Christum eius Fílium adorémus Dóminum.

Vel: Christum natum ex Vírgine, veníte, adorémus.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Iubilémus in hac die
quam Regínæ cæli piæ
dicávit Ecclésia.

Hæc est dies in qua sua
vota tibi, Virgo, tua
reddit hæc família.

Dies olim benedícta,
dies quoque sancta dicta
fuit ista séptima.

Benedícta quam dicáris
scimus, Virgo singuláris,
et quam sis sanctíssima.

In hac die dum despérat
grex pusíllus qui tunc erat
fidem tenet fírmius.

In hac die suspiránte
teque pie deprecántes
obáudis frequéntius.

Tu de pœnis nos edúcis,
Mediátrix, et addúcis
ad supérna gáudia.

Tu nos purgas a peccátis
et in Christo renovátis
præstas nobis prǽmia.

Venerémur ergo, fratres,
ut sanxérunt sancti patres,
hac in die Vírginem.

Exorántes ut condúcat
nos hic, tandem et perdúcat
ad illam dulcédinem.

Vel hymnus Quem terra, pontus, ǽthera, ut in Liturgia Horarum (III, 1342; IV, 1326).

Antiphonæ, psalmi, versus et lectio prior cum suo responsorio, de sabbato currente.

LECTIO ALTERA [**]

Ex Oratiónibus sanctæ Catharínæ Senénsis vírginis
(Oratio XI, in die Annuntiationis 1379: ed. G. Cavallini, Roma 1978, pp. 119-123)

In Maria seminatum fuit Verbum Dei

O María, María templum Trinitátis! O María portátrix ignis, María administrátrix misericórdiæ, María germinátrix fructus; María redémptrix humáni géneris, ex eo quia, carne tua patiénte in Christo, redémptus est mundus: Christus redémit sua passióne, tu mentis et córporis dolóre.

O María mare pacíficum, o María donátrix pacis, María terra fructífera. María, tu es planta nova de qua habémus florem odoríferum, Verbum vidélicet unigénitum Fílium Dei; in te enim terra fructífera seminátum fuit hoc Verbum. Tu es terra, tu es planta. O María currus ignis, tu vestísti ignem abscónditum et velátum sub cínere tuo, qui cinis est nostra humánitas.

O María vas humilitátis, in quo vase viget et ardet lumen veræ cognitiónis, quo lúmine levásti te

supra te, et ídeo placuísti ætérno Patri et ipse te rápuit et traxit ad se amóre præcípuo diligéndo te. Ipso lúmine et igne tuæ caritátis ac óleo tuæ humilitátis traxísti tu et inclinásti humilitátem ipsíus ad veniéndum in te, licet motus et tractus iam esset ad veniéndum ab ardentíssimo igne caritátis suæ.

O María, quia habuísti istud lumen, ídeo non fuísti stulta sed prudens, unde ex prudéntia voluísti investigáre ab Angelo quómodo esset possíbile quod tibi nuntiábat. Nonne sciébas tu hoc esse possíbile omnipoténtiæ divínæ? Absque ulla dubitatióne credébas. Quare ergo dicébas *quóniam virum non cognósco?* Certe non ídeo hoc dicébas quia defíceres in fide, sed propter humilitátem tuam profúndam hoc dixísti, qua considerábas indignitátem tuam; licet non dubitáres hoc possíbile esse Deo. O María, fuísti conturbáta in sermóne angélico propter timórem? Non vidétur, aspiciéndo in lúmine Dei, quod timóre fúeris conturbáta, licet actum admiratiónis et cuiúsdam conturbatiónis osténderis. Quid ergo admiráris? Certe magnam bonitátem Dei quam vidébas, et stupébas considerándo te ipsam et quam indígna eras ad tantam grátiam recipiéndam; in consideratióne ergo própriæ indignitátis et infirmitátis et in consideratióne magnæ et ineffábilis divínæ grátiæ super infusióne admiráta stupébas. Sic ergo dum prudénter intérrogas osténdis profúndam humilitátem tuam; nec, ut dictum est, habuísti timórem, sed admiratiónem de bonitáte imménsa Dei ex consideratióne parvitátis, immo quasi nichilitátis virtútis tuæ.

Tu hódie, o María, facta es liber in quo descrípta est régula nostra. In te enim hódie descrípta est sapiéntia Patris ætérni, in te hódie osténditur dígnitas fortitúdo et libértas hóminis. Osténditur dico hódie dígnitas hóminis quia si aspício te, o María, vídeo quod manus Spíritus Sancti descrípsit hódie in te totam Trinitátem, formándo in te Verbum in-

carnátum unigénitum Dei Fílium: descrípsit enim in te sapiéntiam Patris, quæ est ipsum unigénitum Dei Verbum; descrípsit étiam poténtiam ipsíus Patris, quia potens fuit illud fácere; et descrípsit cleméntiam ipsiúsmet Spíritus Sancti, quia sola grátia et cleméntia divína perféctum fuit tantum mystérium.

RESPONSORIUM Cf. Lc 1, 48

℟. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum: quia cum essem párvula, plácui Altíssimo, * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem.

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. * Et de meis viscéribus.

Vel alia:

Ex Expositióne beáti Humbérti de Romans presbýteri in Constitutiónes Fratrum Prædicatórum

(Opera de vita regulari, ed. J.-J. Berthier, vol. II, Romæ 1889, pp. 72-73; 70-71)

Quare sabbatum attribuatur Beatæ Virgini et plura servitia spiritualia faciat ei Ordo noster

Expedit non ignoráre quare illi qui devóti sunt beátæ Vírgini plus ipsam honórant in sábbato quam ália die. Attendéndum ígitur quod in die sábbati dícitur Dóminus quievísse: item, in ipsa tamquam in tabernáculo suo requiévit. Concórdant ergo sábbatum et Virgo, quia sábbatum est tempus, et ipsa est locus requiéi Dómini. Item, in sábbato complétum est opus creatiónis, sive natúræ: in ipsa vero complétum est opus recreatiónis, sive grátiæ. Bernárdus: « In te et per te, Benignissima, manus Conditóris quidquid creáverat recreávit: concórdant ergo ipsa et sábbatum in huiúsmodi completióne ». Dies sábbati fuit benedícta super álias dies, unde Génesis: *Benedíxit Deus diéi séptimo:* item ipsa est benedícta super omnes mulíeres.

Dies sábbati fuit sánctior áliis, unde et in eódem: *et sanctificávit illum*. Et ipsa est sánctior univérsis. Quare decens est ut benedícta super álias et sánctior ómnibus in die benedícta et in die sanctióri speciálius honorétur. Item, sicut sábbati dies est médius inter diem véneris quæ est pœnális, et diem domínicam quæ est dies gáudii, nec quis potest transíre de illa die pœnáli ad diem gáudii, nisi per sábbati diem; ita nec de pœnis huius mundi ad gáudia cæli potest áliquis transíre, nisi per ipsam Mediatrícem mundi. Item, sicut dicunt sancti, áliis deficiéntibus in die sábbati, stetit in ea fides. Item, in die sábbati reperítur plúries fecísse mirácula et subvenísse homínibus.

Tunc étiam in Offício ecclésiæ cantátur quædam sequéntia de ea própria pro sábbato « *Iubilémus in hac die* », in qua tangúntur prædíctæ ratiónes quare sábbatum eídem speciálius attribuátur.

Ipsi autem beátæ Vírgini facit Ordo plura servítia spirituália, supra multos álios Ordines.

Primum est quod incessánter per offícium prædicatiónis laudat, benedícit, prædicat eius Fílium et ipsam. Secúndum est quod Offícium quotidiánum ab ipsa ínchoat et in ipsa términat, unde Completórium eius último dícitur. Item, in hoc quod facit speciálem processiónem quotídie in eius honórem post Completórium. Item, in hoc quod in intróitu Missæ et in eius Nóminis pronuntiatióne facit ei speciálem reveréntiam genuflexiónum et inclinatiónum. Item, in hoc quod Offícium eius quotidiánum semper et ubíque dicit stando, cum ad áliud Offícium aliquándo sédeant fratres.

Item, in hoc quod in professióne quílibet de Ordine facit ei speciálem professiónem et obœdiéntiam, cum dícitur: « fácio professiónem, et promítto obœdiéntiam Deo et B. Maríæ », quod non invenítur in áliis Ordínibus. Item, in hoc quod in sábbatis totum Offícium in ecclésia fit de ea, nisi in cásibus

rationabílibus. Item, in hoc quod cum de ea cantátur áliquid in ecclésia, fratres cantant devótius et sollémnius, sicut patet in antíphonis quotidiánæ processiónis, et in commemoratiónibus quæ fiunt de ea.

Sed honéstas et devótio, quam ad B. Vírginem habére debémus, requírit quod plus faciámus quam constitútio dicat. Ipsa enim fuit magnum adiutórium initiándi Ordinem et sperátur quod ducet ad finem bonum.

RESPONSORIUM

℟. Virgo parens Christi, paritúra Deum genuísti; fúlgida stella maris, nos prótege, nos tueáris. * Dum paris et gaudes, cantant cæli ágmina laudes.

℣. Intercéde pia pro nobis Virgo María. * Dum paris.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

O gloriósa Dómina,
excélsa supra sídera,
qui te creávit próvide
lactásti sacro úbere.

Quod Heva tristis ábstulit
tu reddis almo gérmine,
intrent ut astra flébiles,
cæli fenéstra facta es.

Tu Regis alti iánua
et porta lucis fúlgida,
vitam datam per Vírginem,
gentes redémptæ, pláudite.

María, mater grátiæ,
mater misericórdiæ,
tu nos ab hoste prótege,
et hora mortis súscipe.

Glória tibi, Dómine,
qui natus es de Vírgine,
cum Patre et Sancto Spíritu
in sempitérna sæcula.

Psalmodia

Ant. 1 María Virgo semper lætáre, quæ meruísti Christum portáre, cæli et terræ conditórem, quia de tuo útero protulísti mundi salvatórem.

Hæ antiphonæ propriæ ad libitum adhiberi possunt cum psalmodia de sabbato.

Ant. 2 Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Ant. 3 Beáta es María, quæ credidísti: perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúia.

Lectio brevis Ap 12, 3a. 4cd. 5-6a

Visum est áliud signum in cælo: ecce draco stetit ante mulíerem, quæ erat paritúra, ut, cum peperísset, fílium eius devoráret. Et péperit fílium, másculum, qui rectúrus est omnes gentes in virga férrea; et raptus est fílius eius ad Deum et ad thronum eius. Et múlier fugit in desértum, ubi habet locum parátum a Deo.

Responsorium breve

℟. Sancta Dei Génetrix, * Virgo semper María. Sancta.
℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. * Virgo. Glória Patri. Sancta.

Vel alia: Is 7, 14-15

Ecce, virgo concípiet et páriet fílium et vocábit nomen eius Emmánuel; butýrum et mel cómedet, ut ipse sciat reprobáre malum et elígere bonum.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Verbum caro factum est, * Et habitávit in nobis. Verbum.

℣. Hoc erat in princípio apud Deum. * Et habitávit. Glória Patri. Verbum.

Ad Benedictus, ant. Spíritus Sanctus in te descéndet, María: ne tímeas, habébis in útero Fílium Dei, allelúia.

Vel: O gloriósa Dei Génetrix, Virgo semper María, quæ Dóminum ómnium meruísti portáre, et Regem Angelórum sola Virgo lactáre; nostri, quæsumus, pia memoráre, et pro nobis Christum deprecáre, ut tuis fulti patrocíniis ad cæléstia regna mereámur pervenire.

PRECES

Deum Patrem nostrum, qui exáudit omnes quæréntes Illum, orémus et cum fidúcia implorémus dicéntes: *Kýrie, eléison.*

Pater misericordiárum, grátias tibi referímus quod nobis Maríam matrem et exémplum dedísti,
— per eius intercessiónem corda nostra sanctífica.

Qui Maríam tuo inténtam reddidísti Verbo et ancíllam tuam fidélem effecísti,
— per eius intercessiónem Fílii tui servos ac discípulos nos éffice.

Qui Spíritum tuum misísti, ut María Iesum Fílium tuum concíperet,
— per eius intercessiónem fructus Sancti Spíritus nobis concéde.

Qui Maríam iuxta crucem stantem roborásti et in die Resurrectiónis Fílii tui replésti lætítia,
— per eius intercessiónem tribulatiónes súbleva nostras spemque nostram érige.

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti, præsta supplícibus tuis ut, qui vere eam Dei Genetrícem crédimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur. Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui beatíssimæ Vírginis Maríæ singulári patrocínio Ordinem Prædicatórum ad animárum salútem instítui, eiúsque perpétuis benefíciis cumulári voluísti, præsta supplícibus tuis ut, cuius hódie commemoratiónem cólimus, illíus protécti auxíliis ad cæléstem glóriam perducámur. Per Dóminum.

II

[SANCTA MARIA REGINA VIRGINUM]

Ad Invitatorium

Ant. Salvatórem mundi ex Vírgine natum, veníte, adorémus.

Vel: Memóriam beátæ Maríæ Vírginis celebrántes, iubilémus Deo.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Hymnus O Virgo mater, fília, ut infra, 602 vel sequens:

Ave, Virgo gratiósa,
Virgo mater gloriósa,
mater regis glóriæ.

Ave, fulgens margaríta,
per quam venit mundi vita,
Christus sol iustítiæ.

O olíva fructífera,
tu pietátis víscera
nulli claudis hóminum.

Nos éxsules lætíficas,
ut vitis dum fructíficas
Salvatórem Dóminum.

Ave, Virgo mater Dei,
o supérne sol diéi
et mundi noctis luna.

Cleméntior præ céteris,
succúrre nobis míseris
mortálium spes una.

Tecum Angeli beáti
sint nobíscum sociáti
in dulci concínitu.

Omnes ergo iubilémus
gloriámque Patri demus
cum Fílio ac Spíritu.

Antiphonæ, psalmi, versus et lectio prior cum suo responsorio, de sabbato currente.

LECTIO ALTERA [**]

Ex Tractátu de natúra boni sancti Albérti Magni epíscopi

(Cap. 141-143: ed. E. Filthaut, Monasterii Westphalorum 1974, pp. 57-58)

Verbum Patris virginitatem matris auxit, non minoravit

Stella matutína dícitur Beáta Virgo, quia mane grátiæ in ipsa est exórtum, et est *in médio nébulæ*, quæ in mane oríri solet. Nébula triplex, quam díssipat Beáta Virgo, scílicet peccáti, tristítiæ et erróris. Primam díssipat intercedéndo pro peccatóribus, secúndam autem infundéndo consolatiónem míseris, tértiam per apertiónem veritátis. Lucet *ut luna plena*,

quæ non diminúitur in lúmine, sed crescit et stat contínue diffúndens lumen grátiæ ómnibus qui sunt *in ténebris et in umbra mortis.* Et *quasi sol refúlgens* et diffúndens calórem pietátis et liquéscens in bonitáte ad ómnium rationabílium creaturárum reformatiónem. Sed hoc parum est ad laudem ipsíus, immo *ipsa est speciósior sole et super omnem dispositiónem stellárum luci comparáta invenítur prior. Luci enim succédit nox,* Maríam *autem,* stellam maris, *non vincit malítia.*

Tantum tamen lúminis hæc stella étiam in obscúro minístrat, ut vétula quandóque inspíciat, quod litterátus non capit, quia captiváre intelléctum et ad obséquium Dei inclináre mentem contémnit. Et hoc figurátur ubi ásina prophétam reprehéndit, quod ipsa et non ipse ángelum Dei et voluntátem Dei cognóvit (Num 22, 28-35). Sic adhuc secúndum Petri sententiam Deus per subiugále et mutum ánimal árguit prophétæ insipiéntiam, quando vidélicet vulgáris homo sub iugo Christi sérviens, mutus in oratiónibus rhetóricis et ártium sagacitáte polítis, árguit exémplo et verbo doctóres, qui fastígio sciéntiæ tam sublíma cæli quam profúnda abýssi rimári novérunt.

Est item stella, quia « sicut sidus rádium, profert Virgo Fílium pari forma. Neque sidus rádio neque Mater Fílio fit corrúpta ». Tantum enim distat inter stellárum et terréstrium genitúras, ut terréstria pariéndo corrumpántur, cæléstia vero non. Quotquot enim rádii ex stella éxeant, nec stella corrúmpitur nec in lúmine sentítur diminúta. Sic verbum patris, rádius *ætérnæ lucis et candor et spéculum sine mácula* claritátis patris, fecunditátem matri áttulit, sed non ábstulit virginitátem, lumen dignitátis auxit, non minorávit. Nimírum *apud Deum non erit impossíbile omne verbum.* Qui enim undas maris calcávit non demérso córpore et de monuménto exívit non irrúpto signáculo lápidis, qui ab Angelo, non a Dó-

mino légitur revolútus, et ad discípulos clausis óstiis introívit, pótuit et de vírgine matre nasci non irrúptis claustris virgínei pudóris. Sic stella dicta Virgo Beáta orta est ex Iacob, quia ut rosa de spinárum radíce et stípite exóritur, sic ipsa de Synagógæ pópulo spinóso nativitátis accépit propagatiónem.

Vel dicámus, quod nos sumus spinétum et nos peccáti spina sumus cruentáti, sed ipsa spinæ néscia, sed sicut spina rosam, sic nos ex nostra natúra prodúximus Maríam. Et ídeo dícitur: *Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Lílium* dícitur, non quod rosa non sit, sed ut cumuláta virtus eius intelligátur. Est enim in ea rosa patiéntiæ in punctúra spinárum et lílium castitátis púllulans in agro nostræ natúræ, qui non nisi cicútas et urtícas illecebrósæ concupiscéntiæ proférre consuéverat. Per hanc autem stellam virga de Israel consurréxit, hoc est potéstas et impérium Christi: *Egrediétur virga de radíce Iesse, et flos de radíce eius ascéndet. De Iesse* enim exórtus est Dóminus secúndum carnem, de incéndio autem spíritus nihilóminus potestatíve, non generatíve ortus est. De potestáte enim Spíritus Sancti natus est et non de substántia ipsíus, quia Iesse incéndium interpretátur.

RESPONSORIUM Cf. Ap 12, 1; Is 61, 10

℟. Signum magnum appáruit in cælo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius: * Et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

℣. Induit eam Dóminus vestiméntis salútis, induménto iustítiæ, et quasi sponsam ornávit eam monílibus suis. * Et in cápite eius.

Vel alia:

Ex Horológio Sapiéntiæ beáti Henríci Seuze presbýteri

(Lib. 1, 16: ed. Richstätter, Torino 1929, pp. 161. 164-165)

Tu mater mea, tu spes et solatium vitæ meæ

Eia corda univérsa Deum pura mente amántia, perpéndite nunc, quóniam simíliter nobis áccidit, cum sole amícta Virgo fecúnda, cæli regína præelécta ut sol fines cordis nostri ingréditur, et memória eius méntibus nostris rutilántius infúnditur, absque nube. Contínuo namque durítia omnis ad tantæ lucis immensitátem resólvitur. Fugántur ténebræ; lumen novum exóritur, et gaudiórum nobis matéria imménsa cumulátur. Tibi ergo, o spes nostra, gáudium et lætítia cordis nostri, peccatóres míseri in vocem salutatiónis prorúmpimus, teque ex íntimo cordis cum gémitu et lácrimis et devóta cordis genuflexióne affectuosíssime matrem grátiæ salutámus. Gaudent púeri ad sónitum órgani, et ad lætos rumóres corda exhilarántur univérsa. Sic ad tuam quoque suavíssimam memóriam totus æstuo diviní amóris incéndio, te laudáre cúpiens, quam laudat orbis terræ et plenitúdo eius, cæli cælórum et omnis virtus eórum.

Omnis quippe creatúræ bónitas ad tuam comparáta dignitátem sic est, quasi noctilúcæ splendor exíguus ad solis claritátem imménsam. Te namque divína sapiéntia tam excellénter sua grátia decorávit et bonitáte tam multiplíciter investívit, ut sua incomprehensíbilis in te relúcens sapiéntia, desiderabílior nobis ex tua refulgéntia reddátur.

O thesáurus pretiósus miserórum! En cum summum regem peccándo perdídimus, cum offéndimus ángelos, cum étiam nobismetípsis graves sumus, et omníno nescímus, quid ágere debeámus: hoc solum restat míseris, ut óculos cordis et córporis ad te levémus, consílium quæréntes, peténtes auxílium. O exsultátio cordis mei, única spes et gáudium vitæ meæ, tu scis, quóties amáro ánimo, corde turbáto, fácie lacrimósa, cum Deum offénderam et me fílium gehénnæ futúrum æstimábam, cum inimícis úndique vallátus fúeram: óculos ad te, piíssima Virgo, levávi, et tuo adiutório, Virgo beáta, evási perícula cuncta.

Gáudeant álii de sua innocéntia, álii læténtur de meritórum suórum cópia, álii de Dei misericórdia immediáte exsúltent: Tu mater mea, tu spes et solátium únicum vitæ meæ! Cum totus de Deo et de meípso despéro, in te cogitándo, te commemorándo, quasi de profundíssimis ténebris revivíscit spíritus meus. Tu es gloriátio mea, salus, honor et vita mea.

RESPONSORIUM Lc 1, 48-49. 46-47

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: quia fecit mihi Dóminus magna * Qui potens est, et sanctum nomen eius.

℣. Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. * Qui potens.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

HYMNUS **Ad Laudes matutinas**

O Virgo mater, fília
tui beáta Fílii,
sublímis et humíllima
præ creatúris ómnibus,

Divíni tu consílii
fixus ab ævo términus,
tu decus et fastígium
natúræ nostræ máximum:

Quam sic prompsísti nóbilem,
ut summus eius cónditor
in ipsa per te fíeret
arte miránda cónditus.

In útero virgíneo
amor revíxit ígneus,
cuius calóre gérminant
flores in terra cælici.

Patri sit et Paráclito
tuóque Nato glória,
qui veste te mirábili
circumdedérunt grátiæ.

PSALMODIA

Ant. 1 Virgo verbo concépit, virgo permánsit, virgo péperit Regem ómnium regum.

Hæ antiphonæ propriæ ad libitum adhiberi possunt cum psalmodia de sabbato.

Ant. 2 Post partum Virgo invioláta permansísti; Dei Génetrix, intercéde pro nobis.

Ant. 3 María virgo, semper lætáre, quæ meruísti Christum portáre Salvatórem.

LECTIO BREVIS Iudt 13, 14. 18-19

Dixit Iudith: « Laudáte Dóminum nostrum, laudáte, quia non ábstulit misericórdiam suam a domo Israel, sed contéruit inimícos nostros per manum meam ». Et dixit ad eam Ozías: « Benedícta tu es, fília, a Deo excélso præ ómnibus muliéribus, quæ sunt super terram. Et benedíctus Dóminus, Deus noster, qui creávit cælum et terram, qui diréxit te in vulnus cápitis príncipis inimicórum nostrórum. Quóniam non discédet laus tua a corde hóminum memorántium virtútis Dei usque in sempitérnum ».

RESPONSORIUM BREVE

℟. Benedícta tu inter mulíeres, * Et benedíctus fructus ventris tui. Benedícta tu.

℣. Beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi a Dómino. * Et benedíctus fructus ventris tui. Glória Patri. Benedícta tu.

Vel alia: Ap 21, 9-11

Venit unus de septem Angelis habéntibus septem phíalas, plenas septem plagis novíssimis, et locútus est mecum dicens: « Veni, osténdam tibi sponsam uxórem Agni ». Et sústulit me in spíritu super mon-

tem magnum et altum et osténdit mihi civitátem sanctam Ierúsalem descendéntem de cælo a Deo, habéntem claritátem Dei; lumen eius símile lápidi pretiosíssimo, tamquam lápidi iáspidi, in modum crystálli.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Post partum, Virgo, * Invioláta permansísti. Post partum.

℣. Dei Génetrix, intercéde pro nobis. * Invioláta. Glória Patri. Post partum.

Ad Benedictus, ant. O Virgo vírginum, quómodo fiet istud? Quia nec primam símilem visa es, nec habére sequéntem. Fíliæ Ierúsalem, quid me admirámini? Divínum est mystérium quod cérnitis.

Vel: Virgo prudentíssima, quo progréderis quasi auróra valde rútilans? Fília Sion, tota formósa et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol.

PRECES

Ad beátam Vírginem Maríam, Salvatóris nostri Dei matrem, cum fidúcia accedámus et supplíciter illi dicámus: *In te Matrem confídimus.*

Sancta Dei Génetrix sit nobis auxiliátrix.

Nos cum prole pia benedícat Virgo María.

Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génetrix Virgo.

Iesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius.

Stella María maris succúrrat piíssima nobis.

Oret voce pia pro nobis Virgo María.

In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis Virgo María.

Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína Angelórum.

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, qui in corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Sancti Spíritus habitáculum præparásti, concéde propítius ut, eiúsdem Vírginis intercessióne, tuæ glóriæ templum inveníri mereámur. Per Dóminum.

Vel:

Prótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes a cunctis hóstibus redde secúros. Per Dóminum.

III

[SANCTA MARIA MATER GRATIÆ]

Ad Invitatorium

Ant. Dei Genetrícis Maríæ benefícia recoléntes, iubilémus Deo salutári nostro.

Vel: Ave María, grátia plena, Dóminus tecum.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Beáta Dei génetrix,
nitor humáni géneris,
per quam de servis líberi
lucísque sumus fílii;

María, virgo régia,
David stirpe progénita,
non tam patérna nóbilis
quam dignitáte súbolis,

Tu nos, avúlso véteri,
complánta novo gérmini;
per te sit genus hóminum
regále sacerdótium.

Tu nos culpárum néxibus
sacris absólve précibus;
tua proméntes mérita
ad cæli transfer prǽmia.

Sit Trinitáti glória,
o Virgo nobilíssima,
quæ te suórum múnerum
thesáurum dat magníficum.

Antiphonæ, psalmi, versus et lectio prior cum suo responsorio, de sabbato currente.

LECTIO ALTERA [**]

Ex Homilía Nicolái Cabásilæ presbýteri in Dormitiónem Deíparæ

(Nn. 12-13: ed. M. Jugie, Patrologia Orientalis 19, 508-509)

Oportebat Virginem Filii sociam esse in omnibus quæ ad providentiam spectabant

Oportébat Vírginem Fílii sóciam esse in ómnibus quæ ad providéntiam quæ circa nos erat, spectábant. Et quemádmodum carnem et sánguinem illi communicávit, vicissímque beneficiórum illíus párticeps fuit, eódem modo et dolórum ómnium et afflictiónis. Et ille quidem in cruce vinctus, lánceam in látere accépit, huius vero cor gládius pertransívit, sicut divínus prædíxit Símeon.

Ita prima símili confórmis evásit in morte Salvatóris, et ídeo étiam resurrectiónis, ante omnes, párticeps fuit. Quandóquidem enim Fílii, qui inférni tyránnidem evérterat atque resurréxerat, cum visióne tum salutatióne frúita est, et in cælum ascendéntem,

donec lícuit, comitáta est, atque, postquam ille discéssit, apóstolis ceterísque Salvatóris sodálibus, loco illíus constitúta est, benefíciis adíciens, quibus commúnem donávit natúram, deféctum Christi, perféctius quam quílibet álius, adímplens. Cuínam enim pótius quam Matri tália congruébant?

Porro oportébat sanctíssimam hanc ánimam a sacratíssimo illo córpore solvi. Sólvitur quidem, et cum ánima Fílii, cum primo lúmine secúndum lumen, coniúncta est. Corpus vero, paulísper in terra morátum, et ipsum commigrávit. Oportébat enim illud per omnes incédere vias, per quas Salvátor transívit, et vivéntibus splendére et mórtuis, et in ómnibus sanctificáre natúram, et rursus cóngruum locum recípere. Unde suscépit quidem sepúlchrum, excépit vero cælum novam terram illam, corpus spiritále, vitæ nostræ thesáurum, ángelis gloriósius, archángelis sánctius. Et restitútus est Regi thronus, vitæ ligno paradísus, luci orbis, frúctui arbor, Fílio Mater; génere namque in ómnibus congruébat.

Quisnam, o Beáta, sermo suffíciet ad celebrándam tuam iustítiam, ad Salvatóris erga te, ad tua erga univérsum hóminum genus benefícia prædicánda? Neque si quis linguas hóminum loquerétur et angelórum, ut díceret Paulus. Mihi vidétur ætérnæ felicitátis iustis repósitæ et hanc esse partem, vidélicet tua bene et ut decet cum scire tum dícere: Hæc namque óculus non vidit, neque auris audívit; quæ neque mundus ferre potest, secúndum magnum Ioánnem. Illi theátro soli tua mirabília cóngruunt, in quo novum cælum et nova terra consístunt, ubi sol est iustítiæ, qui neque præcédit, neque subséquitur ténebras. Tuórum vero præco, ipse Salvátor, plausóres autem, ángeli.

RESPONSORIUM Cf. Lc 1, 45

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génetrix, quæ credidísti Dómino: perfécta sunt in te quæ dicta sunt

tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum. * Intercéde pro nobis ad Dóminum Iesum Christum.

℣. Benedícta et venerábilis es, Virgo María, quæ sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris. * Intercéde.

Vel alia:

Ex Sermónibus fratris Ioánnis Tauler presbýteri in Nativitáte Dómini

(Sermo I, in Nativitate Domini: ed. Pannelli, Coloniæ-Maceratæ 1697, pp. 43-44)

Maria erat corporalis et spiritalis unigeniti Filii Dei mater

Unigénitus Dei Fílius de Matre sua natus, ómnium nostrum frater efféctus est: qui in æternitáte sine matre, in témpore vero sine patre génitus est. Nimírum Augustíni senténtia est, gloriósam Vírginem multo inde feliciórem fuísse, quod Deum spirituáliter, quam quod eúndem corporáliter pepérerit. Unde si quis exóptat nativitátem hanc ita in sua ánima spirituáliter ac felíciter agi, sicut in Maríæ ánima acta fuit, observándæ illi proprietátes sunt, quæ beátæ et gloriósæ Vírgini ínerant, quæ et corporális et spiritális unigéniti Fílii Dei mater erat.

Ipsa profécto virgo puríssima castissimáque, immo et desponsáta fuit, et præter hæc étiam inclúsa et abstrácta ab ómnibus, quando ab Angelo est salutáta. Ita et spiritálem Christi matrem, puríssimam simul atque castíssimam vírginem esse opórtet. Quæ tamen si ab hac quandóque castitáte éxcidit, saltem nunc revertátur, et sic íterum pura atque virgínea efficiétur. Virgo namque significat eam, quæ foris quidem infecúnda est, intus autem copiosíssimos prodúcit fructus. Atque hoc modo nostra quoque hæc, de qua ágimus, virgo sensus suos exterióres occlúdet, nec multum foris negótii habébit, dum parum

hinc utilitátis referre licet, ad glorióse vírginis exémplum, quæ non nisi divína ac cæléstia meditabátur. Intus vero úberes habébit fructus, ut Prophéta ait: *Omnis glória eius fíliæ regis ab intus.* Ad hæc étiam abstráctam ducet vitam, ut vidélicet omnes mores, sensus, gestus, verbáque sua ómnia intro convértat, magnos proínde copiosósque productúra fructus, immo et Deum ipsum, Dei Fílium, Dei Verbum, quod est ómnia et cóntinet univérsa in se.

María quoque, ut dictum est, desponsáta fuit. Ita sane et hæc spiritális Christi mater, soli Deo Creatóri ómnium desponsáta atque devícta erit, et ab ómnibus creatúris solúta, apostólico instrúcta sermóne: mutabilémque voluntátem suam in incommutábilem Dei proíciet voluntátem, ut suam ille ádiuvet infirmitátem.

Insuper et inclúsa erat Virgo María. Ita et hæc Dei sponsa inclúsa esse debébit, si hanc intra se nativitátem veráciter felicitérque volet experíri: illóque témpore non solum ab exterióri discúrsu, qui nonníhil deféctus habére vidétur, sed étiam ab extérna sensualíque virtútum exercitatióne abstinébit, et quiétem ac siléntium quoddam intra se fáciet, seséque intus reclúdet, natúræ ac sénsibus occultábit, furábitur, subtrahétque ac intra seípsam siléntium, pacem intérnam, quiétem, pausámque effíciet; de quibus in próximo sequénti Domínica die ita cantábitur: *Dum médium siléntium tenérent ómnia, et nox in suo cursu médium iter habéret, omnípotens Sermo tuus, Dómine, de cælis, a regálibus sédibus venit:* hoc est, Verbum ætérnum a corde patérno. In hoc médio siléntio, ubi ómnia in summo quodam siléntio sunt, ubi verum est siléntium, veráque tranquíllitas, Verbum istud perfécte veracitérque audítur. Si enim loqui Deus débeat, homo síleat necésse est: si Deus íngredi, cuncta cédere et exíre opórtet. Inde est, quod Dómino adhuc in infántia Ægýptum

subintránte cuncta illíus pátriæ idóla corruérunt. Hæc idóla sunt quæcúmque nos a vero ac immediáto ætérnæ huius nativitátis ingréssu præpédiunt, quámlibet illa bona sanctáque videántur.

[Iesus ait: *Gládium veni míttere in terram*, quo scílicet amputéntur ómnia, quæ hómini áliqua consanguinitáte iungúntur, pater, mater, frater, soror et cétera. *Inimíci* quippe *nostri, doméstici nostri sunt*, ut idem inquit, qui divérsas in nos imágines addúcunt, hoc intra nos Verbum occultántes, quamvis ipsum nobis pénitus non áuferant eripiántque. Dénique licet ista quies non possit esse perpétua, spiritális tamen huius partus mater médium hoc siléntium in quandam consuetúdinem tráhere debébit, ut ex ipsa consuetúdine tandem hábitus nascátur. Quod enim bene exercitáto facíllimum est, id inexercitáto impossíbile esse vidétur. Usus enim facit artem.

Præstet nobis omnípotens Deus, ut omnes ita huic intra nos nativitáti locum tribuámus et quiétem, ut vere spirituáles Dei matres efficiámur. Amen.]

RESPONSORIUM

℟. Gaude, María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti, quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti: * Dum Virgo Deum et hóminem genuísti, et post partum Virgo invioláta permansísti.

℣. Gabriélem Archángelum scimus divínitus te esse affátum: úterum tuum de Spíritu Sancto crédimus imprægnátum: erubéscat infélix ille qui dicit Christum ex Ioseph sémine esse natum. * Dum Virgo.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Quæ caritátis fúlgidum
es astrum, Virgo, súperis,
spei nobis mortálibus
fons vivax es et prófluus.

Sic vales, celsa Dómina,
in Nati cor piíssimi,
ut qui fidénter póstulat,
per te secúrus ímpetret.

Opem tua benígnitas
non solum fert poscéntibus,
sed et libénter sæpius
precántum vota prævenit.

In te misericórdia,
in te magnificéntia;
tu bonitátis cúmulas
quicquid creáta póssident.

Patri sit et Paráclito
tuóque Nato glória,
qui veste te mirábili
circumdedérunt grátiæ.

PSALMODIA

Ant. 1 Ave María, grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus.

Hæ antiphonæ propriæ ad libitum adhiberi possunt cum psalmodia de sabbato.

Ant. 2 Ne tímeas María, ait Angelus ad Vírginem: invenísti grátiam apud Dóminum.

Ant. 3 Benedícta fília tu a Dómino, quia per te fructum vitæ communicávimus.

LECTIO BREVIS Sir 24, 23-26

Ego quasi vitis germinávi grátiam, et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis et timóris et agnitiónis et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Ora pro nobis * Sancta Dei Génetrix. Ora.
℣. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. * Sancta. Glória Patri. Ora pro nobis.

Vel alia: Gal 3, 26-27; 4, 19

Omnes fílii Dei estis per fidem in Christo Iesu. Quicúmque enim in Christo baptizáti estis, Christum induístis. Filíoli mei, quos íterum partúrio, donec formétur Christus in vobis!

RESPONSORIUM BREVE

℟. Per te salútem hauriámus, * Virgo María. Per te.
℣. Ex vulnéribus Christi. * Virgo María. Glória Patri. Per te.

Ad Benedictus, ant. O beáta Virgo María, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi nos fílios tuos clamántes ad te.

Vel: Tempore per annum post Nativitatem: O admirábile commércium! Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est: et procédens homo sine sémine, largítus est nobis suam Deitátem.

PRECES

Salvatórem nostrum celebrántes, qui ex María Vírgine nasci dignátus est, cum fidúcia illi dicámus: *Intercédat pro nobis mater tua, Dómine.*

O sol iustítiæ, quem immaculáta Virgo ut lucens auróra præcéssit,
— tríbue ut in lúmine visitatiónis tuæ semper ambulémus.

Verbum ætérnum, quod Maríam habitatiónis tuæ arcam incorruptíbilem elegísti,
— líbera nos a corruptióne peccáti.
Salvátor noster, qui iuxta crucem matrem tuam habuísti,
— præsta ut, ipsa intercedénte, communicántes tuis passiónibus gaudeámus.
Benigníssime Iesu, qui pendens in cruce, Maríam Ioánni matrem dedísti,
— da nobis ita vívere ut eius fílii agnoscámur.

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti, tríbue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum. Qui tecum.

Vel:

Deus, qui beátam Vírginem Maríam, per líberam tuæ voluntáti obœdiéntiam, Unigéniti tui matrem eiúsque sóciam in ópere redemptiónis esse voluísti, illíus nobis intercessióne concéde, ita nos fide, spe et caritáte profícere ut ímpigre Ecclésiæ múneri cooperári valeámus. Per Dóminum.

IV

[SANCTA MARIA MATER MISERICORDIÆ]

Ad Invitatorium

Ant. Christum Regem misericórdiæ, natum ex María Vírgine, veníte, adorémus.

Vel: Christum Dóminum, qui sibi Matrem in redemptióne sociávit, veníte, adorémus.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

María, quæ mortálium
preces amánter éxcipis,
rogámus ecce súpplices,
nobis adésto pérpetim.

Adésto, si nos críminum
caténa stringit hórrida;
cito resólve cómpedes
quæ corda culpis ílligant.

Succúrre, si nos sæculi
fallax imágo péllicit,
ne mens salútis trámitem,
oblíta cæli, déserat.

Succúrre, si vel córpori
advérsa sors impéndeat;
fac sint quiéta témpora,
ætérnitas dum lúceat.

Tuis et esto fíliis
tutéla mortis témpore,
ut, te iuvánte, cónsequi
perénne detur præmium.

Patri sit et Paráclito
tuóque Nato glória,
qui veste te mirábili
circumdedérunt grátiæ.

Vel hymnus Ave, maris stella ut in Liturgia Horarum (III, 1356; IV, 1340).

Antiphonæ, psalmi, versus et lectio prior cum suo responsorio, de sabbato currente.

LECTIO ALTERA [**]

Ex Meditatiónibus fratris Ludovíci Chardon presbýteri, De Passióne Dómini nostri Iesu Christi

(Méditations sur la Passion de Notre Seigneur Jésus Christ, pour tous les jours de l'année, Paris 1665², n. 346, p. 434 et n. 347, p. 435)

Maria sociam se præbuit ad salutis nostræ consummationem

Summam vero sui ipsíus abnegatiónem Maríam habére oportébat, ita ut a Fílio suo separári ferret illum ófferens sacrifícium pro redemptióne hóminum. Vita enim Iesu illi non tam dilécta fuit quam salus nostra, quasi díceret: « Moriátur Fílius meus ut peccátor vivat! » Qua re a María plus quam Fílium amátos nos dícere póssumus etsi, absolúte, ipsum semper plus quam nos amáret; nihilóminus comprobávit María se pro nobis nihil maius fácere potuísse quam quod fecit: etsi nos maióre prosequerétur caritáte illa quam Fílio suo testificári oportéret. Mérita Fílii caritátem Matris excédunt, nostra autem sine modo caritáti Maríæ erga nos cedunt. Fílium suum María minus díligit quam ipse díligi proméreat, nos autem magis amat quam promerére valeámus.

Cupiébat María mori una cum dilécto Fílio suo in cruce ut, vitæ suæ dono ac sánguinis effusióne, ipsa sóciam se præbéret ad salútis nostræ consum-

matiónem, si Deo ita placuísset: *stabat* enim *iuxta crucem*. Iesu autem ad hómines rediméndos adiutório non egébat: una enim hóstia in cruce pro mundi peccátis obláta, ipse esse vóluit. Deus meus! quantum res a figúra differt! Abraham cum fílio suo Isaac vivo descéndit sed, Dei iussu, pro fílio aríetem córnibus inter vepres hæréntem cæcídit. María autem de Calvário recédit postquam Fílium mori vidit. Státuit enim Deus ut pro dilécto Fílio peccátor vivat, immo ut fílius Maríæ agnoscátur. O tristem permutatiónem! O durum commércium!

RESPONSORIUM Cf. Sir 24, 23-24

℟. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, * Et flores mei fructus honóris et honestátis.

℣. Ego mater pulchræ dilectiónis et timóris et agnitiónis et sanctæ spei. * Et flores mei.

Vel alia:

Ex Constitutióne dogmática *Lumen géntium* Concílii Œcuménici Vaticáni secúndi de Ecclésia

(Nn. 60-63: AAS 57, 1965, pp. 62-64)

In gratiæ œconomia maternitas Mariæ indesinenter perdurat

Unicus est Mediátor noster secúndum verba Apóstoli: *Unus enim Deus, unus et mediátor Dei et hóminum homo Christus Iesus, qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus*. Maríæ autem matérnum munus erga hómines hanc Christi únicam mediatiónem nullo modo obscúrat nec mínuit, sed virtútem eius osténdit. Omnis enim salutáris beátæ Vírginis influxus in hómines non ex áliqua rei necessitáte, sed ex beneplácito divíno exóritur et ex superabundántia meritórum Christi prófluit, eius mediatióni innítitur, ab illa omníno depéndet, ex

eadémque totam virtútem haurit; uniónem autem immediátam credéntium cum Christo nullo modo ímpedit sed fovet.

Beáta Virgo, ab ætérno una cum diníni Verbi incarnatióne tamquam Mater Dei prædestináta, divínæ Providéntiæ consílio, his in terris éxstitit alma diníni Redemptóris Mater, singuláriter præ áliis generósa sócia, et húmilis ancílla Dómini. Christum concípiens, génerans, alens, in templo Patri sistens, Filióque suo in cruce moriénti compátiens, óperi Salvatóris singulári prorsus modo cooperáta est, obœdiéntia, fide, spe et flagránte caritáte, ad vitam animárum supernaturálem restaurándam. Quam ob causam mater nobis in órdine grátiæ éxstitit.

Hæc autem in grátiæ œconomía matérnitas Maríæ indesinénter perdúrat, inde a consénsu quem in Annuntiatióne fidéliter præbuit, quemque sub cruce incunctánter sustínuit, usque ad perpétuam ómnium electórum consummatiónem. In cælis enim assúmpta salutíferum hoc munus non depósuit, sed multíplici intercessióne sua pergit in ætérnæ salútis donis nobis conciliándis. Matérna sua caritáte de frátribus Fílii sui adhuc peregrinántibus necnon in perículis et angústiis versántibus curat, donec ad felícem pátriam perducántur. Proptérea beáta Virgo in Ecclésia títulis Advocátæ, Auxiliatrícis, Adiutrícis, Mediatrícis invocátur. Quod tamen ita intellígitur, ut dignitáti et efficacitáti Christi uníus Mediatóris nihil déroget, nihil superáddat.

Nulla enim creatúra cum Verbo incarnáto ac Redemptóre connumerári umquam potest; sed sicut sacerdótium Christi váriis modis tum a minístris tum a fidéli pópulo participátur, et sicut una bónitas Dei in creatúris modis divérsis reáliter diffúnditur, ita étiam única mediátio Redemptóris non exclúdit, sed súscitat váriam apud creatúras participátam ex único fonte cooperatiónem.

Tale autem munus subordinátum Maríæ Ecclésia

profitéri non dúbitat, iúgiter experítur et fidélium cordi comméndat, ut hoc matérno fulti præsídio Mediatóri ac Salvatóri intímius adhæreant.

[Beáta autem Virgo divínæ maternitátis dono et múnere, quo cum Fílio Redemptóre unítur, suísque singuláribus grátiis et munéribus, étiam cum Ecclésia íntime coniúngitur: Deípara est Ecclésiæ typus, ut iam docébat S. Ambrósius, in órdine scílicet fídei, caritátis et perféctæ cum Christo uniónis. In mystério enim Ecclésiæ, quæ et ipsa iure mater vocátur et virgo, beáta Virgo María præcéssit, eminénter et singulariter tum vírginis tum matris exémplar præbens. Credens enim et obœdiens, ipsum Fílium Patris in terris génuit, et quidem viri néscia, Spíritu Sancto obumbráta, tamquam nova Heva, non serpénti antíquo, sed Dei núntio præstans fidem, nullo dúbio adulterátam. Fílium autem péperit, quem Deus pósuit primogénitum in multis frátribus, fidélibus nempe, ad quos gignéndos et educándos matérno amóre cooperátur.]

RESPONSORIUM Cf. Lc 1, 42

℟. Sancta et immaculáta vírginitas, quibus te láudibus éfferam, néscio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti.

℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. * Quia.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Veni, præcélsa Dómina;
María, tu nos vísita,
quæ iam cognátæ dómui
tantum portásti gáudii.

Veni, iuvámen sæculi,
sordes aufer piáculi,
ac visitándo pópulum
pœnæ tolle perículum.

Veni, stella, lux márium,
infúnde pacis rádium:
rege quodcúmque dévium,
da vitam innocéntium.

Veni, precámur, vísites
nobísque vires róbores
virtúte sacri ímpetus,
ne fluctuétur ánimus.

Veni, virga regálium,
reduc fluctus errántium
ad unitátem fídei,
in qua salvántur cælici.

Veni, tecúmque Fílium
laudémus in perpétuum,
cum Patre et Sancto Spíritu,
qui nobis dent auxílium.

Vel hymnus Salve, mater misericórdiæ, ut in Liturgia Horarum (IV, 1279), vel supra, 195.

PSALMODIA

Ant. 1 Cum essem párvula plácui Altíssimo et de meis viscéribus génui Deum et hóminem.

Hæ antiphonæ propriæ ad libitum adhiberi possunt cum psalmodia de sabbato.

Ant. 2 Benedícite Dómino in ópere suo, quia índuit Maríam vestiméntis salútis, et induménto iustítiæ circúmdedit eam.

Ant. 3 Corde et ánimo Christo canámus glóriam, in hac sacra commemoratióne præcélsæ Genetrícis Dei Maríæ.

LECTIO BREVIS Hebr 4, 14-16

Habéntes ergo pontíficem magnum, qui penetrávit cælos, Iesum Fílium Dei, teneámus confessiónem; non enim habémus pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris, tentátum autem per ómnia secúndum similitúdinem absque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur et grátiam inveniámus in auxílium opportúnum.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Sancta María, Mater Christi, * Audi rogántes sérvulos. Sancta.

℣. Et impetrátam nobis cælitus tu defer indulgéntiam. * Audi. Glória Patri. Sancta.

Ad Benedictus, ant. Benedícta fília tu a Dómino, quia per te fructum vitæ communicávimus.

Vel: Matérnitas tua, Dei Génetrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo, ex te enim ortus est Sol iustítiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam.

PRECES

Christum Dóminum Salvatórem nostrum celebrémus, qui ex María Vírgine nasci dignátus est, et fiduciáliter exorémus dicéntes: *Kýrie, eléison.*

Per Maríam Vírginem iuxta crucem tecum compatiéntem,
— fac ut pie amantérque Passiónem tuam vivificántem contemplémur.

Per Maríam Vírginem spe secúram in die sepultúræ tuæ,
— doce nos ut vigilémus, tuum advéntum exspectántes.

Per Maríam Vírginem gáudio lætántem in Resurrectióne tua,
— adáuge nobis fidem, Salvátor noster, et salva nos.
Per Maríam Vírginem in corde Ecclésiæ cum siléntio præséntem,
— Spíritus Sanctus tuus nos inhábitet repleátque.

Pater noster, etc.

Oratio

Dómine Iesu, qui gloriósam Matrem tuam nominári Maríam voluísti, concéde quæsumus, ut qui dulce Maríæ nomen implórant, perpétuum séntiant suæ benedictiónis auxílium. Qui vivis.

Vel:

Fidélis et miséricors Deus, qui Prædicatórum Ordinem singulári beátæ Maríæ Vírginis patrocínio commíttere voluísti, præsta quæsumus, ut sicut ipsa in præsénti, vita dulcédo et spes nostra exstat, ita Fílium tuum in éxitu nobis misericórditer osténdat. Qui tecum.

V

[SANCTA MARIA REGINA APOSTOLORUM]

Ad Invitatorium

Ant. Redemptórem nostrum qui Beátam Vírginem mystério pascháli íntime sociávit, veníte, adorémus, allelúia.

Vel: Salvatórem mundi qui in humánæ salútis ópere Maríam et Ecclésiam sibi sociávit, veníte, adorémus.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Véniens, mater ínclita,
cum Sancti dono Spíritus,
nos ut Ioánnem vísita
in huius carnis sédibus.

Procéde, portans párvulum,
ut mundus possit crédere
et tuæ laudis títulum
omnes sciant extóllere.

Salúta nunc Ecclésiam,
ut tuam vocem áudiens
exsúrgat in lætítia,
advéntum Christi séntiens.

María, levans óculos,
vide credéntes pópulos:
te quærunt piis méntibus,
his opem feres ómnibus.

O veræ spes lætítiæ,
nostræ portus miséria,
nos iunge cæli cúriæ
ornátos stola glóriæ.

Tecum, Virgo, magnífícat
ánima nostra Dóminum,
qui laude te nobílitat
et hóminum et cælitum.

Vel hymnus María quæ mortálium, 614 vel Ave, Virgo gratiósa, 597.

Antiphonæ, psalmi, versus et lectio prior cum suo responsorio, de sabbato currente.

LECTIO ALTERA [**]

Ex Epístolis sanctæ Catharínæ Senénsis vírginis

(Lett. 117: ed. P. Misciattelli, II, Firenze 1970, pp. 184-185; Lett. 118, II, p. 187; Lett. 240, IV, pp. 31-32)

Cum Maria dulcissima Matre Regina Apostolorum consentite

Ego, Catharína, vobis scribo, ita vos vidére cúpiens indútos divínæ caritátis igne ut qualemcúmque pœnam et cruciátus, famem ac sitim, persecutiónem et iniúrias, contumélias, mærórem et quidque áliud vera patiéntia ferátis.

Nobis éxpedit ut, pro Dei honóre, quod Apóstoli fecérunt hoc faciámus: qui, Spíritu Sancto accépto, inter se discessérunt, relinquéntes quidem et ipsam dulcem Matrem Maríam. Quamvis insímul esse ipsos máxime delectarétur, próprium reliquérunt diléctum ut Dei honórem animarúmque salútem quærerent.

Cum María dulcíssima Matre consentíte, quæ, ut discípuli dulcis Fílii sui vestígia sequéntes Dei honórem ac salútem animárum quærerent, illos a se discédere sinit quos summópere diligébat, ipsa sola manens velut hospes et peregrína. Discípuli autem etiámsi illam præter modum ament, gaudéntes tamen discédunt omnem pœnam sustinéntes pro Dei honóre; tyránnos ádeunt multásque persecutiónes patiúntur. Quod si ex iis quæsiéritis: « Quare tanto gáudio ómnia patímini et a María discéditis? », respondébunt: « Quia perdídimus nos et amóre honóris Dei salutísque animárum capti sumus ». Ut ita faciátis volo.

Discátis volo ex illa dulci Matre María quæ, pro Dei honóre et ómnium nostrum salúte, nobis Fílium suum óbtulit super lignum Crucis occísum. Manens autem María sola, post Iesu Christi in cælum Ascensiónem cum discípulis sanctis mansit: quamvis María ac discípuli magno gáudio afficeréntur, discédere vero mæróri esset, áttamen ad glóriam et laudem Fílii sui ac salútem ómnium nostrum, María eos discédere sinit. Pótius quidem illórum discéssus moléstiam éligit quam commoratiónis lætítiam, tantum amóre impúlsa erga honórem Dei ac salútem nostram. Ex ipsa ergo volo ut et vos discátis.

RESPONSORIUM

℟. Advénit ignis divínus, non combúrens sed illúminans, non consúmens sed lucens, et invénit corda discipulórum receptácula munda: * Et tríbuit eis charísmatum dona, allelúia, allelúia.

℣. Invénit eos concórdes caritáte, et illustrávit eos inúndans divítias Deitátis. * Et tríbuit.

Vel alia:

Ex Sermónibus sancti Vincéntii Ferrer presbýteri

(Sermo 1, de dominica et in die sancto Paschæ: ed. Diaz, Antuerpiæ 1570, pp. 5-6)

In sua resurrectione Christus apparuit primo Virgini Mariæ

Christus exívit de monuménto sine eius apertúra, quemádmodum natus fuit de vírgine sine virginitátis fractúra: et stans supra sepúlchrum osténdit suum corpus gloriósum, vúlnera et plagas ómnibus sanctis pátribus, qui génibus flexis adorándo dixérunt: « Glória tibi, Dómine, qui surrexísti a mórtuis, cum Patre et Sancto Spíritu ». Ecce primus punctus huius benedíctæ resurrectiónis Iesu Christi hódie factæ. Dico secúndo, quod est demonstráta gratióse singuláriter Vírgini Maríæ. Conclúsio est plúrium theologórum dicéntium quod Christus in sua resurrectióne primo appáruit Vírgini Maríæ suæ Matri. Hoc exprésse dicit Ambrósius in libro *De virgínibus:* « María resurrectiónem Christi vidit et prima vidit ». Sed Evangelístæ non curant hic pónere testes indubitátos, quia testimónium Matris pro Fílii favóre posset calumniári. Et quod primo appáruit Matri Vírgini, ad hoc credéndum cogit nos triplex rátio.

Prima, propter divínum præcéptum, quia in passióne Fílii super omnes álios fuit tribuláta, Christus ex speciáli privilégio pepércit Matri ut sine dolóre páreret et contra commúnem cursum natúræ. Item

ne sentíret dolóres in sua morte, qui excédunt omnes huius vitæ dolóres, ut dicit dóminus Albértus: « Finis ómnium terribílium est mors, quia ánima tota simul eradicátur ut arbor », sed omnes dolóres partus et mortis venérunt super eam in passióne Fílii sui. Cum ergo dicat Scriptúra: « Honóra patrem tuum et gémitus matris tuæ ne obliviscáris », Christus autem perfectíssime servávit legem de honoratióne paréntum, séquitur quod primo appáruit Matri, quæ præ áliis ómnibus fuit tribuláta.

Secúnda, propter fídei méritum. Nam pro certo habétur et osténditur satis clare ex textu quod témpore passiónis Christi perdidérunt fidem christiánam omnes Apóstoli et discípuli totáliter; áliqui dubitándo an esset verus Deus et Messías, licet omnes reputárent eum sanctíssimum prophétam; sola Virgo María illo sábbato sancto invariabíliter crédidit, propter hoc defértur ei, ut quólibet sábbato fiat Offícium de ea in Ecclésia Dei. Cum ergo dicat Scriptúra: « Appáret autem Dóminus eis, qui fidem habent in illum », vidétur hoc pro præmio mériti suæ fídei, quod primo ei appáreat.

Tértia, propter amóris intentiónem. Nam certum est quod numquam fuit mater quæ tantum dilígeret Fílium suum sicut Virgo María Christum. Cum ergo ipse dixit, erit: *Qui díligit me diligétur a Patre meo, et ego díligam eum et manifestábo ei meípsum.* Ex his tribus ratiónibus patet, quod primo appáruit Vírgini Matri, licet sancti Evangelístæ hoc exprésse táceant.

RESPONSORIUM Cf. Io 20, 19

℟. Surgens Iesus Dóminus noster et stans in médio discipulórum suórum dixit: * Pax vobis, allelúia. Gavísi sunt discípuli, viso Dómino, allelúia.

℣. Una ergo sabbatórum, cum fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti, venit Iesus et stetit in médio et dixit eis. * Pax vobis.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Rerum suprémo in vértice
regína, Virgo, sísteris,
exuberánter ómnium
ditáta pulchritúdine.

Princeps opus tu cétera
inter creáta prænites,
prædestináta Fílium,
qui prótulit te, gígnere.

Ut Christus alta ab árbore
rex purpurátus sánguine,
sic passiónis párticeps
tu mater es vivéntium.

Tantis decóra láudibus,
ad nos ovántes réspice,
tibíque sume grátulans
quod fúndimus præcónium.

Patri sit et Paráclito
tuóque Nato glória,
qui veste te mirábili
circumdedérunt grátiæ.

Vel hymnus O gloriósa Dómina, 594, vel Quæ caritátis fúlgidum, 610.

PSALMODIA

Ant. 1 Candor est lucis ætérnæ et spéculum sine mácula.

Hæ antiphonæ propriæ ad libitum adhiberi possunt cum psalmodia de sabbato.

Ant. 2 Præclára salútis auróra, ex te, Virgo María, exívit Sol iustítiæ, qui visitávit nos óriens ex alto.

Ant. 3 Recordáre, Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúia.

LECTIO BREVIS Cf. Act 1, 11b. 12. 13a. 14

Postquam assúmptus est Iesus in cælum, revérsi sunt Apóstoli in Ierúsalem a monte, qui vocátur Olivéti, qui est iuxta Ierúsalem sábbati habens iter. Et cum introíssent, in cenáculum ascendérunt, ubi manébant. Omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne cum muliéribus et María matre Iesu et frátribus eius.

RESPONSORIUM BREVE

℟. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit.
℣. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo. * Et præelégit eam. Glória Patri. Elégit.

Ad Benedictus, ant. Beáta Dei Génetrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus Sancti, tu sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Iesu Christo.

Vel: Speciósa facta est et suávis in delíciis virginitátis sancta Dei Génetrix; quam vidéntes fíliæ Sion vernántem in flóribus rosárum et líliis convállium beatíssimam prædicavérunt et regínæ laudavérunt eam.

PRECES

Fiduciáliter exorémus Maríam Dei Genetrícem et Ecclésiæ Matrem, Apostolórum Regínam, ut ipsa pro nobis intercédat. Cum illa, ígitur, unanímiter ad Dóminum accedámus deprecántes:
Fac ut verbo tuo corda nostra semper aperiámus.

Dómine noster, qui ex María Vírgine
carnem súmere dignátus es,
— corda nostra castífica ut te recípere mereámur.

Qui Maríam Ecclésiæ matrem donásti,
— Spíritu Sancto tuo nos sanctífica, ut digni fámuli tui efficiámur.

Qui in cruce móriens, mystérium salútis perfecísti,
— propter resurrectiónem tuam in glóriam nos introdúcere dignéris.

Ecclésia tua laudat te Dóminum omnipoténtem,
— quia fuísti mórtuus et vivis in sæcula sæculórum.

Pater noster, etc.

Oratio

Corda famulórum tuórum, Dómine, sanctæ Dei Genetrícis intercessióne, illúmina Spíritus Sancti grátia; ignítum eis elóquium dona, et iis qui tuum prædicant verbum largíre virtútis augméntum. Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui omnes hómines vis salvos fíeri et ad agnitiónem veritátis veníre, réspice messem tuam multam et operários in eam mitte dignánter, ut omni creatúræ Evangélium prædicétur, et plebs tua, verbo vitæ congregáta et sacramentórum virtúte suffúlta, in via salútis et caritátis procédat. Per Dóminum.

APPENDIX
AD PROPRIUM DE SANCTIS

★ Orationes super psalmos et cantica 631
★ Cantica et Evangelia pro Vigiliis celebrationum Sanctorum O.P. 642
★ Responsoria prolixa pro festis Domini et Sanctorum 651

I

ORATIONES SUPER PSALMOS ET CANTICA

Prænotanda

1. Singulis psalmis, pro præcipuis Calendarii nostri celebrationibus selectis, una cum titulis et antiphonis assignantur quoque *Orationes psalmicæ*, ad mentem arctius cum verbo Dei et publica Ecclesiæ voce coniungendam, quæ in sanctis mirabilia Christi prædicat (cf. IGLH, n. 110 sqq.).

2. Quæ nostris celebrationibus hic adhibendæ proponuntur, iisdem intentionibus respondent quæ selectioni cuiusque psalmi præfuerunt, ad psalmos nimirum non modo in precationem christianam vertendos, iuxta latinam traditionem (cf. IGLH, n. 110), verum etiam ad pleniorem cum nostra vocatione consonantiam assequendam, iuxta indolem propriam ac spiritum ipsarum celebrationum, secundum morem maiorum (cf. LCO, n. 67).

3. Huiusmodi orationes, pro opportunitate adhibendæ, afferuntur ad normam veteris traditionis, ita scilicet ut, absoluto psalmo cum sua antiphona et aliquo silentii spatio observato, oratio psallentium affectus colligat et concludat (cf. IGLH, n. 112). Cavendum tamen est ne tale silentium introducatur, quod structuram Officii deformet, aut molestiam seu tædium participantium afferat (cf. IGLH, n. 202). Hæ orationes non concluduntur more solito: Per Christum, quia quasi meditatio super psalmum exstant.

ORATIONES PRO FESTIS

Ad Laudes matutinas

Ps 62, 2-9: *Anima Dominum sitiens*

Vigilántibus dilúculo ad te, Deus auctor lucis ætérnæ, lumen largíre perpétuum, ut te lábia nostra laudent, te mores et ora prædicent, te vita benedícat, te labor noster glorificet atque vox nostra célebret sine fine.

Dan 3, 57-88. 56: *Omnis creatura laudet Dominum*

Omnípotens sempitérne Deus, qui cunctórum cælitum laudem adorationémque per sæcula in throno glóriæ tuæ récipis, gratiárum actiónem cum laude creaturárum propítius admítte, quam Ecclésia tua, nova spiritális creatúra, tibi offert per Iesum Christum ómnium mediatórem et Dóminum.

Ps 149: *Exsultatio sanctorum*

Nomen tuum, Dómine, in ecclésia sanctórum celebrámus tibíque lætánter grátias præcínimus: tríbue nobis laudes tuas prómere, quibus nos coætérnum crédimus prǽmium obtinére.

Die 28 ianuarii

S. THOMÆ DE AQUINO, PRESBYTERI ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Ad Officium lectionis

Ps 39: *Mirabilia Dei in Ecclesia*

Dómine Iesu Christe, qui, factus obœdiens usque ad mortem crucis, exaltátus es nómine quod est super omne nomen, doce nos quoque Patris cæléstis

semper fácere voluntátem ut, in ea sanctificáti, exspectémus in angústiis nostris tuæ mirabília caritátis et cánticum novum Deo et Patri effundámus gaudéntes.

Ps 26, 1-9: *Dominus illuminatio mea et salus mea*

Deus, in te sperántium protéctor et virtus, qui Fílium tuum Unigénitum obsecrántem in die malórum protexísti in abscóndito tabernáculi tui, præsta fámulis tuis, qui in die tribulatiónis fáciem tuam requírunt, ut vídeant bona Dómini in terra vivéntium.

Ad Officium vigiliæ, 642.

Ad Vesperas

Ps 126: *Dominus est qui ædificat*

Domórum spirituálium ædificátor, Deus, ut nos custódias deprecámur: imple in te desidérium nostrum, et eléctis tuis nos adiúnge, ædífica in nobis quod non potest nisi te ædificánte pérfici, et cleménter custódi civitátis intérnæ, quam cóndimus, præsídia, ut non sit nobis vanum ante lucem súrgere, si tu stúdium nostrum dignátus fúeris adiuváre.

Ps 110: *Memoriam fecit mirabilium suorum*

Miséricors et miserátor Deus, splendor Ecclésiæ ac tuórum coróna sanctórum, da fámulis tuis sapiéntiæ inítium fideíque firmitátem, et præsta ut in concílio iustórum esca satiémur cælésti et, sacrifício singulári, mirabílium tuórum memóriam celebrémus, donec testaménti tui æternitáte felíciter perfruámur.

Col 1, 12-20: *Sors sanctorum in lumine*

Dómine, qui beátum Thomam fratrem nostrum supérna tuæ sapiéntiæ luce mirabíliter collustrá-

sti, Sancti tui Spíritus nos rénova munéribus tuáque nostra corda reple ineffábili caritáte ut, in conspéctu Christi tui, sancti et immaculáti inveníri mereámur.

Die 29 aprilis

S. CATHARINÆ SENENSIS,
VIRGINIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Ad Officium lectionis

Ps 137: *Domine, misericordia tua in sæculum*

Déitas ætérna, in lúmine tuo cognóscitur causa lúminis et causa tenebrárum; tu es causa lúminis, nos autem creatúræ tuæ tenebrárum causa sumus. O Trínitas ætérna, mirabília sunt ópera tua, et lúmine tuo cognoscúntur quia ab ipso lúmine procédunt.

Ps 24: *Dilata angustias cordis mei*

Vide, quæsumus Dómine, humilitátem nostram et labórem nostrum, ut non confundámur invocántes te; delícta iuventútis et ignorántiæ ne memíneris et, si quid neglegénter delíquimus, cleménter ignósce et præsta nobis ita deflére prætérita, ut præséntia caveámus.

Ps 66: *Cognoscatur in terra via Domini*

Illúmina, Dómine, vultum tuum super nos et misericórdiam tuam úberem nobis largíre benígnus, ut qui Christum Dóminum et viam esse confitémur et pátriam, ipsum habeámus in múnere, qui nobis factus est in salúte.

Ad Officium vigiliæ, 644.

Ad Vesperas

Ps 30, 20-25: *Dominus mirificavit misericordiam suam*

Imménsam multitúdinem dulcédinis tuæ, piíssime Dómine, supplíciter exorámus ut, dum veritátem tuam requírimus, tumórem exsecrábilis supérbiæ conterámus.

Ps 83: *In domo Dei mei*

Sit nobis auxílium abs te, Dómine ut beáti esse possímus; dispóne, quæsumus, spiritális intellegéntiæ ascénsus in corde ut a conválle ploratiónis per pæniténtiam atque humilitátem in locum, quem fundásti, perveniámus. Da benedictiónem grátiæ, qui legem dedísti iustítiæ; dumque de virtútibus in virtútem grádimur, te deórum Dómino, qui perfécta virtus es, pleníssima beatitúdine perfruámur.

Ap 4, 11; 5, 9. 10. 12: *Hymnus redemptorum*

Dómine Deus, fecísti nos regnum et sacerdótes ad laudem canéndam ac grátias agéndas de nostra redemptióne; intelléctum da nobis Scriptúræ Sacræ ut comprehéndere possímus mystérium Christi, qui mórtuus est et resurréxit, qui est inítium et finis históriæ cunctæ.

Die 8 augusti

S. P. DOMINICI, PRESBYTERI

Ad I Vesperas

Ps 95: *Annuntiate inter gentes gloriam Domini*

Dómine Iesu, Verbum Dei caro factum, in tuo primo advéntu lætáti sunt cæli et exsultávit terra. Præsta quæsumus ut Ecclésia tua, dum in spe et

amóre últimum advéntum tuum desideránter exspéctat, continénter annúntiet inter gentes a te longínquas glóriam tuam, donec vénias tibíque terra cantet cánticum nóvum.

Ps 97: *Notum fecit Dominus salutare suum*

Immítte, Dómine Iesu, salutáre tuum méntibus nostris, qui revelásti iustítiam tuam géntibus univérsis, ut qui quondam iudicári venísti pro pérditis, misericórdiam tuam, cum advéneris, pro quibus iudicátus es, largiáris.

Eph 1, 3-10: *Facti sumus regnum et sacerdotes Deo nostro*

Benedíctus es, Pater sancte, qui nos in fílios adoptiónis elegísti et prædestinásti in Christo ut essémus in laudem glóriæ tuæ in domo servi tui Domínici. De tanto erga nos dilectiónis amóre grátias tibi ágimus, teque deprecámur pro ómnibus nostris frátribus ac soróribus eníxe præstolántes ut sancti et immaculáti incendámur coram te in caritáte.

Ad Officium lectionis

Ps 41: *Anima sitiens Dominum*

Vultus nostri mirificum salutáre, Deus, quem ánimæ fidélium ardénter sítiunt servulórum: tríbue ut, dum te visíbili lacrimárum imbre pasti requírimus, invisibíliter te intra péctoris nostri tabernáculum collocémus.

Ps 76: *Manus meæ nocte expansæ sunt*

Clementíssime Pater, qui vis omnes hómines salvos fíeri, fámuli tui Domínici eiulátus pro peccatóribus meménto, eiúsque supplicatiónibus nostri et

ómnium peccatórum miserére, et præsta ut ope miseréntis amóris tui adiúti, et a peccáto simus semper líberi et ad fratrum salútem iúgiter intenti.

Ps 144, 1-9: *Magnificentia gloriæ Domini*

Prope esto, Dómine, ómnibus invocántibus te in veritáte, imple devotiónem timéntium te et deprecatiónem eórum exáudi, ut, salvi a te facti, diligámus te et benedicámus nomen sanctum tuum.

Ad Officium vigiliæ, 646.

Ad II Vesperas

Ps 115: *Tibi Domine sacrificabo hostiam laudis*

Súscipe, Dómine, preces famíliæ tuæ in te credéntis, et concéde nobis semper tibi sacrifícium laudis offérre. Disrúmpe quantócius servórum tuórum et ancíllæ tuæ filiórum víncula, ut tibi reddámus cotídie vota nostra, et dum adimplémus in carne nostra ea quæ desunt passiónum Christi, hanc hóstiam laudis súscipe benígnus ut iam nunc gáudiis futúræ Ierúsalem degustémus.

Ps 125: *Vox apostolorum de conversione gentium et passionibus martyrum*

Gignant apud te, Pater clementíssime, iustítiæ sémina, quæ cum lácrimis in conspéctu tuo seminámus, ut in gáudio metámus quod, te agrícola, cum patiéntia exspectámus.

Eph 1, 3-10: *Gratia Christi superabundavit in nobis*

Deus véniæ largítor et fidelitátis suprémus zelátor, qui beátum Domínicum effícere voluísti sectatórem fidélem Unigéniti tui exinaníti sub forma servi obœdiéntis, Agni immaculáti, mitis et húmilis cor-

de: illíus imitatióne nobis præsta húmilem obœdiéntiam serváre, indivísum cor apostólica gérere caritáte ac paupertátem voluntáriam possidére gaudéntes, in Christo Iesu Dómino nostro.

Die 7 octobris

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS A ROSARIO

Ad Officium lectionis

Ps 23: *Hæc est generatio quærentium Dominum*

Dómine virtútum, qui es Rex glóriæ, ab omni inquinaménto peccáti cor nostrum munda, manus nostras innóxias serva et ánimas nostras a vanitáte dissócia, ut qui Christum, te quæréntes, séquimur, benedictiónem et iustificatiónem a te salutári nostro mereámur accípere et in templum glóriæ tuæ cum illo intráre valeámus.

Ps 45: *Dominus virtutum nobiscum*

Deus, qui es fidélium tuórum refúgium et virtus, qui sperántes in te prótegis in advérsis, defréndis in prósperis, exáudi preces plebis tuæ et præsta ut, iustificatiónes tuas semper obsérvans, vota sua áuribus tuis per obœdiéntiam sedulitátis insínuet et pietáti tuæ fidéliter pláceat.

Ps 86: *Quæ sursum est Ierusalem mater est nostra*

Dómine Deus, cuius Unigénitus Fílius Ierúsalem véterem ob infidelitátem flevit everténdam, novámque firmíssimam et matrem credéntium supra petram fundávit, in Ecclésia tua fac nos, ad vitam ex ipsa génitos, exsultáre et omnes pópulos ad libertátem spíritus regenerári concéde.

Ad Officium vigiliæ, 647.

Ad Vesperas

Ps 121: *Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem*

Dómine Iesu, qui, resúrgens a mórtuis, nova córporis tui concretióne Ecclésiæ civitátem ædificásti, et in unitáte Spíritus tui, novæ solidásti Ierúsalem firmitátem, da pacem, quæsumus in diébus nostris et præsta, ut ad portas ipsíus omnes tribus terræ convéniant, atque de benefíciis tuis matérno communicántes consórtio, laudes tibi reddant perénnes et cives fiant civitátis ætérnæ.

Ps 126: *Vanus labor sine Domino*

Deus, ex quo omnis sufficiéntia nostra est, qui intus ædíficas et mones, multíplica super nos misericórdiam tuam, ut qui Unigéniti tui ædificámus civitátem cuius ipse factus est lapis anguláris, non in próprio labóre sed in ope tua confidámus ítaque tuis tantum solidáta munéribus constet Ecclésia, nobísque ad lucem surgéntibus ætérnam filiórum hereditátem propítius largiáris.

Eph 1, 3-10: *Gratia Dei superabundavit in nobis*

Unigéniti tui Mater, clementíssime Deus, et Mater hóminum, beáta Virgo María, quæ primítiis Ecclésiæ précibus suis ástitit, nunc quoque in cælis exaltáta, in ómnium Sanctórum communióne apud tuum suúmque Fílium intercédat, donec cunctæ famíliæ populórum cum pace et concórdia in unum pópulum Dei felíciter congregéntur, ad glóriam sanctíssimæ et indivíduæ Trinitátis.

Die 7 novembris

OMNIUM SANCTORUM ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Officium lectionis

Ps 14: *Habitatio sanctorum in tabernaculo Dei*

Fac nos, Dómine, sine mácula íngredi, iustítiam operári, veritátem loqui, ut habitáre in tabernáculo tuo ac requiéscere in monte sancto tuo beáti possímus.

Ps 65: *Opera Dei in sanctis suis*

Dómine, Deus virtútum, qui in morte et resurrectióne Fílii tui per undas baptísmatis nos ad nova lítora transduxísti, et per ignem et aquam in singuláre nos Spíritus Sancti tui eduxísti refrigérium, súscipe hoc nostrum sacrifícium laudis, ut mereámur introíre domum tuam in holocáustis, ibíque cum Christo tuam perpétuo magnificáre poténtiam.

Ad Officium vigiliæ, 649.

Ad Vesperas

Ps 88: *Decor virtutis sanctorum Dominus*

Exálta, Dómine, cor nostrum in beneplácito tuo, ut tibi iubilatiónum hóstias iúgiter exsolvámus, qui dignos nos fecísti in partem sortis sanctórum in lúmine, erípiens nos de potestáte tenebrárum. Da nobis constánter in lúmine vultus tui gressus mentis dirígere, et fac nos misericórdias tuas in ætérnum cantáre.

Ps 97: *Iustitia Domini in sanctis eius*

Deus, qui ætérnas profécto méritus laudes, in ore hóminum novum tibi cánticum indidísti, cum per Unigéniti Christi tui mirabília, tuam erga hómines infinítam pánderes caritátem, præsta famíliæ nostræ ut, sanctórum sodálium sollémnia celebrándo, iúgiter résonet cánticum, quo in cælésti Ierúsalem glóriam tuam cánere váleat.

Col 1, 12-20: *Christus primogenitus omnis creaturæ et primogenitus ex mortuis*

Christe Iesu, invisíbilis Dei fácies aspectábilis, homo cum sis pro céteris ac Deo, Homo inveníris et hóminis Véritas, tríbue nobis assídue te cerneńtibus humanitátis nostræ famem explére atque uniónis cum Deo sitim exstínguere.

II
CANTICA ET EVANGELIA PRO VIGILIIS CELEBRATIONUM SANCTORUM O.P.

Qui celebrationem Vigiliæ sollemnitatum et festorum protrahere, iuxta traditionem, laudabiliter cupiunt, primo Officium lectionis celebrent; post vero ambas lectiones addant cantica et Evangelium ut infra indicatur.

Pro opportunitate, fieri potest homilia de Evangelio. Postea canitur Te Deum, dicitur oratio et concluditur Hora ut in Ordinario.

Die 28 ianuarii

S. THOMÆ DE AQUINO, PRESBYTERI ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Festum

Ita pulcherrimus Deus est confitendus: ut neque intra sententiam sit intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi (S. Hilarius).

CANTICA

Ant. Sapiéntia clámitat in platéis: Si quis díligit sapiéntiam, ad me declínet, et eam invéniet et, eam cum invénerit, beátus erit, si tenúerit eam. [AG 572]

Vel: Ex altári tuo, Dómine, Christum súmimus, in quem cor et caro nostra exsúltant. [MG 99]

Canticum I Ez 36, 24-28

Faciam ut in præceptis meis ambuletis

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Mt 5, 8).

Tollam quippe vos de géntibus ... [LH III 1028]

Canticum II Sap 9, 1-6. 9-11

Emitte sapientiam tuam, ut mecum sit
et mecum laboret

Totum quod homo est, et potest et habet, ordinandum est ad Deum (S. Thomas de Aquino).

Deus patrum meórum ... [LH III 907]

Canticum III Sir 36, 1-7. 13-16

Cognoscant gentes quia non est Deus nisi tu
et enarrent magnalia tua

Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc: illuminare omnes quæ sit dispensatio mysterii absconditi a sæculis in Deo (Eph 3, 8.9).

Miserére nostri, Deus ómnium ... [LH III 695]

[Repetita antiphona, dici potest oratio super cantica:

Clementíssime Pater, Deus noster, qui in pascháli mystério Unigéniti Fílii tui promissiónes cunctas pópulo tuo adimplésti, mirabília novi fœderis in credéntes úndique congregátos propítius ínnova; aquam mundántem Spiritúmque vitæ, cor novum ad imáginem Christi tui, hereditatémque præsta filiórum in gáudio sine fine.]

Evangelium

Evangelium de festa, quod in Missa non fuerit selectum:

Io 17, 11b-19: « Sanctifica eos in veritate ».

Io 16, 23b-28: « Palam de Patre annuntiabo vobis ».

Mt 5, 13-19: « Vos estis lux mundi ».

Hymnus Te Deum.

Oratio, ut in Proprio, 74 vel 77.

Conclusio Horæ, ut in Ordinario.

Die 29 aprilis

S. CATHARINÆ SENENSIS, VIRGINIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Festum

Passi in hac vita tormenta et tribulationes pressurarum et abundantiam tribulationum, incipiamus quærere illam quietem quæ non est de hac vita, nec de hac terra (S. Augustinus).

Cantica

Ant. Dómine, tu non petis mínima, sed vis quod portem omnem labórem fratrum meórum, sicut tu fecísti. Dómine, sic volo (S. Catharina).

Vel, præsertim in cantu: Nos autem gloriári opórtet in cruce Dómini nostri Iesu Christi, allelúia. [AG 803]

Canticum I Is 42, 10-16

Ponam tenebras coram eis in lucem

Saturos fac nos matutina misericordia, ut requiescamus, ut lætemur in omnibus diebus nostris. Lætifica nos, pro singulis diebus in quibus afflixisti nos. Succedente matutina resurrectione, impleta est omnis terra misericordia Christi (Origenes).

Cantáte Dómino cánticum ... [LH II 1148]

Canticum II Is 63, 1-5

Rubrum est indumentum eius

Sic sunt homines quos prædestinavit Deus ante sæcula conformes fieri imagini Unigeniti Filii sui (Rom 8, 29), *qui præcipue in passione botrus expressus est* (S. Augustinus).

Quis est iste, qui venit de Edom ... [LH II 1750]

Canticum III Is 26, 1-4. 7-9. 12
Spes in Domino Deo

Per Christum accessum habemus fide in gratiam istam, in qua stamus et gloriamur in spe gloriæ Dei (Rom 5, 2).

Urbs fortitúdinis nostræ Sion ... [LH II 1070]

[Repetita antiphona, dici potest oratio super cantica:

Dómine Deus virtútum, qui exaudísti oratiónem Christi tui, eíque iucunditátem habitatiónis tuæ tribuísti perpétuam, concéde nobis Ecclésiam tuam, ad te gradiéntem, dilígere, et sacrifícium benedictiónis ad altáre tuum offérre, ut contendámus et nos ad tabernácula tua et glóriam tuam contemplémur lætántes.]

EVANGELIUM

Evangelium de festo, quod in Missa non fuerit selectum:

Io 17, 1-11: « Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt ».

Io 14, 21-26: « Paraclitus, quem mittet Pater, docebit vos omnia ».

Io 7, 14b-18. 37b-39: « Si quis sitit veniat ad me ».

HYMNUS Te Deum.

ORATIO, ut in Proprio, 160 vel 163.

Conclusio Horæ, ut in Ordinario.

Die 8 augusti

S. P. DOMINICI, PRESBYTERI

Sollemnitas

Verbum Dei ... lyra et cithara, quæ inanimata sunt instrumenta, contemptis, mundum hunc et hominem, qui parvus quidam mundus est, eiusque animam et corpus divino Spiritui obtemperans, multarum vocum instrumento Deum celebrat (Clemens Alexandrinus).

CANTICA

Ant. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum, sta coram summo iúdice pro tuo cœtu páuperum. [AG 885]

Vel: Benedíctus Redémptor ómnium, qui salúti próvidens hóminum, mundo dedit sanctum Domínicum. [AG 885]

Canticum I Is 12, 1-6

Confitemini Domino et invocate nomen eius

Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (Io 4, 14).

Confitébor tibi, Dómine ... [LH IV 697]

Canticum II Sir 36, 1-7. 13-16

Supplicatio pro sancta civitate Ierusalem

Memento, Domine, Ecclesiæ tuæ, ut eam defendas ab omni malo eamque perficias in caritate tua, et congrega eam a quattuor ventis sanctificatam in regnum tuum, quod ei præparasti (Didaché).

Miserére nostri, Deus ómnium ... [LH IV 643]

Canticum III Iudt 16, 2-3. 15-19

Dominus præclarus in virtute sua

Ex omni quod scivit et potuit beatus Dominicus æterno suo Creatori deservivit (B. Iordanus de Saxonia).

Incípite Dómino in týmpanis ... [LH IV 556]

[Repetita antiphona, dici potest oratio super cantica:

Deus, qui humília éligis ut fórtia quæque confúndas, per Christum, e Vírgine páupere et húmili natum, hóminem dominántes vires cunctas vicísti. Mirabília amóris tui in Ecclésiam tuam páuperem et húmilem fórtiter rénova.]

EVANGELIUM

Evangelium de sollemnitate, quod in Missa non fuerit selectum:

Mt 5, 13-19: « Vos estis lux mundi ».

Mt 28, 16-20: « Euntes docete omnes gentes ».

Lc 10, 1-9: « Messis quidem multa, operarii autem pauci ».

HYMNUS Te Deum.

ORATIO, ut in Proprio, 295 vel 312.

Conclusio Horæ, ut in Ordinario.

Die 7 octobris

B. MARIÆ VIRGINIS A ROSARIO

Festum

Dei Genetrix ... pons mundi totius ad altissimum cælum nos ducens (S. Ephræm).

CANTICA

Ant. Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum: et gáudia matris habens cum virginitátis ho-

nóre, nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem, allelúia. [AG 338]

Vel: Recordáre, Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúia. [AG Add., 16]

Cantica ut in Communi B. Mariæ Virginis (LH IV, 1599).

[Repetita antiphona, dici potest oratio super cantica:

Dómine Iesu, qui in hunc mundum tamquam sponsus venísti pacem et salútem homínibus déferens, Ecclésiam tuam, quam tuo sánguine purificásti atque iustítia et sanctitáte donásti, supérna Sancti Spíritus perfúnde lætítia, ut óbviam tibi véniat amóre indefésso et una cum dulcíssima matre María, quæ tribulatióne et glória eam præcéssit, novo cántico in ævum grátias agat.]

EVANGELIUM

Evangelium de festo, quod in Missa non fuerit selectum:

Lc 1, 39-47: « Beata quæ credidisti ».

Lc 1, 26-38: « Ecce concipies in utero et paries ».

Lc 2, 46-51: « Maria conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo ».

HYMNUS Te Deum.

ORATIO, ut in Proprio, 415 vel 428.

Conclusio Horæ, ut in Ordinario.

Die 7 novembris

OMNIUM SANCTORUM ORDINIS PRÆDICATORUM

Festum

Laudamus te, qui cognoscis Filium et revelas sanctis glorias ad eum attinentes (Anaphora Serapionis 1, 4).

CANTICA

Ant. Benedícite Dóminum, omnes elécti eius; ágite diem lætítiæ, et confitémini illi. [AG 1009]

Vel: Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis Sanctórum, et iam non erit ámplius neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor, quóniam prióra transiérunt. [AG 72*]

Canticum I Tob 13, 10-15. 17-19

Ierusalem, civitas Domini
in qua omnes congregabuntur

Non una gens, ... neque duæ, sed universi fines terræ divinæ cognitionis lumine illustrabuntur (Origenes).

Benedícite Dóminum, omnes ... [LH IV 959]

Canticum II Is 2, 2-5

Ambulemus in lumine Domini

Adventus Christi hisce significatur, necnon gentium vocatio ... quia fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvit (S. Athanasius).

Erit in novíssimis diébus ... [LH IV 766]

Canticum III Is 66, 10-14a

In Ierusalem consolabimini

Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollit a vobis (Io 16, 22).

Lætámini cum Ierúsalem ... [LH IV 942]

[Repetita antiphona, dici potest oratio super cantica:

Regnum iustítiæ et pacis, omnípotens Deus, quod David tradidísti et sémini eius, Iesu Christo Dómino nostro, ad omnes famílias, quæsumus, amplífica populórum, ut per Fílium tuum, in terra sicut in cælo, pacem veram hómines obtíneant, iustítiam páuperes, solácium derelícti, et in ipso benedicántur omnes tribus terræ.]

EVANGELIUM

Evangelium de festo, quod in Missa non fuerit selectum:

Mt 19, 27-30: « Vos qui reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis ».

Mc 10, 17-27: « Omnia possibilia sunt apud Deum ».

Lc 14, 25-33: « Qui non baiulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus ».

HYMNUS Te Deum.

ORATIO, ut in Proprio, 501 vel 508.

Conclusio Horæ, ut in Ordinario.

III

RESPONSORIA PROLIXA
PRO FESTIS DOMINI ET SANCTORUM

Elementa typica ad festa Domini vel Sanctorum celebranda hic præbentur ut elementa vicaria pro textibus Liturgiæ Horarum, præsertim in cantu, vel ut supplementa propria.

Responsoria prolixa, quorum momentum structurale et liturgicum necnon normas adaptationis Prænotanda huius Proprii commendaverunt, adhiberi possunt sive ad Vesperas pro responsoriis brevibus vel ad Officium lectionis post lectionem alteram, sive in omni alia celebratione Sanctorum.

I. PROPRIUM DE SANCTIS

Die 7 ianuarii

S. Raimundi de Penyafort, presbyteri

Ps 110, 10; Sap 6, 19; Sir 19, 18

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini: intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * Laudátio eius manet in sæculum sæculi.

℣. Diléctio illíus custódia legum est: quia omnis sapiéntia timor Dómini. * Laudátio. [Glória Patri. * Laudátio.] [AJ II 241]

Die 18 ianuarii

S. Margaritæ de Hungaria, virginis

Phil 3, 8

℟. Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Iesu Christi Dómini mei, * Propter quem ómnia detriméntum feci, ut eum lucrifáciam.

℣. Regna mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Iesu Christi. * Propter quem. [Glória Patri. * Propter quem.] [AG Add., 2]

Die 28 ianuarii

S. Thomæ de Aquino, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

Cf. Sap 7, 10-11; Prov 7, 4

℟. Super salútem et omnem pulchritúdinem dilexi sapiéntiam, et propósui pro luce habére illam: * Venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa.

℣. Dixi sapiéntiæ, soror mea es: et prudéntiam vocávi amícam meam. * Venérunt. [Glória Patri. * Venérunt.] [AJ II 240]

Ad Officium vigiliæ, ut in Appendice 642.

Die 2 februarii

In Præsentatione Domini

℟. Gaude, María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti, quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti: * Dum Virgo Deum et hóminem genuísti, et post partum Virgo invioláta permansísti.

℣. Gabriélem Archángelum scimus divínitus te esse affátum: úterum tuum de Spíritu Sancto crédimus imprægnátum: erubéscat infélix ille, qui dicit Christum ex Ioseph sémine esse natum. * Dum Virgo. [Glória Patri. * Dum Virgo.] [AG 692]

Si placet, secundum antiquum usum nostrum, Prosa Invioláta cantari potest ad Vesperas huius diei, post lectionem brevem.

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Senex púerum portábat, puer autem senem regébat: quem Virgo péperit, et post partum Virgo permánsit, ipsum quem génuit adorávit. [AG 697]

Die 4 februarii

S. Catharinæ de' Ricci, virginis

℟. O sponsa Christi amábilis, quæ sacra Sponsi stígmata expréssa refers córpore, eiúsque charismá-

tibus pleno redúndas spíritu: * Nos te coléntes prótege, Et quæ precámur óbtine.

℣. Fac Crucifíxi vúlnera recogitémus pérpetim, eiúsque mortis prétio tuum assequámur præmium. * Nos te. [Glória Patri. * Et quæ precámur óbtine.] [AG 714]

Die 19 martii et 1 maii

In festis S. Ioseph, Sponsi B.M.V.

Mt 1, 20-21. 18

℟. Angelus Dómini appáruit Ioseph, dicens: Ioseph, fili David, noli timére accípere Maríam cóniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est: * Páriet autem fílium: Et vocábis nomen eius Iesum. T.P. Allelúia

℣. Cum esset desponsáta mater Iesu María Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. * Páriet autem. [Glória Patri. Extra T.P. * Et vocábis nomen eius Iesum. T.P. * Allelúia.] [AG 729]

℟. Ioseph Fili David (MG, 106), Surge et áccipe (MG, 107).

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Et dicébant: Unde huic sapiéntia hæc, et virtútes? Nonne hic est fabri fílius? T.P. Allelúia. [AG 380]

Die 25 martii

In Annuntiatione Domini

Lc 1, 34-35

℟. Quómodo fiet istud, respóndens ait María, quia virum non cognósco? Angelus ad hæc: * Spíritus Sanctus supervéniet in te, Et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. T.P. Allelúia.

℣. Ideóque quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. * Spíritus Sanctus. [Glória Patri. Extra T.P. * Et virtus Altíssimi. T.P. * Allelúia.] [AG 746]

Alia elementa huius sollemnitatis peculiaria, 110.

Die 5 aprilis

S. Vincentii Ferrer, presbyteri

Cf. Is 52, 7; 40, 9

℟. Clama in fortitúdine, qui annúntias pacem in Ierúsalem: * Dic civitátibus Iudæ et habitatóribus Sion: Ecce Deus noster, quem exspectabámus, advéniet. T.P. Allelúia.

℣. Supra montem excélsum ascénde tu, qui evangelízas Sion: exálta in fortitúdine vocem tuam. * Dic. [Glória Patri. Extra T.P. * Dic. T.P. * Allelúia.]

[AJ I 173]

Die 20 aprilis

S. Agnetis de Montepulciano, virginis

Cf. Ps 44, 3

℟. Vírginem castam Agnétem benedícit Dóminus, Mater Virgo mulcet allóquio: * Honórant Apóstoli, minístrant Angeli, Allelúia.

℣. Speciósum forma præ fíliis hóminum in sinum Mater depónit Fílium. * Honórant Apóstoli. [Glória Patri. * Allelúia.]

[AG 762]

Die 29 aprilis

S. Catharinæ Senensis, virginis et Ecclesiæ doctoris

Cf. Sir 15, 3-5

℟. Cibávit illam Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit eam: * Et exaltávit eam apud próximos suos, Allelúia.

℣. In médio ecclésiæ apéruit os eius et implévit eam spíritu sapiéntiæ et intelléctus. * Et exaltávit eam. [Glória Patri. * Allelúia.]

[AJ I 465]

Ad Officium vigiliæ, ut in Appendice, 644.

Die 30 aprilis

S. Pii V, papæ

Cf. Sir 15, 5; 1 Thess 5, 8

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, Allelúia.

℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. * Et ad portas. [Glória Patri. * Allelúia.]

[AJ 83*]

Die 3 maii

Ss. Philippi et Iacobi, Apostolorum

Io 14, 9-10. 8

℟. Tanto témpore vobíscum sum, et non cognovístis me? * Philíppe, qui videt me, videt et Patrem, allelúia: non credis quia ego in Patre, et Pater in me est? Allelúia, allelúia.

℣. Dómine, osténde nobis Patrem, et súfficit nobis. * Philíppe, qui videt me. [Glória Patri. * Allelúia, allelúia.]

[AG 795]

Die 10 maii

S. Antonini de Firenze, episcopi

Cf. Tob 4, 20; 14, 10. 11

℟. Omni témpore bénedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dírigat, * Et omni témpore consília tua in ipso permáneant, Allelúia.

℣. Inquíre ut fácias quæ plácita sunt illi in veritáte et in tota virtúte tua. * Et omni témpore. [Glória Patri. * Allelúia.]

[AG 576]

Die 24 maii

Translationis S. P. Dominici, presbyteri

℟. O spem miram ut infra 658, in die 8 augusti.

Die 4 iunii

S. Petri de Verona, presbyteri et martyris

Cf. Sir 4, 33; Mt 7, 25 (Lc 6, 48)

℟. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: * Fundátus enim erat supra firmam petram. T.P. Allelúia.

℣. Munímine régio septus, nullátenus est ab adversáriis superátus. * Fundátus. [Glória Patri. Extra T.P. * Fundátus. T.P. * Allelúia.] [AJ 45*]

Die 24 iunii

In Nativitate S. Ioannis Baptistæ

Cf. Mt 11, 11; Lc 1, 76; Io 1, 6

℟. Inter natos mulíerum non surréxit maior Ioánne Baptísta, * Qui viam Dómino præparávit in erémo.

℣. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioánnes. * Qui viam. [Glória Patri. * Qui viam.] [AG 825]

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Et posuérunt omnes qui audíerant in corde suo, dicéntes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Dómini erat cum illo. Et Zacharías pater eius implétus est Spíritu Sancto, et prophetávit dicens: Benedíctus Dóminus Deus Israel, quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ. [AG 830]

Die 29 iunii

Ss. Petri et Pauli, Apostolorum

Cf. Act 10, 22. 5. 6. 32. 3

℟. Cornélius centúrio, vir religiósus ac timens Deum, vidit maniféste Angelum Dei dicéntem sibi: Cornéli, mitte et accérsi Simónem, qui cognomináture Petrus: Hic dicet tibi quid te opórteat fácere.

℣. Cum orásset Cornélius nondum in Christo renátus, appáruit ei Angelus dicens. * Cornéli. [Glória Patri. * Hic dicet.] [AG 838]

℟. Quodcúmque ligáveris (AG, 664), Magnus sanctus Paulus (AG, 686).

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et eiécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. Gaudéte et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cælo. [AG 33*]

Die 9 iulii

Ss. Ioannis de Köln, presbyteri, et sociorum, martyrum

Ap 19, 1-2

℟. Audíta est quasi vox turbárum multárum in cælo dicéntium: Allelúia. * Salus et glória et virtus Deo nostro In sæcula sæculórum.

℣. Quia vera et iusta sunt iudícia eius: et vindicávit sánguinem servórum suórum. * Salus. [Glória Patri. * In sæcula sæculórum.] [AG 859]

Die 22 iulii

S. Mariæ Magdalenæ

Pro Officio in cantu adhiberi potest hæc series antiphonarum ad Officium lectionis, ad Laudes matutinas vel ad Vesperas: Véspere (Triduum O.P., 285), Et valde (OHS, 273), Et respiciéntes (AG, 484), María stabat (AG, 489), Tulérunt (AG, 489).

℟. O felix felícis mériti María, quæ resurgéntem a mórtuis Dei Fílium vidére meruísti mortálium prima! Pro cuius amóre, sæculi contempsísti blandiménta. * Sédula nos apud ipsum, quæsumus, prece comménda.

℣. Ut tecum mereámur, o dómina, pérfrui feli-

císsima ipsíus præséntia. * Sédula nos apud ipsum. [Glória Patri. * Sédula nos apud ipsum.]
[AJ II 456]

℟. Flavit Auster (AG, 866).

Die 6 augusti
In Transfiguratione Domini

Cf. Mt 17, 2-3 (Mc 9, 2-4)

℟. Dum oráret Iesus, facta est spécies vultus eius áltera, et vestítus eius albus refúlgens: et duo viri loquebántur cum illo, * Móyses et Elías visi In maiestáte.

℣. Dicébant autem excéssum eius, quem completúrus erat in Ierúsalem. * Móyses. [Glória Patri. * In maiestáte.] [AG 887]

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Assúmpsit Iesus discípulos suos, et ascéndit in montem: et transfigurátus est ante eos. [AG 426]

Die 8 augusti
S. P. Dominici, presbyteri

℟. O spem miram, quam dedísti mortis hora te fléntibus, dum post mortem promisísti te profutúrum frátribus! * Imple, Pater, quod dixísti, nos tuis iuvans précibus.

℣. Qui tot signis claruísti in ægrórum corpóribus, nobis opem ferens Christi, ægris medére móribus. * Imple, Pater. [Glória Patri. * Imple, Pater.]
[AG 879]

Ad Officium vigiliæ, ut in Appendice, 646.

Die 15 augusti
In Assumptione B. Mariæ V.

Cf. Lc 1, 45

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génetrix, quæ credidísti Dómino: perfécta sunt in te quæ dicta sunt

tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum. * Intercéde pro nobis ad Dóminum Iesum Christum.

℣. Benedícta et venerábilis es, Virgo María, quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris. * Intercéde. [Glória Patri. * Intercéde.] [AG 900]

Alia elementa huius sollemnitatis peculiaria, 325.

Die 17 augusti

S. Hyacinthi de Polonia, presbyteri

Cf. Ioel 2, 15; Is 62, 11; Ier 31, 10

℟. Cánite tuba in Sion, vocáte gentes, annuntiáte pópulis et dícite: * Ecce Deus Salvátor noster advéniet.

℣. Annuntiáte in fínibus terræ: et in ínsulis, quæ procul sunt, dícite. * Ecce Deus. [Glória Patri. * Ecce Deus.] [AJ I 179]

Die 23 augusti

S. Rosæ de Lima, virginis

Sir 24, 21; Io 12, 3

℟. Ego quasi storax et gálbanus, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam. * Quasi bálsamum non mixtum Odor meus.

℣. Dedit Indica Rosa odórem suavitátis, et domus impléta est ex odóre unguénti. * Quasi bálsamum. [Glória Patri. * Odor meus.] [AG 924]

Die 28 augusti

S. Augustini, episcopi

2 Tim 1, 10. 9

℟. Manifestáta est grátia Dei per illuminatiónem Salvatóris nostri Iesu Christi, * Qui destrúxit mortem, illumináit autem vitam in incorruptiónem.

℣. Liberávit, et vocávit nos vocatióne sua sancta

per grátiam, quæ data est nobis in Christo. * Qui destrúxit. [Glória Patri. * Qui destrúxit.] [AJ I 698]

℟. Volébat enim (AG, 913).

Die 8 septembris

In Nativitate B. Mariæ V.

℟. Solem iustítiæ, Regem paritúra suprémum, * Stella María maris Hódie procéssit ad ortum.

℣. Cérnere divínum lumen gaudéte, fidéles. * Stella María maris. [Glória Patri. * Hódie procéssit ad ortum.] [AJ II 553]

℟. Stirps Iesse (AG, 4*).

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Hódie gloriósa cæli Regína in terris appáruit; hódie pópulo suo verba salútis et pígnora pacis áttulit; hódie Angelórum et fidélium chori immaculátam Conceptiónem celebrántes gáudio exsúltant, allelúia. [AG 710]

Die 14 septembris

In Exaltatione Sanctæ Crucis

1.

℟. Per tuam Crucem salva nos, Christe Redémptor, qui mortem nostram moriéndo destruxísti, * Et vitam resurgéndo reparásti.

℣. Miserére nostri, Iesu benígne, qui passus es cleménter pro nobis. * Et vitam. [Glória Patri. * Et vitam.] [AG 799]

2.

℟. O Crux benedícta, * Quæ sola fuísti digna portáre Regem cælórum ac Dóminum!

℣. O Crux admirábilis, evacuátio vúlneris, restitútio sanitátis! * Quæ sola fuísti digna. [Glória Patri. * Quæ sola fuísti digna.] [AJ II 567]

℟. Tuam Crucem adorámus (AJ II, 565).

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. O Crux splendídior cunctis astris, mundo célebris, homínibus multum amábilis, sánctior univérsis, quæ sola fuísti digna portáre taléntum mundi: dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera! salva præséntem catérvam, in tuis hódie láudibus congregátam. [AG 807]

Vel Crucifíxus (AG, 26).

Die 18 septembris

S. Ioannis Macias, religiosi

1 Io 3, 1-2

℟. Vidéte qualem caritátem dedit nobis Deus Pater, * Ut fílii Dei nominémur et simus.

℣. Scimus quóniam, cum apparúerit, símiles ei érimus: quóniam vidébimus eum sícuti est. * Ut fílii. [Glória Patri. * Ut fílii.] [AJ II 482]

Die 29 septembris

Ss. Michaelis, Gabrielis et Raphaelis archangelorum

Cf. Ps 64, 2; 148, 1; Is 6, 3

℟. Te sanctum Dóminum in excélsis laudant omnes Angeli dicéntes: * Te decet laus Et honor, Dómine.

℣. Chérubim quoque et Séraphim Sanctus proclámant, et omnis cælicus ordo, dicéntes. * Te decet laus Et honor, Dómine. [Glória Patri. * Et honor, Dómine.] [AG 942]

Ad cantica Officii vigiliæ antiphona in cantu Accessístis (AG, 852).

Die 4 octobris

S. Francisci Assisiensis

Gal 6, 14. 17

℟. Mihi absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi: * Per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

℣. Ego enim stígmata Dómini Iesu in córpore meo porto. * Per quem. [Glória Patri. * Per quem.] [AG 966]

Die 7 octobris

B. Mariæ Virginis a Rosario

1.

Cf. Ps 80, 3. 2; 149, 1; 95, 3

℟. Súmite psaltérium iucúndum in insígni die sollemnitátis vestræ, * Et exsultáte Vírgini adiutríci nostræ.

℣. Cantáte ei cánticum novum: annuntiáte inter gentes glóriam eius. * Et exsultáte. [Glória Patri. * Et exsultáte.] [AG 951]

2. Cf. Sir 39, 17-19

℟. Obaudíte me, divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte. * Quasi Líbanus odórem suavitátis habéte.

℣. Floréte flores quasi lílium, et date odórem et frondéte in grátiam. * Quasi Líbanus. [Glória Patri. * Quasi Líbanus.] [MG 208]

Ad Officium vigiliæ, ut in Appendice, 647.

Die 9 octobris

S. Ludovici Bertrán, presbyteri

Cf. 2 Cor 4, 9-10

℟. Non perímus, semper mortificatiónem Iesu circumferéntes, * Ut et vita Iesu manifestétur in córpore nostro.

℣. Da mihi, Dómine, ut ego móriar pro te, sicut tu dignátus es mori pro me. * Ut et vita Iesu. [Glória Patri. * Ut et vita Iesu.] [AJ II 629]

Die 22 octobris

In Anniversario dedicationis ecclesiæ

Gen 28, 17. 16

℟. Terríbilis est locus iste. Non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli: * Vere étenim Dóminus est in loco isto, Et ego nesciébam.

℣. Cumque evigilásset Iacob quasi de gravi somno, ait. * Vere. [Glória Patri. * Et ego.] [AG 16*]

Alia elementa huius sollemnitatis peculiaria, 447.

Die 1 novembris

Omnium Sanctorum

1.

℟. Concéde nobis, Dómine, quæsumus, véniam delictórum: et intercedéntibus Sanctis, quorum hódie sollémnia celebrámus, talem nobis tríbue devotiónem, * Ut ad eórum pervenire mereámur societátem.

℣. Adiuvent nos eórum mérita, quos própria impédiunt scélera: excúset intercéssio, accúsat quos áctio: et qui eis tribuísti cæléstis palmam triúmphi, nobis véniam non déneges peccáti. * Ut ad eórum. [Glória Patri. * Ut ad eórum.] [AG 1004]

2. Ap 7, 13-15

℟. Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt et unde venérunt? Hi sunt, qui lavérunt stolas suas et dealbavérunt eas * In sánguine Agni.

℣. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo eius. * In sánguine Agni. [Glória Patri. * In sánguine Agni.] [AG 1024]

Ad cantica Officii vigiliæ, antiphona in cantu: Benedícite Dóminum (AG, 1009), vel Laudem dícite (MG, 225), 459.

Die 3 novembris

S. Martini de Porres, religiosi

Sir 29, 15; 3, 33; Lc 11, 41

℟. Abscóndite eleemósynam in sinu páuperis, et ipsa orábit pro vobis ad Dóminum: * Quia sicut aqua exstínguit ignem, ita eleemósyna exstínguit peccátum.

℣. Date eleemósynam, dicit Dóminus: et ecce ómnia munda sunt vobis. * Quia sicut aqua. [Glória Patri. * Quia sicut aqua.] [AJ I 290]

Die 7 novembris

Omnium Sanctorum Ordinis Prædicatorum

Cf. Ps 132, 1

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas, Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit spíritus in eis et una fides.

℣. Ecce quam bonum et quam iucúndum habitáre fratres in unum! * Quia unus. [Glória Patri. * Quia unus.] [AJ II 656]

℟. Concéde nobis (AG, 1004), 663.

Ad Officium vigiliæ, ut in Appendice, 649.

Die 8 novembris

Anniversarium omnium Fratrum et Sororum defunctorum O.P.

Phil 3, 20-21; Tit 2, 12-13

℟. Salvatórem exspectámus Dóminum Iesum Christum, * Qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ.

℣. Sóbrie, et iuste, et pie vivámus in hoc sæculo, exspectántes beátam spem, et advéntum glóriæ magni Dei. * Qui reformábit. [Glória Patri. * Qui reformábit.] [AJ I 143]

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Crucem sanctam súbiit, qui inférnum confrégit: accínctus est poténtia, surréxit die tértia, allelúia. [AG 799]

Die 15 novembris

S. Alberti Magni, episcopi et Ecclesiæ doctoris

Sir 24, 8-11. 7

℟. Gyrum cæli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi: in omni gente et in omni pópulo primátum ténui: * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi.

℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. * Superbórum. [Glória Patri. * Superbórum.] [AG 571]

Die 30 novembris

S. Andreæ, Apostoli

℟. O bona Crux, quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti, áccipe me ab homínibus et redde me magístro meo: * Ut per te me recípiat, qui per te me redémit.

℣. Secúrus et gaudens vénio ad te: ita et tu exsúltans suscípias me. * Ut per te. [Glória Patri. * Ut per te.] [AJ I 417]

Die 8 decembris

In Conceptione Immaculata B. Mariæ V.

℟. Elégit Maríam Deus, et præelégit eam, et creávit eam in Spíritu Sancto: * Ideo nihil inquinátum in eam incúrrit.

℣. Dedit Maríæ Dóminus protectiónem salútis suæ, et déxtera sua suscépit eam. * Ideo. [Glória Patri. Ideo.] [AG 639]

Alia elementa huius sollemnitatis peculiaria, 540.

Die 26 decembris

S. Stephani, protomartyris

Cf. Act 7, 57

℟. Impii super iustum iactúram fecérunt, ut eum morti tráderent: * At ille gaudens suscépit lápides ut mererétur accípere corónam glóriæ.

℣. Continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. * At ille. [Glória Patri. * At ille.] [AJ I 454]

Die 27 decembris

S. Ioannis, Apostoli et Evangelistæ

Cf. Io 21, 24

℟. Hic est discípulus ille, qui testimónium pérhibet de his, et scripsit hæc: * Et scimus quia verum est testimónium eius.

℣. Fluénta Evangélii de ipso sacro Domínici péctore fonte potávit. * Et scimus. [Glória Patri. * Et scimus.] [AJ I 460]

II. COMMUNIA SANCTORUM

Commune B. Mariæ V.

1.

℟. Sollémnitas tua, Dei Génetrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: * Ex te enim ortus est Sol iustítiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam.

℣. Felix namque es, quæ sola Genetrícis dignitátem obtinuísti, et virginálem pudicítiam non amisísti. * Ex te enim. [Glória Patri. * Ex te enim.] [AJ 13*]

2.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est Sol iustítiæ, Christus Deus noster.

℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum iuvámen, quicúmque célebrant tuam commemoratiónem. * Quia ex te. [Glória Patri. * Christus.] [MG 197]

3.

Cf. Is 11, 1. 2

℟. Stirps Iesse virgam prodúxit, virgáque florem: * Et super hunc florem requiéscit Spíritus almus.

℣. Virgo Dei Génetrix virga est, flos Fílius eius. * Et super hunc. [Glória Patri. * Et super hunc.] [AG 4*]

Ad cantica Officii vigiliæ antiphona in cantu: Hæc est (AG, 1*), vel María Virgo (AJ, 23*).

Commune Apostolorum

Extra Tempus paschale:

Mt 5, 14; Lc 21, 19; 22, 29-30

℟. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus, * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras.

℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. * Qui in patiéntia. [Glória Patri. * Possidébitis.] [AG 29*]

Tempore paschali:

Cf. Act 4, 33. 31

℟. Virtúte magna reddébant Apóstoli * Testimónium resurrectiónis Iesu Christi Dómini nostri, Allelúia, allelúia.

℣. Repléti quidem Spíritu Sancto loquebántur cum fidúcia verbum Dei. * Testimónium. [Glória Patri. * Allelúia, allelúia.] [AJ II *117]

Ad cantica Officii vigiliæ antiphona in cantu: Lux perpétua (AG, 116*) vel Beáti éritis (AG, 33*).

Commune martyrum

Extra Tempus paschale:

2 Cor 4, 11. 8. 17; Rom 8, 18

℟. In mortem trádimur propter Iesum, sed non angustiámur: id enim, quod in præsénti est momentáneum et leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte * Ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis.

℣. Non enim sunt condígnæ passiónes huius tém-

poris ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. * Ætérnum glóriæ pondus. [Glória Patri. * Ætérnum glóriæ pondus.] [AJ Suppl.,38]

℟. Hi, qui amícti sunt (AG, 1024), 663.

Tempore paschali: Ap 21, 4; 7, 16

℟. Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis Sanctórum: et iam non erit ámplius neque luctus neque clamor sed nec ullus dolor, * Quóniam prióra transiérunt, Allelúia, allelúia.

℣. Non esúrient neque sítient ámplius neque cadet super illos sol neque ullus æstus. * Quóniam. [Glória Patri. * Allelúia, allelúia.] [AJ 59*]

Ad cantica Officii vigiliæ antiphona in cantu: Abstérget (AG, 72*), vel Posuísti, Dómine (AJ, 50*).

Ad Benedictus antiphona in cantu: Lætábitur (AG, 45*), vel Potens es (AG, 442), vel Isti sunt sancti (AG, 67*).

Ad Magnificat antiphona in cantu: Iste est (AG, 58*), vel Hi sunt (AG, 59*), vel In spíritu (AG, 416).

Commune Sanctorum

1. Sir 15, 5-6

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os eius * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus.

℣. Iucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. * Et implévit eum. [Glória Patri. * Et implévit eum.] [AJ I 466]

2. Cf. Sap 5, 15

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine: qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum: * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cæléstia.

℣. Ecce merces Sanctórum copiósa est apud Deum, et vivent in ætérnum. * Contemnéntes. [Glória Patri. * Contemnéntes.] [AJ II 422]

Ad cantica Officii vigiliæ antiphona in cantu: Sint lumbi (AG, 84*), vel Beátus ille servus (AG, 81*).

Ad Benedictus antiphona in cantu: Euge serve bone (AG, 83*), vel Semen est (AG, 405), vel Alias oves hábeo (AG, 495).

Ad Magnificat antiphona in cantu: Similábo eum (AG, 87*), vel Sapiéntiam (AG, 992).

Commune Sanctarum

1.

℟. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Iesu Christi, * Quem vidi, quem amávi, In quem crédidi, quem diléxi. T.P. Allelúia.

℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. * Quem vidi. [Glória Patri. Extra T.P. * In quem crédidi. T.P. * Allelúia.] [AG 88*]

2.

Cf. Iudt 13, 18. 20; Sap 19. 20

℟. Benedícta es tu, fília, a Deo excélso: quia non pepercísti ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui, * Sed subvenísti ruínæ ante conspéctum Dei nostri.

℣. Curásti gentem tuam et liberásti eam a perditióne. * Sed subvenísti. [Glória Patri. * Sed subvenísti.] [AJ II 547]

3.

Ap 19, 78; Est 2, 17

℟. Gaudeámus et exsultémus, quia venérunt núptiæ Agni, et uxor eius præparávit se: * Datum est

illi ut coopériat se býssino splendénti et cándido, quæ sunt Iustificatiónes Sanctórum.

℣. Pósuit rex diadéma regni in cápite eius, fecítque eam regnáre. * Datum est illi. [Glória Patri. * Iustificatiónes Sanctórum.] [AJ II 549]

Ad cantica Officii vigiliæ antiphona in cantu: Média nocte (AG, 96*), vel Quærite primum (AG, 595).

Ad Benedictus antiphona in cantu: Veni, sponsa Christi (AG, 96*), vel Veni elécta mea (AG, 105*), vel Manum suam (AG, 108*).

Ad Magnificat antiphona in cantu: Ista est virgo (AG, 94*), vel Accínxit fortitúdine (AG, 109*), vel Ecce quod (AG, 672).

SUPPLEMENTA

★ Ad Completorium 673
★ Elementa propria de Tempore 687
★ Excerpta e Libello precum in Ordine traditarum 717

AD COMPLETORIUM

Completorium ut in Liturgia Horarum celebratur. Elementa peculiaria, quæ ab Ordine nostro ex traditione liturgica propria recepta sunt, adhiberi possunt in celebratione communi vel in recitatione a solo. Aliqua tamen ex ipsis, prout suo loco notatur, si Completorium non cantatur, transferuntur ad libitum post Vesperas.

Quo commodius hæc sectio adhiberi possit, psalmodia contracta, quæ tantum Ps. 90 constat (cf. IGLH, n. 88), necnon una lectio et oratio hic inveniuntur.

℣. Deus, in adiutórium meum inténde.
℟. Dómine, ad adiuvándum me festína.
Glória Patri. Sicut erat. Allelúia.

Ad actum pœnitentialem Fratres genua flexi manere possunt atque formulam adhibere propriam:

Omnes:

Confíteor Deo omnipoténti,
et beátæ Maríæ semper Vírgini,
et beáto Domínico Patri nostro,
et ómnibus Sanctis, et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa:
precor vos oráre pro me.

Prior vel Hebdomadarius:

Misereátur nostri omnípotens Deus,
et dimíttat nobis ómnia peccáta nostra,
líberet nos ab omni malo,
salvet et confírmet in omni ópere bono,
et perdúcat nos ad vitam ætérnam.
℟. Amen.

Hymni

Per annum:

Te lucis ante términum,
rerum creátor, póscimus,
ut sólita cleméntia
sis præsul ad custódiam.

Te corda nostra sómnient,
te per sopórem séntiant,
tuámque semper glóriam
vicína luce cóncinant.

Vitam salúbrem tríbue,
nostrum calórem réfice,
tætram noctis calíginem
tua collústret cláritas.

Præsta, Pater omnípotens,
per Iesum Christum Dóminum,
qui tecum in perpétuum
regnat cum Sancto Spíritu.

In sollemnitatibus et in festis B. Mariæ Virginis hæc conclusio adhiberi potest:

María, mater grátiæ,
mater misericórdiæ,
tu nos ab hoste prótege
et hora mortis súscipe.

Glória tibi, Dómine,
qui natus es de Vírgine,
cum Patre et Sancto Spíritu,
in sempitérna sæcula.

Tempore Quadragesimæ:

Christe, qui lux es et dies,
noctis tenébras détegis,
lucísque lumen créderis,
lumen beátum prædicans.

Precámur sancte Dómine,
defénde nos in hac nocte,
sit nobis in te réquies,
quiétam noctem tríbue.

Ne gravis somnus írruat,
nec hostis nos subrípiat,
nec caro illi conséntiens
nos tibi reos státuat.

Oculi somnum cápiant,
cor ad te semper vígilet,
déxtera tua prótegat
fámulos, qui te díligunt.

Defénsor noster áspice,
insidiántes réprime,
gubérna tuos fámulos,
quos sánguine mercátus es.

Meménto nostri, Dómine,
in gravi isto córpore;
qui es defénsor ánimæ,
adésto nobis, Dómine.

Præsta, Pater omnípotens,
per Iesum Christum Dóminum,
qui tecum in perpétuum
regnat cum Sancto Spíritu.

Tempore paschali:

Iesu, nostra redémptio,
amor et desidérium,
Deus Creátor ómnium,
homo in fine témporum,

Quæ te vicit cleméntia,
ut ferres nostra crímina,
crudélem mortem pátiens,
ut nos a morte tólleres?

Inférni claustra pénetrans,
tuos captívos rédimens,

victor triúmpho nóbili
ad dextram Patris résidens,

Ipsa te cogat píetas
ut mala nostra súperes
parcéndo et voti cómpotes
nos tuo vultu sáties.

Usque ad Ascensionem:

Quǽsumus, Auctor ómnium,
in hoc paschǽli gáudio,
ab omni mortis ímpetu
tuum defénde pópulum.

Glória tibi, Dómine,
qui surrexísti a mórtuis,
cum Patre et Sancto Spíritu,
in sempitérna sǽcula.

Post Ascensionem:

Tu esto nostrum gáudium,
qui es futúrus prǽmium,
sit nostra in te glória,
per cuncta semper sǽcula.

Glória tibi, Dómine,
qui scandis supra sídera,
cum Patre et Sancto Spíritu,
in sempitérna sǽcula.

In festo Pentecostes:

Dudum sacráta péctora
tua replésti grátia,
dimítte nunc peccámina,
et da quiéta témpora.

Sit laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
nobísque mittat Fílius
charísma Sancti Spíritus.

Psalmodia

Super psalmum cuiusque diei dici possunt antiphonæ propriæ, ut infra 678.

Ant. Alis suis obumbrábit tibi; non timébis a timóre noctúrno.

Psalmus 90
In protectione Altissimi

Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones (Lc 10, 19).

Qui hábitat in protectióne Altíssimi, *
sub umbra Omnipoténtis commorábitur.
Dicet Dómino: †
« Refúgium meum et fortitúdo mea, *
Deus meus, sperábo in eum ».

Quóniam ipse liberábit te de láqueo venántium *
et a verbo malígno.
Alis suis obumbrábit tibi, *
et sub pennas eius confúgies.
Scutum et loríca véritas eius; *
non timébis a timóre noctúrno,
a sagítta volánte in die, †
a peste perambulánte in ténebris, *
ab extermínio vastánte in merídie.

Cadent a látere tuo mille, †
et decem mília a dextris tuis; *
ad te autem non appropinquábit.
Quodsi óculis tuis consideráveris, *
retributiónem peccatórum vidébis.
Quóniam tu es, Dómine, refúgium meum. *
Altíssimum posuísti habitáculum tuum.

Non accédet ad te malum, *
et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.
Quóniam ángelis suis mandábit de te, *
ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te, *
ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.
Super áspidem et basilíscum ambulábis, *
et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam mihi adhæsit, liberábo eum; *
suscípiam eum, quóniam cognóvit nomen meum.
Clamábit ad me, et ego exáudiam eum; †
cum ipso sum in tribulatióne, *
erípiam eum et glorificábo eum.
Longitúdine diérum replébo eum, *
et osténdam illi salutáre meum.

Ant. Alis suis obumbrábit tibi; non timébis a timóre noctúrno.

Antiphonæ super psalmos

PROPRIUM DE TEMPORE

Tempore Nativitatis

Post I Vesperas Nativitatis:

Ant. Compléti sunt dies Maríæ, ut páreret Fílium suum primogénitum.

In die Nativitatis et usque ad Epiphaniam:

Ant. Natus est nobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David.

In Epiphania Domini:

Ant. Lux de luce apparuísti, Christe, cui Magi múnera ófferunt, allelúia, allelúia, allelúia.

Tempore paschali

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

PROPRIUM DE SOLLEMNITATIBUS ET FESTIS

In Præsentatione Domini:

Ant. Sancta Dei Génetrix, Virgo semper María, intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

In Annuntiatione Domini:

Ant. Ecce Virgo concípiet et páriet Fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel (T.P. allelúia, allelúia).

In festis et in sollemnitatibus B. Mariæ Virginis:

Ant. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium: ora pro nobis, sancta Dei Génetrix (T.P. allelúia).

Lectio brevis Ap 22, 4-5

Vidébunt fáciem Dómini, et nomen eius in frontibus eórum. Et nox ultra non erit, et non egébunt lúmine lucérnæ, neque lúmine solis; quóniam Dóminus Deus illuminābit illos; et regnábunt in sæcula sæculórum.

Responsoria

Per annum

℟. In manus tuas, Dómine, * Comméndo spíritum meum. In manus.

℣. Redemísti nos, Dómine Deus veritátis. * Comméndo spíritum meum. Glória Patri. In manus.

Hoc responsorium breve dici potest cum duplici allelúia in sollemnitatibus necnon Tempore Nativitatis, et Tempore paschali.

Tempore Quadragesimæ Ps 4, 9; cf. Ps 131, 4

℟. In pace in idípsum * Dórmiam et requiéscam.

℣. Si dédero somnum óculis meis, et pálpebris meis dormitatiónem. * Dórmiam. Glória Patri. In pace.

Præsertim in sabbatis, dominicis, sollemnitatibus, festis vel in diebus Hebdomadæ sanctæ: Cf. Ps 70, 9

℟. Média vita in morte sumus: Quem quærimus adiutórem nisi te, Dómine, qui pro peccátis nostris

iuste irásceris? * Sancte Deus, sancte fortis, sancte et miséricors Salvátor, amáræ morti ne tradas nos.

℣. Ne proícias nos in témpore senectútis: cum defécerit virtus nostra, ne derelínquas nos, Dómine. Sancte Deus.

Si Completorium non cantatur, responsoria In pace et Média vita transferri possunt ad Vesperas post lectionem ℟brevem.

Triduo paschali

Loco responsorii dicitur:

Ant. Christus factus est pro nobis obœdiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Dominica Resurrectionis et per octavam Paschæ

Loco responsorii dicitur:

Ant. Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea, allelúia.

Tempore paschali

℟. In manus tuas, Dómine, comménd spíritum meum, * Allelúia, allelúia. In manus.

℣. Redemísti nos, Dómine Deus veritátis. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. In manus.

Canticum evangelicum

Per annum ad canticum dicitur:

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes, ut vigilémus cum Christo et requiescámus in pace (T.P. allelúia).

Antiphonæ propriæ de tempore vel de sollemnitatibus et festis, 681.

Canticum Lc 2, 29-32

Christus lumen gentium et gloria Israel

Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, *
secúndum verbum tuum in pace;

quia vidérunt óculi mei *
salutáre tuum,
quod parásti *
ante fáciem ómnium populórum:
lumen ad revelatiónem géntium *
et glóriam plebis tuæ Israel.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes, ut vigilémus cum Christo et requiescámus in pace (T.P. allelúia).

Antiphonæ ad Canticum

PROPRIUM DE TEMPORE

Tempore Nativitatis

Post I Vesperas Nativitatis:

Ant. Ecce compléta sunt ómnia quæ dicta sunt per Angelum de Vírgine María.

In die Nativitatis et usque ad Epiphaniam:

Ant. Allelúia. Verbum caro factum est, allelúia, et habitávit in nobis, allelúia, allelúia.

In Epiphania Domini:

Ant. Allelúia. Omnes de Saba vénient, allelúia, aurum et tus deferéntes, allelúia, allelúia.

Tempore Quadragesimæ

A sabbato post Cineres usque ad sabbatum ante dominicam III Quadragesimæ, quotidie dici potest:

Ant. Evígila super nos, ætérne Salvátor, ne nos apprehéndat cállidus tentátor: quia tu factus es nobis sempitérnus adiútor.

A dominica III Quadragesimæ usque ad Triduum paschale:

Ant. O Rex glorióse inter Sanctos tuos, qui semper es laudábilis et tamen ineffábilis: tu in nobis es,

Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos: ne derelínquas nos, Deus noster: ut in die iudícii nos collocáre dignéris inter Sanctos et eléctos tuos, Rex benedícte.

Si Completorium non cantatur, antiphonæ Evígila et O Rex glorióse transferri possunt ad canticum Magníficat Vesperarum, in sabbatis et dominicis diebus.

Tempore paschali

Usque ad Ascensionem:

Ant. Allelúia. Resurréxit Dóminus, allelúia, sicut dixit vobis, allelúia, allelúia.

In Ascensione Domini et usque ad Pentecostem:

Ant. Allelúia. Ascéndens Christus in altum, allelúia, captívam duxit captivitátem, allelúia, allelúia.

In festo Pentecostes:

Ant. Allelúia. Spíritus Paráclitus, allelúia, docébit vos ómnia, allelúia, allelúia.

Proprium de Sollemnitatibus et Festis

In Præsentatione Domini:

Ant. Nunc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

In Annuntiatione Domini:

Ant. Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum (T.P. allelúia).

In sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi:

Ant. Allelúia. Panis quem ego dédero, allelúia, caro mea est pro mundi vita, allelúia, allelúia.

In sollemnitate Sacratissimi Cordis Iesu:

Ant. Allelúia. Hauriétis in gáudio, allelúia, de fóntibus Salvatóris, allelúia, allelúia.

In festis et sollemnitatibus B. Mariæ Virginis:

Ant. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra sollemnitáte præcélsæ Genetrícis Dei Maríæ (T.P. allelúia, allelúia).

Vel: Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génetrix; nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper Virgo benedícta (T.P. allelúia).

Oratio conclusiva

Oratio

Vísita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle; ángeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant, et benedíctio tua sit super nos semper. Per Christum.

Deinde dicitur, etiam a solo, benedictio:

Noctem quiétam et finem perféctum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Antiphonæ finales

Ad B. Mariam Virginem

Cantatur antiphona Salve Regína et fieri potest processio. Deinde, secundum usum Provinciarum, addi potest, pro opportunitate, antiphona S. P. Dominici vel alius Sancti O.P. Si Completorium non cantatur, antiphona Salve Regína et antiphona ad S. P. Dominicum, ut infra, transferri possunt ad Vesperas, præsertim cum populo celebratas.

Salve, Regína, mater misericórdiæ;
vita, dulcédo et spes nostra, salve.
Ad te clamámus, éxsules fílii Evæ.
Ad te suspirámus, geméntes et flentes
in hac lacrimárum valle.

Eia ergo, advocáta nostra,
illos tuos misericórdes óculos
ad nos convérte.

Et Iesum, benedíctum fructum ventris tui,
nobis post hoc exsílium osténde.
O clemens, o pia, o dulcis Virgo María (T.P. allelúia).

Ad libitum addi potest:

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta (T.P. allelúia).

℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos (T.P. allelúia).

Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum.

Vel alia:

Sub tuum præsídium confúgimus,
sancta Dei Génetrix;
nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus,
sed a perículis cunctis líbera nos semper,
Virgo benedícta.

Tempore paschali:

Regína cæli, lætáre, allelúia,
quia quem meruísti portáre, allelúia,
resurréxit sicut dixit, allelúia;
ora pro nobis Deum, allelúia.

Vel etiam aliæ antiphonæ ad hoc approbatæ.

Secundum consuetudines Communitatis, post antiphonam Salve Regína in die sabbati, ad libitum, litaniæ B.M. Virginis cum prosa Invioláta cantari possunt:

Invioláta, intácta et casta es, María,
quæ es effécta fúlgida cæli porta.

O mater alma Christi caríssima,
súscipe pia laudum præcónia.
Nostra ut pura péctora sint et córpora,
te nunc flágitant devóta corda et ora.
Tua per precáta dulcísona
nobis concédas véniam per sæcula,
o benígna,
quæ sola invioláta permansísti
(T.P. allelúia).

Ad S. P. Dominicum

Poterit deinde addi antiphona ad S. P. N. Dominicum, ubi, pro more Provinciæ vel Conventus, de alio Sancto non fit memoria:

Ant. O lumen Ecclésiæ, doctor veritátis, rosa patiéntiæ, ebur castitátis, aquam sapiéntiæ propinásti gratis: prædicátor grátiæ, nos iunge beátis (T.P. allelúia).

Ad libitum addi potest:

℣. Ora pro nobis, beáte Pater Domínice (T.P. allelúia).

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi (T.P. allelúia).

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Domínici confessóris tui, Patris nostri, patrocínio sublevémur. Per Christum.

Vel:

℟. O spem miram, quam dedísti mortis hora te fléntibus, dum post mortem promisísti te profutúrum frátribus! * Imple, Pater, quod dixísti, nos tuis iuvans précibus (T.P. allelúia).

℣. Qui tot signis claruísti in ægrórum corpóribus,

nobis opem ferens Christi, ægris medére móribus. * Imple Pater. [Glória Patri. Extra T.P. * Imple, Pater. T.P. * Allelúia.]

Vel:

Ant. Magne Pater sancte Domínice, mortis hora nos tecum súscipe, et hic semper nos pie réspice (T.P. allelúia).

ELEMENTA PROPRIA DE TEMPORE

★ Tempus Adventus 689
★ Tempus Nativitatis 691
★ Tempus Quadragesimæ 695
★ Hebdomada sancta et Sacrum Triduum paschale 701
★ Tempus paschale 706
★ Tempus « per annum »:
Elementa pro tempore 709
Elementa pro sollemnitatibus Tempore per annum occurrentibus 713

PRÆNOTANDA

1. Per diversa elementa, ex nostris libris liturgicis deprompta, hæc sectio congruenter cum hodierna structura Liturgiæ Horarum accommodatur. Hæc elementa selecta, de quibus mentionem fecerunt Prænotanda huius Proprii ad eorum momentum structurale ac liturgicum necnon normas adaptationis commendandum, quasi *Thesaurus liturgicus O.P.* pro Officio divino præbentur. Hic elementa complementaria vel elementa vicaria, præsertim in cantu, pro nonnullis sectionibus Liturgiæ Horarum inveniuntur, ad usum choralem, maxime pro communitatibus Monialium et, pro aliis, in aliquibus celebrationibus maioris momenti.

2. Præcipue attendendum est responsoriis prolixis, quæ cyclum liturgicum modulari possunt, characterem proprium diebus dominicis necnon principalibus festis vel momentis Temporis liturgici tribuentes. Hæc responsoria prolixa solent ad I Vesperas pro responsoriis brevibus cantari, sed etiam ad Officium lectionis post unam lectionem adhiberi possunt vel, pro opportunitate, ad Officium vigiliæ ante Te Deum.

3. Notificantur etiam celebrationes Ordinis particulares ad annum liturgicum et ad Liturgiam Horarum relatæ (v.g. Capitula sollemnia, Genealogiæ, processio Vesperarum in die Paschæ, etc.). Orientationes pariter notantur ut aliquæ partes adhibeantur nostrorum librorum pro cantu, in officiis Nativitatis vel Hebdomadæ sanctæ.

TEMPUS ADVENTUS

Responsoria prolixa

Dominica I

Responsorium Cf. Lc 1, 26. 27. 30. 31. 32. 33

℟. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Ioseph, núntians ei verbum: et expavéscit Virgo de lúmine. Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum: ecce concípies et páries, * Et vocábitur Altíssimi Fílius.

℣. Dabit ei Dóminus Deus sedem David patris eius, et regnábit in domo Iacob in ætérnum. * Et vocábitur. [Glória Patri. * Et vocábitur.] [AG 291]

Ad Officium lectionis vel vigiliæ Responsorium prolixum in cantu Aspíciens (AJ I, 140).

Dominica II

Responsorium Cf. Zach 14, 5. 8. 9

℟. Ecce Dóminus véniet et omnes sancti eius cum eo, et erit in die illa lux magna: et exíbunt de Ierúsalem sicut aqua munda: et regnábit Dóminus in ætérnum * Super omnes gentes.

℣. Ecce Dóminus cum virtúte véniet: et regnum in manu eius et potéstas et impérium. * Super omnes gentes. [Glória Patri. * Super omnes gentes.] [AG 298]

Dominica III

Responsorium Cf. Heb 10, 37 (Is 26, 20); Mich 7, 19

℟. Qui ventúrus est, véniet et non tardábit: et iam non erit timor in fínibus nostris: * Quóniam ipse est Salvátor noster.

℣. Depónet omnes iniquitátes nostras, et proíciet in profúndum maris ómnia peccáta nostra. * Quóniam. [Glória Patri. * Quóniam.] [AG 305]

DOMINICA IV

RESPONSORIUM Cf. Ap 14, 14; 19, 16; Hab 2, 3

℟. Ecce apparébit Dóminus super nubem cándidam et cum eo Sanctórum míllia, habens in vestiménto et in fémore suo scriptum: * Rex regum et Dóminus dominántium.

℣. Apparébit in finem, et non mentiétur: si moram fécerit, exspécta eum, quia véniens véniet. * Rex regum. [Glória Patri. * Rex regum.] [AJ I 160]

Antiphonæ ad Invitatorium

Dominica I Adventus et ad libitum in feriis usque ad diem 17 decembris, ant. Ecce venit Rex: * Occurrámus óbviam Salvatóri nostro. [AJ I 140]

Dominica II Adventus, ant. Rex noster advéniet Christus, * Quem Ioánnes prædicávit Agnum esse ventúrum. [AJ I 149]

Dominica III Adventus, ant. Súrgite, vigilémus, veníte, adorémus: * Quia nescítis horam quando véniet Dóminus. [AJ I 159]

Dominica IV Adventus, ant. Ecce iam venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum natum de Vírgine, factum sub lege: * Veníte, adorémus. [AJ I 179]

Antiphonæ ad cantica
Officii vigiliæ

Dominica I Adventus, ant. Iucundáre, fília Sion, et exsúlta satis, fília Ierúsalem, allelúia. [AG 293]

Dominica II Adventus, ant. Súrgite, vigilémus, veníte, adorémus: quia nescítis horam quando véniet Dóminus. [AJ I 159]

Vel: Cantáte Dómino cánticum novum: laus eius ab extrémis terræ. [AG 305]

Dominica III Adventus, ant. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ, de Petra desérti, ad montem fíliæ Sion. [AG 314]

Dominica IV Adventus, ant. Ecce iam venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terras. [AG 313]

Loco Evangelii Liturgiæ Horarum (I, 1260-1265), adhiberi potest Evangelium quod hoc anno in Missa Dominicæ non legitur.

TEMPUS NATIVITATIS

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI

Hodie, iuxta venerabilem Ordinis traditionem, apud nostras Communitates specialis quædam celebratio haberi potest, et expedit, ad sollemniter efferendum gaudiosum nuntium Nativitatis Domini, mundi Salvatoris, omnibus membris Capituli conventualis, in spiritu fidei et caritatis ad hoc coadunatis. Hæc celebratio ordinari poterit ut in Vigilia Annuntiationis Domini, 110.

IN NATIVITATE DOMINI

Ad I Vesperas

RESPONSORIUM Cf. 2 Chr 20, 15-17

℟. Iudæa et Ierúsalem, nolíte timére: * Cras egrediémini, Et Dóminus erit vobíscum.

℣. Constántes estóte: vidébitis auxílium Dómini super vos. * Cras egrediémini. [Glória Patri. Et Dóminus.] [AG 335]

Ad Officium lectionis

RESPONSORIUM Cf. Ps 18, 6

℟. Descéndit de cælis Deus verus a Patre génitus: introívit in úterum Vírginis, nobis ut apparéret visíbilis, indútus carne humána a protoparénte édita, et exívit per clausam portam, Deus et homo, * Lux et vita, cónditor mundi.

℣. Tamquam sponsus Dóminus procédens de thálamo suo. * Lux. [Glória Patri. * Lux.] [MG 32]

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Facta est cum Angelo multitúdo cæléstis exércitus laudántium Deum et dicéntium: Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis, allelúia. [AG 339]

Vel: Gaudeámus omnes fidéles, Salvátor noster natus est in mundo: hódie procéssit proles magnífici gérminis, et persevérat pudor virginitátis. [AG 348]

Alia responsoria cantus vel antiphonæ, dummodo ad Liturgiæ Horarum naturam accommodata sint, sumi possunt ex Matutino vel ex Antiphonario O.P. vel ex Antiphonario Romano. In Vigilia protracta (LH I, 1265) adhiberi possunt cantica Isaiæ ex Matutino O.P. (1936, pp. 233-240).

In fine huius celebrationis, ut mos est in traditione liturgica Ordinis nostri, cantus Genealogiæ secundum Evangelium Matthæi 1, 1-16 (Missale O.P., 1965, [111]) haberi potest.

Si Officium lectionis non celebratur ante Missam in nocte Nativitatis Domini, Genealogia cantari potest — ad modum exceptionis quæ sollemnitatem conferat celebrationi — ad I Vesperas Nativitatis, loco lectionis brevis vel alio momento magis opportuno.

Responsoria brevia Tempore Nativitatis

Præter elementa Liturgiæ Horarum (I, 352. 467) quæ sequuntur adhiberi possunt.

I. Usque ad sollemnitatem Epiphaniæ

Responsorium breve

1.

℟. Ipse invocábit me, * Allelúia, allelúia. Ipse.

℣. Pater meus es tu. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Ipse. [AG 341]

2.

℟. Propter nos egénus factus est, cum esset dives, * Allelúia, allelúia. Propter nos.

℣. Ut illíus inópia nos dívites essémus. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Propter nos. [AG 382]

3.

℟. Dóminus vias suas docébit nos, * Allelúia, allelúia. Dóminus.
℣. Et ambulábimus in sémitis eius. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Dóminus. [AG 382]

II. A sollemnitate Epiphaniæ

Responsorium breve

1.

℟. Omnis terra adóret te Deus, et psallat tibi, * Allelúia, allelúia. Omnis terra.
℣. Psalmum dicat nómini tuo. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Omnis terra. [AG 372]

2.

℟. Afférte Dómino glóriam et honórem, * Allelúia, allelúia. Afférte.
℣. Afférte Dómino glóriam nómini eius. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Afférte. [AG 362]

IN FESTIS TEMPORE NATIVITATIS OCCURRENTIBUS

Sollemnitas Sanctæ Dei Genetricis Mariæ

Responsorium Cf. 1 Io 1, 14. 1

℟. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: cuius glóriam vídimus, quasi Unigéniti a Patre, * Plenum grátiæ et veritátis.
℣. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. * Plenum grátiæ et veritátis. [Glória Patri. * Plenum grátiæ et veritátis.] [AG 351]

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Nésciens Mater Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum: ipsum Regem angelórum sola Virgo lactábat úbere de cælo pleno. [AG 348]

In Epiphania Domini

Responsorium Cf. Mt 2, 11

℟. Tria sunt múnera pretiósa, quæ obtulérunt Magi Dómino in die ista, et habent in se divína mystéria: * In auro osténditur Regis poténtia: in ture Sacerdótem magnum consídera, Et in myrrha Domínicam sepultúram.

℣. Salútis nostræ auctórem Magi veneráti sunt in cunábulis, et de thesáuris suis mýsticas ei múnerum spécies obtulérunt. * In auro. [Glória Patri. * Et in myrrha.] [MG 65]

℟. Stella quam víderant (MG, 63).

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Magnum hereditátis mystérium, templum Dei factus est úterus nésciens virum: non est pollútus ex ea carnem assúmens; omnes gentes vénient dicéntes: Glória tibi, Dómine. [AG 356]

Vel: Leva Ierúsalem óculos, et vide poténtiam Regis: ecce Salvátor venit sólvere te a vínculo. [AG 296]

Ad Genealogiam hodie adhiberi potest textus proprius Evangelii secundum Lucam 3, 23-38 (Missale O.P., 1965, [115]).

In Baptismate Domini

Responsorium Cf. Mt 3, 16-17

℟. In colúmbæ spécie Spíritus Sanctus visus est, Patérna vox audíta est: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui.

℣. Cæli apérti sunt super eum, et vox Patris intónuit. * Hic est. [Glória Patri. * Hic est.] [AG 366]

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Descéndit Spíritus Sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum, et vox de cælo facta est: Hic est Fílius meus diléctus, allelúia. [AG 374]

TEMPUS QUADRAGESIMÆ

Responsoria prolixa

In diebus Dominicis

Responsorium

1. Cf. Ps 70, 9

℟. Média vita in morte sumus: quem quærimus adiutórem nisi te, Dómine, qui pro peccátis nostris iuste irásceris? * Sancte Deus, sancte fortis, sancte et miséricors Salvátor, amáræ morti ne tradas nos.
℣. Ne proícias nos in témpore senectútis; cum defécerit virtus nostra, ne derelínquas nos, Dómine. * Sancte Deus. [AG 106]

2. Cf. 2 Cor 6, 2

℟. Paradísi portas apériat nobis ieiúnii tempus: suscipiámus illud oránte et deprecántes, * Ut in die resurrectiónis cum Dómino gloriémur.
℣. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: commendémus nosmetípsos in multa patientia. * Ut in die. [Glória Patri. * Ut in die.] [AJ I 289]

3.
Cf. Bar 3, 2; Iudt 7, 19 (Ps 103, 6)

℟. Emendémus in mélius quæ ignoránter peccávimus: ne súbito præoccupáti die mortis quærámus spátium pæniténtiæ, et inveníre non possímus: * Atténde, Dómine, et miserére, quia peccávimus tibi.
℣. Peccávimus cum pátribus nostris: iniúste égimus, iniquitátem fécimus. * Atténde. [Glória Patri. * Atténde.] [AG 413]

Dominica II

Responsorium Cf. Mt 17, 2-3 (Mc 9, 2-4)

℟. Dum oráret Iesus, facta est spécies vultus eius áltera, et vestítus eius albus refúlgens: et duo viri

loquebántur cum illo, * Móyses et Elías visi In maiestáte.

℣. Dicébant autem excéssum eius, quem completúrus erat in Ierúsalem. * Móyses. [Glória Patri. * In maiestáte.] [AG 887]

Antiphonæ ad Invitatorium

Dom. I Quadragesimæ, et ad libitum in feriis, ant. Præoccupémus fáciem Dómini, * Et in psalmis iubilémus ei. [AJ I 259]

Dom. II Quadragesimæ, et ad libitum in feriis, ant. Quóniam Deus magnus Dóminus, * Et Rex magnus super omnes deos. [AJ I 298]

Dom. III Quadragesimæ, et ad libitum in feriis, ant. Plorémus coram Dómino Deo nostro, * Qui fecit nos. [AJ I 308]

Dom. IV Quadragesimæ, et ad libitum in feriis, ant. Pópulus Dómini, et oves páscuæ eius, * Veníte, adorémus Dóminum. [AJ I 319]

Dom. V Quadragesimæ, et ad libitum in feriis, ant. Adorémus Dóminum, * Qui nos redémit per crucem. [AJ I 60]

Antiphonæ ad cantica

Officii vigiliæ

Ant. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: in his ergo diébus exhibeámus nos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in vigíliis, in ieiúniis et in caritáte non ficta. [AG 414]

Vel: Cor mundum crea in me Deus, et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. [AG 415]

Vel: Peccáta mea, Dómine, sicut sagíttæ infíxa sunt in me: sed ántequam vúlnera génerent in me, sana me, Dómine, medicaménto pæniténtiæ, Deus. [AG 287]

Vel: Ne reminiscáris, Dómine, delícta mea, vel paréntum meórum: neque vindíctam sumas de peccátis meis. [AG 578]

Vel: Sustinúimus pacem et non venit, Dómine: quæsívimus bona, et ecce turbátio: cognóvimus, Dómine, peccáta nostra; ne in ætérnum obliviscáris nos, Deus Israel. [AG 583]

Responsoria brevia

Præter elementa Liturgiæ Horarum (II, 63. 176), quæ sequuntur adhiberi possunt.

Hebdomada I

℟. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana.
℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei. * Quia peccávi tibi. Glória Patri. Sana. [AG 151]

Hebdomada II

℟. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime me.
℣. Pes enim meus stetit in via recta: in ecclésiis benedícam te, Dómine. * Et miserére mei. Glória Patri. Rédime me. [AG 161]

Hebdomada III

℟. Inclína cor meum, Deus, * In testimónia tua.
℣. Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem: in via tua vivífica me. * In testimónia tua. Glória Patri. Inclína. [AG 44]

Hebdomada IV

℟. Redemísti nos, Dómine, * In sánguine tuo. Redemísti.
℣. Ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne. * In sánguine. Glória Patri. Redemísti. [AJ I 712]

HEBDOMADA V

℟. Christus diléxit nos, et lavit nos * In sánguine suo. Christus.

℣. Et fecit nos regnum et sacerdótes Deo et Patri. * In sánguine suo. Glória Patri. Christus.

[AJ I 712]

Responsoria selecta pro feriis Quadragesimæ

Hic notatur « incipit » responsoriorum quæ pro sua natura inter brevia et prolixa medium tenent. Hæc responsoria, Tempori Quadragesimæ congruentia, hoc tempore ad Officium lectionis post unam vel alteram lectionem apposita, meditationi favere possunt, præcipue si fiat « lectio quasi continua operis alicuius Patris, quod consonet cum mente biblica et liturgica » (IGLH, n. 250). Cum autem modis musicis simplicioribus ac facilioribus ornata sint, pro responsoriis ad cantandum difficilioribus substitui possunt (cf. ibid., n. 282). Vim suam tamen retinent etiam in recitatione sine cantu vel a solo facta.

Expedit ut commissiones regionales accommodationes pro opportunitate faciant vel communitatibus indicent ad celebrationem choralem Officii lectionis vel, si placet, Vesperarum persolvendam.

HEBDOMADA I et II

Feria II: Ab omni via (BB I, 261; AG, 54). Feria III: Servus tuus (BB I, 291; AG, 54). Feria IV: Factus est mihi (BB I, 174; AJ II, 235). Feria V: Bonum mihi (BB I, 291; AG, 47). Feria VI: Sépties in die (BB I, 261; AG, 61). Sabbato: Ne perdíderis me (BB I, 171; AJ II, 231).

HEBDOMADA III et IV

Feria II: Scíndite (BB I, 265; AJ I, 289). Feria III: Dómine, secúndum (BB II, 909; Process. O.P., 254). Feria IV: Partícipem (BB I, 260; AG, 46). Feria V: Spes mea (BB I, 232; AG, 45). Feria VI: Educ (BB I, 232; AG, 61). Sabbato: Ego dixi (BB I, 170; AJ II, 230).

Hebdomada V

Feria II: Declára super nos (BB I, 261; AG, 62). Feria III: Esto nobis (BB I, 221; AG, 53). Feria IV: Erue a frámea (BB I, 326; AG, 48). Feria V: De ore leónis (BB I, 326; AG, 55). Feria VI: Príncipes persecúti sunt (BB I, 326; AG, 63). Sabbato: Misericórdia tua (BB I, 173; AJ II, 234).

Antiphonæ ad Horam mediam

Ut complementum ad elementa Liturgiæ Horarum (II, 69. 120. 184. 219. 271) et salvo iure aliarum selectionum, præsertim pro Communitatibus quæ cotidie tres Horas minores celebrant, hic nonnullæ antiphonæ ad Horam mediam proponuntur, cum Tempore Quadragesimæ congruentes.

Diebus dominicis sumitur, cum psalmodia complementari, antiphona ad Tertiam (T.), Sextam (S.) vel Nonam (N.) conveniens. Per hebdomada, ut notatur in rubricis complementaribus, sumuntur: ad Tertiam, psalmi de hebdomada currenti ad Horam mediam cum antiphona, quæ hic datur; ad Sextam, psalmi de hebdomada præcedenti ad Horam mediam cum antiphona, quæ hic datur; ad Nonam, psalmi de hebdomada subsequenti ad Horam mediam cum antiphona, quæ hic datur.

Dominica et Hebdomada I

Dominica I: T. Iesus autem cum ieiunásset (BB I, 258; AG, 418). S. Tunc assúmpsit (BB I, 258; AG, 418). N. Vade, sátana (BB I, 258; AG, 419). Feria II: Iúdica causam (BB I, 342; AG, 460). Feria III: Dóminus custódit (BB I, [208]; AG, 1013). Feria IV: Deduc me (BB I, 629; AG, 141). Feria V: Deus meus, in te (BB I, 662; AG, 180). Feria VI: Misericórdia tua (BB I, 691; AG, 202). Sabbato: Clamor meus, Dómine (BB I, 788; AG, 277).

Dominica et Hebdomada II

Dominica II: T. Dómine, bonum est (BB I, 277; AG, 424). S. Faciámus hic (BB I, 277; AG, 427). N. Adhuc eo loquénte (BB II, 669; AG, 890). Feria II:

Tunc acceptábis (BB I, 305; AG, 441). Feria III: Vide, Dómine (BB I, 321; AG, 451). Feria IV: Deus ádiuvat me (BB I, 694; AG, 204). Feria V: Adiútor meus (BB I, 734; AG, 238). Feria VI: Exáudi, Dómine (BB I, [203]; AG, 1016). Sabbato: Quam bonus Israel (BB I, 725; AG, 226).

Dominica et Hebdomada III

Dominica III: T. Si quis sitit (BB I, 329; AG, 455). S. Vivo ego (BB I, 260; AG, 147). N. Domus mea (BB I, [14]; AG, 20*). Feria II: Salvum me fac (BB I, 644; AG, 171). Feria III: Memor esto (BB I, 727; AG, 228). Feria IV: Confitébor tibi (BB I, 220; AG, 395). Feria V: Commendémus (BB I, 261; AG, 157). Feria VI: Ne discédas a me (BB I, 755; AG, 248). Sabbato: In Dómino (BB I, 747; AG, 241).

Dominica et Hebdomada IV

Dominica IV: T. Tibi, Dómine (BB I, 685; AG, 195). S. Ego sum lux mundi (BB I, 317; AG, 449). N. Illuminátio mea (BB I, 634; AG, 151). Feria II: Exaltáre, Dómine (BB I, 785; AG, 275). Feria III: Dum tribulárer (BB I, 348; AG, 466). Feria IV: Déxtera Dómini (BB I, 276; AG, 425). Feria V: Eripe me (BB I, 745; AG, 239). Feria VI: Ne derelínquas me (BB I, 764; AG, 259). Sabbato: In sanctitáte (BB I, 717; AG, 219).

Dominica et Hebdomada V

Dominica V: T. Potens es, Dómine (BB I, 305; AG, 442). S. Deus, meus es tu (BB I, 231; AG, 401). N. Amen, amen dico (BB I, 323; AG, 453). Feria II: Animæ impiórum (BB I, 325; AG, 147). Feria III: Exsúrge, Dómine (BB I, 359; OHS, 38). Feria IV: Pópule meus (BB I, 326; AG, 157). Feria V: Custódi me (BB I, 413; AG, 475). Feria VI: Numquid réddi-tur (BB I, 326; AG, 162). Sabbato: Deus meus (BB I, 663; AG, 180).

HEBDOMADA SANCTA
ET SACRUM TRIDUUM PASCHALE

DOMINICA IN PALMIS
DE PASSIONE DOMINI

Ad I Vesperas vel ad Officium lectionis

RESPONSORIUM

1.

℟. Per tuam Crucem salva nos, Christe Redémptor, qui mortem nostram moriéndo destruxísti, * Et vitam resurgéndo reparásti.

℣. Miserére nostri, Iesu benígne, qui passus es cleménter pro nobis. * Et vitam. [Glória Patri. * Et vitam.] [AG 799]

2. Cf. Ps 21, 17. 12

℟. Circumdedérunt me viri mendáces: sine causa flagéllis cecidérunt me. * Sed tu, Dómine, defénsor víndica me.

℣. Quóniam tribulátio próxima est, et non est qui ádiuvet. * Sed tu. [Glória Patri. * Sed tu.] [AG 458]

Si antiphona Ave Rex ad processionem cantata fuerit, ad Magnificat adhiberi potest ant. Príncipes sacerdótum (AG, 458).

Ad cantica Officii vigiliæ, antiphona in cantu Pósitis génibus (AJ I, 648), vel Pater, si non potest (GR, 149).

Ad Invitatorium

Ant. Regem Dóminum, qui per Crucis mystérium redémit mundum, * Veníte, adorémus. [AJ II 560]

Vel, præsertim in cantu: Ipsi vero non cognovérunt vias meas: * Quibus iurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam. [AJ I 339]

Ad II Vesperas

RESPONSORIUM BREVE

℟. Iesu Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Iesu Christe.

℣. Per quem salváti et liberáti sumus. * Miserére nobis. Glória Patri. Iesu Christe. [AG 38]

IN FERIIS HEBDOMADÆ SANCTÆ

Responsoria quæ sequuntur (ex Officio Hebdomadæ Sanctæ S.O.P. 1965 deprompta) ad libitum adhiberi possunt feriis Hebdomadæ sanctæ vel ad Officium lectionis, secundum themata lectionum cuiusque cycli (IGLH, n. 150), vel post lectionem brevem Laudum et Vesperarum.

Tristis est (OHS, 31); Unus ex vobis (OHS, 42); Eram quasi (OHS, 43); Una hora (OHS, 48); Omnes amíci mei (OHS, 120); Vínea mea (OHS, 125); Tradidérunt me (OHS, 140); Plange quasi (OHS, 202); O vos omnes (OHS, 208).

SACRUM TRIDUUM PASCHALE

Ad Officium lectionis

1. Præter textus, præsertim responsoria prolixa, quæ in Liturgia Horarum et in Antiphonario Romano inveniuntur, feria VI in Passione Domini et Sabbato sancto adhiberi possunt cantus qui in Officio Hebdomadæ Sanctæ O.P. sunt positi, secundum indolem et circumstantias particulares ad vitam cuiusque communitatis attinentes.

Feria VI: Velum templi (OHS, 122); Ténebræ (OHS, 132); Barábbas (OHS, 133).

Sabbato sancto: Caligavérunt (OHS, 209); Ecce quómodo móritur (OHS, 214); Agnus Dei Christus (OHS, 221).

2. Ad cantica Officii vigiliæ hæ antiphonæ in cantu adhiberi possunt:

Feria VI: Unus mílitum (AG, Add. 11**), vel Exívit sánguis (AJ I, 674), vel Vere languóres (AJ I, 682).

Sabbato sancto: Dum tribulárer (AG, 466), vel O vos omnes (AG, 480).

3. Sabbato sancto oratio ex Libro Lamentationum (Lam 5, 1-22), in cantu (OHS, 216) adhiberi potest ad canticum in Vigilia protracta (LH II, 1731). In Officio vero lectionis adhiberi potest ad lectionem priorem, iis tamen attentis quae in IGLH, n. 150, de lectionum cyclis dicuntur.

Ad Laudes matutinas

VERSUS LITANICI IN CANTU

Feria VI in Passione Domini et Sabbato sancto, loco precum in Liturgia Horarum occurrentium, adhiberi possunt « Versus litanici » in cantu vel in lingua latina cum melodia gregoriana, ut in Officio Hebdomadæ Sanctæ O.P. (60-63), vel in lingua vernacula adhibita melodia apta pro iis congrue parata.

Ad ea quæ sequuntur Fratres stant versi ad altare vel ad imaginem Salvatoris.

Repetita post Benedictus antiphona, duo Fratres stantes ante gradus altaris vel alio loco apto dicunt:

Kýrie, eléison.

Et choro respondente:

Kýrie, eléison,

iterum illi duo Fratres dicunt:

Kýrie, eléison.

Deinde alii duo Fratres stantes in medio chori dicunt:

Dómine, miserére.

Et chorus respondet:

Christus Dóminus factus est obœdiens usque ad mortem.

Feria VI in Passione Domini:

Item Fratres ante gradus:

℣. Agno miti básia cui lupus dedit venenósa.

Et chorus dicit:

Christe, eléison.

Item Fratres ante gradus:

℣. Vita in ligno móritur, inférnus et mors lugens spoliátur.

Item chorus:

Christe, eléison.

Item Fratres ante gradus:

℣. Te qui vincíri voluísti, nosque a mortis vínculis eripuísti.

Sabbato sancto:

Item Fratres ante gradus:

℣. Qui passúrus advenísti propter nos.

Et chorus dicit:

Christe, eléison.

Item Fratres ante gradus:

℣. Qui, expánsis in cruce mánibus, traxísti ómnia ad te sæcula.

Item chorus:

Christe, eléison.

Item Fratres ante gradus:

℣. Qui prophétice prompsísti: Ero mors tua, o mors!

Item chorus:

Christe, eléison.

Deinde Fratres in medio chori:

Dómine, miserére.

Et chorus respondet:

Christus Dóminus factus est obœdiens usque ad mortem.

Item Fratres ante gradus:

Kýrie, eléison.

Et chorus:

Kýrie, eléison.

Et Fratres ante gradus:

Kýrie, eléison.

Deinde Fratres in medio chori:

Dómine, miserére.

Et chorus respondet:

Christus Dóminus factus est obœdiens usque ad mortem.

Item Fratres ante gradus dicunt alta voce:

Mortem autem crucis.

Finito versu Mortem autem crucis genuflectunt vel prosternunt se omnes et orant aliquantulum in silentio. Postea oratio dominica dicitur, elata voce uti moris est in fine Laudum.

TEMPUS PASCHALE
I. USQUE AD ASCENSIONEM DOMINI

DOMINICA RESURRECTIONIS

Dominica Paschæ et diebus sequentibus usque ad Octavam, in fine Vesperarum, præsertim cum populo, responsorium Christus resúrgens et antiphona Regína cæli cantari possunt, cum processione, vel cum particulari celebratione, vel sine processione.

RESPONSORIUM Cf. Rom 6, 9

℟. Christus resúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur: * Quod enim vivit, vivit Deo, allelúia, allelúia.

℣. Dicant nunc Iudæi quómodo mílites custodiéntes sepúlcrum perdidérunt Regem ad lápidis positiónem. Quare non servábant Petram iustítiæ? Aut sepúltum reddant, aut resurgéntem adórent, nobíscum dicéntes. * Quod enim vivit, vivit Deo, allelúia, allelúia. [AG 484-485]

ELEMENTA PRO OFFICIIS DE TEMPORE

Ad Officium vigiliæ

Ad cantica, ant. Crucem sanctam súbiit, qui inférnum confrégit: accínctus est poténtia, surréxit die tértia, allelúia. [AG 81]

Vel: Crucem tuam adorámus, Dómine, et sanctam resurrectiónem tuam laudámus et glorificámus: ecce enim propter lignum venit gáudium in univérso mundo. [GR 175]

Vel: Allelúia, allelúia, allelúia.

Loco Evangelii Liturgiæ Horarum (II, 1753-1759), adhiberi potest Evangelium quod hoc anno in Missa Dominicæ non legitur.

Ad Laudes vel Vesperas

RESPONSORIUM BREVE

1.

℟. Resurréxit Dóminus, * Allelúia, allelúia. Resurréxit.
℣. Sicut dixit vobis. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Resurréxit. [AG 48]

2.

℟. Surréxit Dóminus vere, * Allelúia, allelúia. Surréxit.
℣. Et appáruit Simóni. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Surréxit. [AG 56]

3.

℟. Data est mihi omnis potéstas. * Allelúia, allelúia. Data est.
℣. In cælo et in terra. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Data est. [AG 1001]

Ad Invitatorium feriæ VI

Ant. Allelúia: salve, sancta Crux, salve, allelúia. [AJ II 370]

IN ASCENSIONE DOMINI

RESPONSORIUM Act 1, 11. 10

℟. Viri Galilæi, quid admirámini aspiciéntes in cælum? Allelúia: * Quemádmodum vidístis eum ascendéntem in cælum, ita véniet, Allelúia, allelúia, allelúia.
℣. Cumque intueréntur in cælum eúntem illum, ecce duo viri astitérunt iuxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt. * Quemádmodum. [Glória Patri. * Allelúia, allelúia, allelúia.] [MG 72]

℟. Post passiónem (MG, 71) vel Omnis pulchritúdo (AG, 503).

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Tristítia implévit cor vestrum: et gáudium vestrum nemo tollet a vobis, allelúia, allelúia. [AG 497]

Vel: Iterum autem vidébo vos, et gaudébit cor vestrum, allelúia: et gáudium vestrum nemo tollet a vobis, allelúia. [AG 496]

II. POST ASCENSIONEM DOMINI

Ad Laudes matutinas

RESPONSORIUM BREVE

℟. Eleváta est magnificéntia tua * Allelúia, allelúia. Eleváta.

℣. Super cælos, Deus. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Eleváta. [AG 508]

DOMINICA PENTECOSTES

RESPONSORIUM

℟. Spíritus Sanctus procédens a throno, Apostolórum péctora ineffabíliter penetrávit, novum sanctificatiónis signum: * Ut in ore eórum ómnium génera nasceréntur linguárum, Allelúia.

℣. Advénit ignis divínus, non combúrens, sed illúminans: et tríbuit eis charísmatum dona. * Ut in ore. [Glória Patri. * Allelúia.] [MG 82]

℟. Repléti sunt (AG, 515) et Dum compleréntur (MG, 80), ut in Antiphonario Romano.

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Non vos relínquam órphanos, allelúia; vado, et vénio ad vos, allelúia, et gaudébit cor vestrum, allelúia. [AG 517]

TEMPUS PER ANNUM

I. RESPONSORIA PROLIXA ET ANTIPHONÆ OFFICII VIGILIÆ PRO TEMPORE

Responsoria prolixa et antiphonæ ad cantica Officii vigiliæ tempore per annum inveniuntur iuxta tres series collecta: I. quæ mysterium paschale præcipue exprimunt; II. quæ historiam salutis illustrant; III. de historia Dominicali quæ dicitur.

Responsoria adhiberi possunt iuxta convenientiam liturgicam vel possibilitatem cuiusque communitatis.

Series I

1 RESPONSORIUM Cf. Io 10, 15; 1 Cor 5, 7

℟. Surréxit Pastor bonus, qui pósuit ánimam suam pro óvibus suis, * Et pro suo grege mori dignátus est, Allelúia, allelúia.

℣. Etenim Pascha nostrum immolátus est Christus. * Et pro suo grege. [Glória Patri. * Allelúia, allelúia.] [AJ II 126]

2 RESPONSORIUM Ap 5, 9. 10

℟. Dignus es, Dómine, accípere librum et aperíre signácula eius, quóniam occísus es et redemísti nos Deo. * In sánguine tuo, allelúia.

℣. Fecísti enim nos Deo nostro regnum et sacerdótes. * In sánguine tuo, allelúia. [Glória Patri. * In sánguine tuo, allelúia.] [AG 849]

3 RESPONSORIUM Col 3, 1-3

℟. Si consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens: * Quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram, allelúia.

℣. Mórtui enim estis et vita vestra abscóndita est cum Christo. * Quæ sursum sunt sápite. [Glória Patri. * Quæ sursum sunt sápite.] [AJ II 125]

4 Responsorium Ps 137, 1-2; 117, 28

℟. In conspéctu Angelórum psallam tibi, et adorábo ad templum sanctum tuum, * Et confitébor nómini tuo, Dómine.

℣. Deus meus es tu, et confitébor tibi: Deus meus es tu, et exaltábo te. * Et confitébor. [Glória Patri. * Et confitébor.] [AJ II 580]

℟. Tua est poténtia (AG, 578), vel alia responsoria quæ in Antiphonario Romano continentur.

Antiphonæ ad Officium vigiliæ

Ad cantica, ant. Et valde mane una sabbatórum, véniunt ad monuméntum, orto iam sole, allelúia. [AG 482]

Vel: Cum esset sero die illa, una sabbatórum, et fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti, stetit Iesus in médio et dixit eis: Pax vobis, allelúia. [AG 491]

Vel: Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua et in præcéptis suis, et fáciat pacem. [AG 579]

Loco Evangelii Liturgiæ Horarum (III, 1596-1605; IV, 1580-1589), adhiberi potest Evangelium quod hoc anno in Missa Dominicæ non legitur.

Series II

5 Responsorium Cf. Deut 4, 1; Prov 7, 3; Ier 11, 5; Ex 23, 21. 22

℟. Audi, Israel, præcépta Dómini et ea in corde tuo quasi in libro scribe: * Et dabo tibi terram fluéntem lac et mel.

℣. Obsérva ígitur et audi vocem meam: et inimícus ero inimícis tuis. * Et dabo. [Glória Patri. * Et dabo.] [AG 440]

6 Responsorium Cf. 2 Mac 1, 4. 5

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua et in præcéptis suis, et fáciat pacem in diébus vestris: * Concédat vobis salútem, et rédimat vos a malis.

℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. * Concédat vobis. [Glória Patri. * Concédat vobis.] [AJ II 252]

7 RESPONSORIUM Ier 14, 19-20; Iudt 7, 19

℟. Sustinúimus pacem, et non venit; quæsívimus bona, et ecce turbátio; cognóvimus, Dómine, peccáta nostra: * Non in perpétuum obliviscáris nos.

℣. Peccávimus cum pátribus nostris: iniúste égimus, iniquitátem fécimus. * Non in perpétuum. [Glória Patri. * Non in perpétuum.] [AJ II 260]

8 RESPONSORIUM Cf. Ps 9, 5. 10; 9b, 14

℟. Deus, qui sedes super thronum, et iúdicas æquitátem, esto refúgium páuperum in tribulatióne: * Quia tu solus labórem et dolórem consíderas.

℣. Tibi enim derelíctus est pauper: pupíllo tu eris adiútor. * Quia. [Glória Patri. * Quia.] [AG 388]

9 RESPONSORIUM Cf. Tob 4, 20; 14, 10. 11

℟. Omni témpore bénedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dírigat, * Et omni témpore consília tua in ipso permáneant.

℣. Inquíre ut fácias quæ plácita sunt illi in veritáte et in tota virtúte tua. * Et omni. [Glória Patri. * Et omni.] [AG 576]

10 RESPONSORIUM Zac 9, 9. 10

℟. Exsúlta satis, fília Sion; iúbila, fília Ierúsalem: ecce Rex tuus véniet tibi iustus et salvátor: * Et loquétur pacem géntibus.

℣. Potéstas eius a mari usque ad mare: et a flumínibus usque ad fines terræ. * Et loquétur. [Glória Patri. * Et loquétur.] [Lib. OSB]

ANTIPHONÆ AD OFFICIUM VIGILIÆ

Ad cantica, ant. Ecce apparébit Dóminus, et non mentiétur: si moram fécerit, exspécta eum, quia véniet, et non tardábit, allelúia. [AG 300]

Vel: Da mercédem, Dómine, sustinéntibus te, ut prophétæ tui fidéles inveniántur. [AG 315]

Vel: Dies Dómini sicut fur ita in nocte véniet: et vos estóte paráti, quia qua hora non putátis Fílius hóminis véniet. [AG 329]

Loco Evangelii Liturgiæ Horarum (III, 1596-1605; IV, 1580-1589), adhiberi potest Evangelium quod hoc anno in Missa Dominicæ non legitur.

Series III

11 Responsorium Gen 2, 1-2; 1, 31

℟. Igitur perfécti sunt cæli et terra et omnis ornátus eórum: complevítque Deus die séptimo opus suum quod fécerat: * Et requiévit ab omni ópere quod patrárat.

℣. Vidítque Deus cuncta quæ fécerat: et erant valde bona. * Et requiévit. [Glória Patri. * Ab omni ópere quod patrárat.] [AG 394]

12 Responsorium Cf. Gen 8, 21; 1, 27; 9, 13

℟. Benedícens ergo Deus Noe ait: Nequáquam ultra maledícam terræ propter hóminem: * Ad imáginem quippe Dei factus est homo.

℣. Hoc erit signum fœderis inter me et terram: arcum meum ponam in núbibus cæli. * Ad imáginem. [Glória Patri. * Ad imáginem.] [AG 400]

13 Responsorium Cf. Gen 18, 1. 2

℟. Dum staret Abraham ad íllicem Mambre, vidit tres viros ascendéntes per viam: tres vidit. * Et unum adorávit.

℣. Cumque elevásset óculos, apparuérunt ei tres viri stantes iuxta eum. * Et unum. [Glória Patri. * Et unum.] [AG 405]

14 RESPONSORIUM Cf. Est 13, 9. 17

℟. Dómine, rex omnípotens, in ditióne tua cuncta sunt pósita, et non est qui possit resístere voluntáti tuæ: líbera nos * Propter nomen tuum.

℣. Exáudi, Dómine, oratiónem nostram, et convérte luctum nostrum in gáudium. * Propter nomen tuum. [Glória Patri. * Propter nomen tuum.]

[AJ II 251]

15 RESPONSORIUM Cf. 1 Mac 4, 8-9. 10; Ps 104, 5

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis: mémores estóte quómodo salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamémus in cælum: et miserébitur nostri Deus noster.

℣. Mementóte mirabílium eius, quæ fecit Pharaóni et exercítui eius in Mari Rubro. * Et nunc. [Glória Patri. * Et nunc.] [AJ II 254]

ANTIPHONÆ AD OFFICIUM VIGILIÆ

Ad cantica, ant. Omnis sapiéntia a Dómino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. [AG 572]

Vel: Da pacem, Dómine, in diébus nostris: quia non est álius qui pugnet pro nobis nisi tu, Deus noster. [AG 579]

Vel: Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. [AG 581]

Vel: Amen dico vobis, quia non præteríbit generátio hæc, donec ómnia fiant. Cælum et terra transíbunt, verba autem mea non transíbunt, dicit Dóminus. [AG 605]

Loco Evangelii Liturgiæ Horarum (III, 1596-1605; IV, 1580-1589), adhiberi potest Evangelium quod hoc anno in Missa Dominicæ non legitur.

II. RESPONSORIA PROLIXA ET ANTIPHONÆ PRO SOLLEMNITATIBUS TEMPORE PER ANNUM OCCURRENTIBUS

Dominica I post Pentecosten

SANCTISSIMÆ TRINITATIS

RESPONSORIUM Cf. Ps 71, 18-19

℟. Benedíctus Dóminus Deus Israel, qui facit mirabília solus: * Et benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum.

℣. Replébitur maiestáte eius omnis terra: fiat, fiat. * Et benedíctum. [Glória Patri. * Et benedíctum.] [AJ II 190]

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Adésto, Deus unus omnípotens, Pater et Fílius et Spíritus Sanctus. [MG 211]

Vel Laus et perénnis (AG, 533).

Feria V post Ss.mam Trinitatem

SS.MI CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI

RESPONSORIUM Lc 14, 16-17; Prov 9, 5

℟. Homo quidam fecit cenam magnam, et misit servum suum hora cenæ dícere invitátis ut veníret, * Quia paráta sunt ómnia.

℣. Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis. * Quia paráta sunt ómnia. [Glória Patri. * Quia paráta sunt ómnia.] [AG 539]

Ad Officium lectionis vel vigiliæ, responsoria ad libitum: Cenántibus (MG, 95) et Qui mandúcat (MG, 100).

Ad Invitatorium, ant. Christum Regem adorémus dominántem géntibus: * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem. [MG 83]

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Homo quidam fecit cenam magnam, et vocávit multos: et misit servum suum hora cenæ dícere invitátis ut veníren, quia ómnia paráta sunt, allelúia. [AG 551]

Feria VI post dominicam II post Pentecosten
SACRATISSIMI CORDIS IESU

RESPONSORIUM Io 15, 9-10

℟. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. * Manéte in dilectióne mea.
℣. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne. * Manéte. [Glória Patri. * Manéte.] [AG Add., 1**]

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Allelúia. Hauriétis in gáudio, allelúia, de fóntibus Salvatóris, allelúia, allelúia. [AG Add., 5**]

Vel: Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris. [AG 314]

Dominica ultima per annum
D. N. IESU CHRISTI UNIVERSORUM REGIS

RESPONSORIUM Cf. 1 Chr 29, 11-12; 2 Mac 1, 24

℟. Tua est poténtia, tuum regnum, Dómine: tu es super omnes gentes: * Da pacem, Dómine, In diébus nostris.
℣. Creátor ómnium, Deus, terríbilis et fortis, iustus et miséricors. * Da pacem, Dómine. [Glória Patri. * In diébus nostris.] [AG 578]

Ad cantica Officii vigiliæ, ant. Tua est poténtia, tuum regnum, Dómine: tu es super omnes gentes: da pacem, Dómine, in diébus nostris. [AG 580]

EXCERPTA E LIBELLO PRECUM IN ORDINE TRADITARUM

★ Summarium 718
★ Prænotanda 719
★ Orationes circa mysterium Dei et œconomiam salutis 721
★ Orationes ad Sanctos Ordinis nostri 735
★ Orationes variæ et Sanctis nostris tributæ . . . 743
★ Orationes pro peculiaribus adiunctis 757
★ Litaniæ B. Mariæ Virginis ab Ordine receptæ . 778

Summarium

Prænotanda 719

I. Orationes circa mysterium Dei et œconomiam salutis:

Divinæ misericordiæ víæ 721

Ad Christum crucifixum:
— Versus de Passione D. N. Iesu Christi 723
— Absorbeat, quæso 725

Pro cultu mysterii eucharistici:
— Rhythmus: Adoro te devote 726
— Tropus: Ave verum 727
— Preces ante et post Communionem eucharisticam vel Missam 727

Ad Spiritum Sanctum: Sequentia 730

Ad B. Mariam Virginem:
— Oratio ab omni religioso dicenda 731
— Virgo Dei Genetrix 734

II. Orationes ad Sanctos Ordinis nostri:

Ad S. P. N. Dominicum:
— Oratio beati Iordani de Saxonia 735
— Preces in honorem S. Patris Dominici 739
Ad quosdam Sanctos O.P. 742

III. Orationes variæ et Sanctis nostris tributæ:

Orationes super Evangelium 743

Orationes pro variis necessitatibus:
— Ad veniam pro peccatis impetrandam 745
— Ad vitam sapienter instituendam 746
— Ante lectionem, scriptionem vel prædicationem . . . 748
— Pro obtinendis virtutibus 749
— Pro impetranda contemplatione 750
— Pro gratiarum actione 751
— Pro impetranda fidelitate 752

Adhortatio et Oratio de septiformi affectu ad Iesum crucifixum 752

Benedictio infirmorum in nonnullis Provinciis O.P. adhibita 755

IV. Orationes pro peculiaribus adiunctis:

Pro Capitulo generali vel provinciali et euntibus ad illud 757
Preces pro Familia Dominicana et pro benefactoribus . 764
Benedictio pro itinerantibus 773

V. Litaniæ B. Mariæ Virginis ab Ordine receptæ 778
Supplicatio pro filiali dedicatione Beatæ Mariæ Virgini 783

Prænotanda

1. Supplementum hoc III elementa quædam præstantiora continet e Libello precum Ordinis deprompta, editione partim renovata. Preces in hac Appendice insertæ devotionem erga Sanctos Ordinis nostri exprimunt, necnon ipsorum orationis et contemplationis amorem et studium excolunt.

Elementa hæc diligenter examinata et iuxta normas typographicas hodiernas edita sunt, ad structuram intimam cuiusque textus detegendam.

2. Origine historica seriore vel recentiore attenta, elementa hæc in quinque sectiones distributa sunt:

I. de mysterio Dei et œconomia salutis;

II. preces vel textus in honorem Sanctorum Ordinis nostri, præcipue sancti Patris nostri Dominici;

III. preces sancto Alberto vel sancto Thomæ vel sancto Vincentio Ferrer traditione nostra tributæ;

IV. formulæ benedictionum, precum et aliqua schemata pro peculiaribus adiunctis nostrarum Communitatum (electiones, etc.);

V. Litaniæ B.M.V. ab Ordine receptæ.

3. Elementa historica et critica explicant qua de causa aliquæ preces vel formulæ Sanctis quibusdam tributæ fuerint et quare hæc paternitas effecerit ut ipsæ in Libellum precum O.P. sint receptæ.

a) *Preces ante et post Missam* (727):

Omnibus cognita sunt devotio qua S. Dominicus Eucharistiam celebrare solitus erat et munus quod S. Thomas exercuit in conficiendo Officio Sollemnitatis Corporis Christi.

Primum sæculo XV, ac postea constanter sæculo XVI, orationes quæ sequuntur sancto Thomæ fuerunt tributæ, sed antiquiores sunt.

b) *Orationes super Evangelium* (743):

Hæ dominicanæ antiquitatis orationes, in Medio Ævo compositæ, iam exeunte sæculo XV sancto Alberto Magno tributæ sunt. A textis biblicis liturgiæ illius temporis suggestæ, exemplum afferunt orationis privatæ ad liturgiam ac textus sacros alte attingentis.

c) *Orationes ad beatam Mariam Virginem* (731) *et pro variis necessitatibus, sancto Thomæ tributæ* (744):

Devotio erga B. Mariam Virginem iam inde ab infantia S. Thomæ manifesta est, ut Guillelmus de Tocco testatur (c. 4). In operibus postea per totam vitam Thomæ elucescit (cf. *In Sententiarum libris, Summa Theologiæ*, etc.) et in visione B. Mariæ Virginis (Tocco, c. 33). Novissime ac pulcherrime hæc devotio manifesta erit in sermonibus *Super Ave Maria* anni 1273. Frater Thomas de Aquino studendo atque orando tempus complebat eique oratio intima vis studii erat nec aliquid ipse faciebat nisi prius oraret (*Proc. can.*, 45, 58).

Textus qui sequuntur credibiliter exprimunt quomodo Fratres Ordinis sæculo XVI sancti Thomæ exemplum sequi voluerint.

4. Sectio IV aliquarum orationum, e Collectario et e Processionario O.P., renovationi respondet. Hæc nova formularia, quæ facile aptari poterunt, ex Liturgia et Sacra Scriptura necnon ex moribus nostris hauriunt. Proponuntur vero Capitulis conventualibus ut monitiones quæ orationem communitatis foveant efficiantque ut Communitas ipsa respondere possit aliquibus exigentiis Constitutionum ad orationem vel ad celebrationes regulares pertinentibus.

I. ORATIONES CIRCA MYSTERIUM DEI ET ŒCONOMIAM SALUTIS

Divinæ misericordiæ viæ

O amor inæstimábilis,
o dulcis amor, ignis ætérne!
Tu es ignis qui semper ardes,
o alta et ætérna Trínitas!
Rectus es absque ulla tortuositáte,
simplex, absque duplicitáte
et sincérus absque ulla fictióne.

Novi quod misericórdia tibi própria est,
immo ad quidquid me considerándo convérto
nihil invénio absque misericórdia tua;
ideóque curro et clamo ante misericórdiam tuam
ut fácias misericórdiam cum hoc mundo.

I

O Véritas ætérna, quæ est doctrína tua?
Quod est iter per quod opórtet nos
accédere ad Patrem?
Néscio áliud vidére nisi quod tu, Verbum ætérnum,
pavimentásti reálibus virtútibus
ignis caritátis tuæ,
quas ædificásti pretióso sánguine tuo:
hæc est quidem via.

O ineffábilis et dulcíssima cáritas,
tu es Deus noster
qui solúmmodo vis sanctificatiónem nostram.
Hoc patet evidénter in sánguine Fílii tui,
qui propter nostram salútem cucúrrit
ad opprobriósam mortem sanctíssimæ Crucis.

II

O quam própria est tibi misericórdia,
Véritas ætérna!

Misericórdia tua creávit nos;
misericórdia tua redémit nos a morte ætérna.
Misericórdia ipsa regit nos
et détinet iustítiam tuam.
Ipsa misericórdia differt mortem nostram
tribuéndo tempus in quo possímus
ad te revérti et tibi reconciliári.

Ex misericórdia dimisísti cicatríces
in córpore Agni unigéniti tui,
ut cum ipsis coram maiestáte tua
pro nobis misericórdiam póstulet.

Misericórdia tua nóluit quod Agnus immaculátus
solúmmodo única gutta cruóris sui
redímeret genus humánum,
nec cum pœna solúmmodo uníus membri,
sed cum toto sánguine
et totíus córporis sui pœnis.
Et hoc ex virtúte Deitátis infinítæ
unítæ cum natúra nostra finíta:
humánitas passa fuit in Verbo,
Déitas vero sacrifícium acceptávit.

III

O Verbum ætérnum, Fílii Dei,
et unde hoc quod habuísti
perféctam contritiónem culpæ,
cum in te numquam fúerit
venénum peccáti?
Vídeo quod voluísti satisfácere
cum corporáli et mentáli pœna,
sicut corporáliter et mentáliter
homo commíserat culpam.
Peccávi Dómino, miserére mei.

[S. Catharina Sen., Oratio XIX:
ed. G. Cavallini, Roma 1978, p. 219]

AD CHRISTUM CRUCIFIXUM

Versus de Passione Domini Nostri Iesu Christi

S. Catharinæ de' Ricci († 1590) instar, communitates Ordinis meditationi Passionis Domini libenter se dederunt, cantando infrascriptos Versus, e Sacra Scriptura excerptos. Hic datur textus integer sed aliqui versus tantum in usu haberi possunt pro celebrationibus, Tempore Quadragesimæ, et etiam ut « preces » in Vesperis.

Post brevem monitionem (vel biblicam lectionem), ante imaginem D. N. Iesu Christi crucifixi, vel iconem, Cantor cantat, mediocri voce, infrascriptos Versus, intermittens versibus pausam meditationi faventem.

1. Amíci mei et próximi mei: *
advérsum me appropinquavérunt et stetérunt. Ps 37, 12
2. Tráditus sum et non egrediébar: *
óculi mei languérunt præ inópia. Ps 87, 9b-10a
3. Et factus est sudor meus: *
sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. Lc 22, 44b
4. Circumdedérunt me canes multi: *
concílium malignántium obsédit me. Ps 21, 17
5. Corpus meum dedi percutiéntibus: *
et genas meas velléntibus. Is 50, 6a
6. Fáciem meam non avérti ab increpántibus: *
et conspuéntibus in me. Is 50, 6b
7. Quóniam ego in flagélla parátus sum: *
et dolor meus in conspéctu meo semper. Ps 37, 10
8. Mílites plecténtes corónam de spinis: *
imposuérunt super caput meum. Io 19, 2
9. Fodérunt manus meas et pedes meos: *
et dinumeravérunt ómnia ossa mea. Ps 21, 17b.18a

10. Et dedérunt in escam meam fel: *
et in siti mea potavérunt me acéto. Ps 68, 22

11. Omnes vidéntes me derisérunt me: *
locúti sunt lábiis et movérunt caput. Ps 21, 8

12. Ipsi vero consideravérunt et
inspexérunt me: †
divisérunt sibi vestiménta mea, *
et super vestem meam misérunt
sortem. Ps 21, 19

13. In manus tuas comménd spíritum
meum: *
redemísti me, Dómine, Deus veritátis. Ps 30, 6

Hic chorus repetit: In manus tuas, etc.

14. Meménto famulórum tuórum,
Dómine: *
dum véneris in regnum tuum. Cf. Lc 23, 42

Altiore voce:

15. Iesus autem emíssa voce magna: *
trádidit spíritum. Mt 27, 50

Quo cantato longius protrahitur silentii tempus cum aptato gestu (prostratione vel genuflexione); et Cantor versus prosequitur, altiore voce, et singulos versus eadem pausa distinguens.

16. Misericórdias Dómini: *
in ætérnum cantábo. Ps 88, 2

17. Vere languóres nostros ipse tulit: *
et dolóres nostros ipse portávit. Is 53, 4

18. Ipse autem vulnerátus est propter
iniquitátes nostras: *
attrítus est propter scélera nostra. Is 53, 5

19. Omnes nos quasi oves errávimus: *
unusquísque in viam suam declinávit. Is 53, 6a

20. Et pósuit in eo Dóminus: *
iniquitátes ómnium nostrum. Is 53, 6b

21. Exsúrge, quare obdórmis, Dómine? *
exsúrge, et ne repéllas in finem. Ps 43, 24

Hic chorus repetit: Exsúrge, quare obdórmis, etc.

Et Cantor subsequitur: Exsúrge, quare obdórmis, etc.

22. Ecce Deus Salvátor meus: *
fiduciáliter agam et non timébo. Is 12, 2

23. Te ergo, quæsumus, tuis fámulis
súbveni: *
quos pretióso sánguine redemísti. Te Deum, 15

In fine dici possunt:

℣. Miserére nostri, Iesu benígne.
℟. Qui passus es cleménter pro nobis.

Oratio

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Iesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum. Qui vivit.

Post hanc orationem, fratres et sorores, secundum rerum adiuncta, imaginem Salvatoris venerari poterunt. Interea cantantur hymnus Vexílla Regis vel alii cantus congrui.

[Process. O.P. 325-328]

Oratio ad Christum crucifixum

Absórbeat, quæso, Dómine Iesu Christe,
mentem meam
igníta et mellíflua vis amóris tui
ab ómnibus, quæ sub cælo sunt,
ut amóre amóris tui móriar,
qui amóre amóris mei
dignátus es in ligno crucis mori.

PRO CULTU MYSTERII EUCHARISTICI

Rhythmus

Adóro te devóte, latens déitas,
quæ sub his figúris vere látitas:
tibi se cor meum totum súbicit,
quia, te contémplans, totum déficit.

Visus, gustus, tactus in te fállitur,
sed audítu solo tuto créditur:
credo quidquid dixit Dei Fílius,
nil hoc veritátis verbo vérius.

In cruce latébat sola déitas,
at hic latet simul et humánitas,
ambo tamen credens atque cónfitens,
peto quod petívit latro pœnitens.

Plagas, sicut Thomas, non intúeor,
Deum tamen meum te confíteor:
fac me tibi semper magis crédere,
in te spem habére, te dilígere.

O memoriále mortis Dómini,
Panis vivus, vitam præstans hómini,
præsta meæ menti de te vívere,
et te illi semper dulce sápere.

Pie pellicáne, Iesu Dómine,
me immúndum munda tuo Sánguine,
cuius una stilla salvum fácere
totum mundum quit ab omni scélere.

Iesum, quem velátum nunc aspício,
oro, fiat illud, quod tam sítio:
ut, te reveláta cernens fácie,
visu sim beátus tuæ glóriæ.

[S. Thomas Aq.: Process. O.P. 453]

TROPUS

Ave verum corpus, natum
de María Vírgine;
vere passum, immolátum
in cruce pro hómine.

Cuius latus perforátum
fluxit aqua et sánguine,
esto nobis prægustátum
mortis in exámine.

O Iesu dulcis!
O Iesu pie!
O Iesu, fili Maríæ!

[Process. O.P. 454]

Preces ante et post Communionem eucharisticam vel Missam

PRÆPARATIO

Oratio S. Thomæ de Aquino

Omnípotens sempitérne Deus,
ecce accédo ad sacraméntum unigéniti Fílii tui,
Dómini nostri Iesu Christi:
accédo tamquam infírmus ad médicum vitæ,
immúndus ad fontem misericórdiæ,
cæcus ad lumen claritátis ætérnæ,
pauper et egénus ad Dóminum cæli et terræ.

Rogo ergo imménsæ largitátis tuæ abundántiam
quátenus meam curáre dignéris infirmitátem,
laváre fœditátem, illumináre cæcitátem,
ditáre paupertátem, vestíre nuditátem,
ut panem Angelórum, Regem regum
et Dóminum dominántium,
tanta suscípiam reveréntia et humilitáte,
tanta contritióne et devotióne, tanta puritáte et fide,
tali propósito et intentióne,
sicut éxpedit salúti ánimæ meæ.

Da mihi, quæso, domínici Córporis et Sánguinis
non solum suscípere sacraméntum,
sed étiam rem et virtútem sacraménti.

O mitíssime Deus,
da mihi Corpus unigéniti Fílii tui,
Dómini nostri Iesu Christi,
quod traxit de Vírgine María, sic suscípere,
ut córpori suo mýstico mérear incorporári
et inter eius membra connumerári.

O amantíssime Pater,
concéde mihi diléctum Fílium tuum,
quem nunc velátum in via suscípere propóno,
reveláta tandem fácie perpétuo contemplári:
Qui tecum vivit et regnat
in sæcula sæculórum. Amen.

[Missale Romanum, 1975², p. 933]

Oratio B. Dominici Patris nostri

Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi,
fácere propóno et inténdo
quod fácere iussísti in die Cenæ,
et sancta mater Ecclésia uníta fácere inténdit.
Ne despéxeris ergo me,
sed propter infinítam misericórdiam tuam
dele iniquitátes meas,
et fac me tuum idóneum et fidélem minístrum,
et súscipe hoc sacrifícium de mánibus meis indígnis,
ad laudem et glóriam totíus Trinitátis
et Ecclésiæ tuæ sanctæ,
et ad profféctum mei et aliórum fidélium,
tam vivórum quam defunctórum,
pro quibus inténdo oráre,
vel qualitercúmque sim obligátus
generáliter et speciáliter,
in nómine sancto tuo.
Amen.

[BB I 13*]

GRATIARUM ACTIO

Oratio S. Thomæ de Aquino

Grátias tibi ago,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
qui me peccatórem, indígnum fámulum tuum,
nullis meis méritis,
sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ
satiáre dignátus es pretióso Córpore
et Sánguine Fílii tui,
Dómini nostri Iesu Christi.

Et precor, ut hæc sancta commúnio
non sit mihi reátus ad pœnam,
sed intercéssio salutáris ad véniam.
Sit mihi armatúra fídei, et scutum bonæ voluntátis.
Sit vitiórum meórum evacuátio,
concupiscéntiæ et libídinis exterminátio,
caritátis et patiéntiæ, humilitátis et obœdiéntiæ,
omniúmque virtútum augmentátio:
contra insídias inimicórum ómnium,
tam visibílium quam invisibílium, firma defénsio:
mótuum meórum, tam carnálium quam spiritálium,
perfécta quietátio:
in te uno ac vero Deo firma adhæsio,
atque finis mei felix consummátio.

Et precor te, ut ad illud ineffábile convívium
me peccatórem perdúcere dignéris,
ubi tu, cum Fílio tuo et Spíritu Sancto,
Sanctis tuis es lux vera, satíetas plena,
gáudium sempitérnum, iucúnditas consummáta
et felícitas perfécta.
Per Christum Dóminum nostrum.
Amen.

[Missale Romanum, 1975², p. 934]

AD SPIRITUM SANCTUM

Sequentia

Sancti Spíritus adsit nobis grátia,
quæ corda nostra sibi fáciat habitácula
expúlsis inde
cunctis vítiis spiritálibus.
Spíritus alme
illustrátor hóminum,
áridas nostræ
mentis purga ténebras.

Amátor sancte sensatórum
semper cogitátuum,
infúnde unctiónem tuam
clemens nostris sénsibus.
Tu purificátor
ómnium flagitiónum, Spíritus,
purífica nostri
óculum interióris hóminis:

Ut vidéri suprémus Génitor
possit a nobis,
mundi cordis quem soli cérnere
possunt óculi.
Prophétas tu inspirásti,
ut præcónia Christi præcinuíssent ínclita.
Apóstolos confortásti,
uti trophæum Christi per totum mundum véherent.

Quando máchinam per Verbum suum
fecit Deus cæli, terræ, márium,
Tu super aquas, fotúrus eas,
numen tuum expandísti, Spíritus.
Tu animábus vivificándis
aquas fecúndas,
Tu aspirándo, da spiritáles
esse hómines.

Tu divísum per linguas mundum et ritus
adunásti, Dómine;
idolátras ad cultum Dei révocas,
magistrórum óptime.
Ergo nos supplicántes tibi
exáudi propítius, Sancte Spíritus,
sine quo preces omnes cassæ credúntur
et indígnæ Dei áuribus.

Tu qui ómnium sæculórum sanctos
tui núminis docuísti instínctu
amplecténdo, Spíritus,
ipse hódie Apóstolos Christi
donans múnere insólito et cunctis
inaudíto sæculis,
hunc diem gloriósum fecísti. Allelúia.

[Ex Prototypo B. Humberti de Romans, f. 420 rb]

AD BEATAM MARIAM VIRGINEM

Oratio ab omni religioso dicenda

O beatíssima et dulcíssima Virgo María
Mater Dei omni pietáte pleníssima,
summi regis fília, dómina Angelórum,
mater ómnium credéntium:
in sinu pietátis tuæ comménd o,
hódie et ómnibus diébus vitæ meæ,
corpus meum et ánimam meam
omnésque actus meos:
cogitatiónes, voluntátes, desidéria,
locutiónes, operatiónes,
omnémque vitam finémque meum:
ut per tua suffrágia disponéntur in bonum,
secúndum voluntátem dilécti Fílii tui
Dómini nostri Iesu Christi;

ut sis mihi, o Dómina mea sanctíssima,
adiútrix et consolátrix
contra insídias et láqueos hostis antíqui
et ómnium inimicórum meórum.

I

A dilécto Fílio tuo Dómino nostro Iesu Christo
mihi impetráre dignéris grátiam
cum qua poténter resístere váleam
tentatiónibus mundi, carnis et dæmonis,
ac semper habére firmum propósitum
ultérius non peccándi,
sed in tuo et dilécti Fílii tui
servítio perseverándi.

Déprecor te étiam, Dómina mea sanctíssima,
ut ímpetres mihi veram obœdiéntiam
et veram cordis humilitátem,
ut veráciter me agnóscam
míserum ac frágilem peccatórem
et impoténtem
non solum ad faciéndum quodcúmque opus bonum
sed étiam ad resisténdum
contínuis impugnatiónibus
sine grátia et adiutório Creatóris mei
et sanctis précibus tuis.

Impetra mihi étiam, o Dómina mea dulcíssima,
perpétuam mentis et córporis castitátem:
ut puro corde et casto córpore
dilécto Fílio tuo et tibi
in tuo Ordine váleam deservíre.
Obtine mihi ab eo voluntáriam paupertátem,
cum patiéntia et mentis tranquillitáte,
ut labóres eiúsdem Ordinis váleam sustinére,
et pro salúte própria et proximórum
váleam laboráre.

II

Impetra mihi étiam, o dulcíssima Dómina,
caritátem veram,
qua sanctíssimum Fílium tuum
Dóminum nostrum Iesum Christum
toto corde díligam,
et te post ipsum super ómnia
et próximum in Deum et propter Deum:
sicque de bono eius gáudeam,
de malo dóleam nullúmque contémnam,
neque temerárie iúdicem,
neque in corde meo alícui me præpónam.

Fac étiam, o Regína cæli,
ut dulcíssimi Fílii tui timórem
páriter et amórem
semper in corde meo hábeam;
et de tantis benefíciis
mihi, non meis méritis,
sed ipsíus benignitáte collátis,
semper grátias agam;
ac de peccátis meis
puram et sincéram confessiónem
et veram pæniténtiam fáciam,
ut suam cónsequi mérear
misericórdiam et grátiam.

III

Oro étiam, ut in fine vitæ meæ,
cæli porta et peccatórum advocáta,
me indígnum servum tuum
a sancta fide cathólica
deviáre non permíttas,
sed tua magna pietáte et misericórdia
mihi succúrras,
et a malis spirítibus me deféndas:

ac benedícta Fílii tui gloriósa passióne,
étiam in tua própria intercessióne spe accépta,
véniam de peccátis meis ab eo mihi ímpetres,
atque me, in tua et eius dilectióne moriéntem,
in viam salvatiónis et salútis dírigas. Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, p. 243]

Virgo Dei Genetrix

Virgo Dei Génetrix, eia óbsecra,
adsis nobis míseris, eia óbsecra,
nos purgans a vítiis, eia óbsecra,
ut nobis sit méritis Deus tuis placábilis,
eia óbsecra.

Virgo, David fília, eia óbsecra,
Dei plena grátia, eia óbsecra,
nobis sis propítia, eia óbsecra,
ut per hæc sollémnia nova nobis sit grátia,
eia óbsecra.

Virgo, gemma vírginum, eia óbsecra,
reparátrix ómnium, eia óbsecra,
spes in te credéntium, eia óbsecra,
ut per tuum gáudium novum nobis sit remédium,
eia óbsecra.

Virgo, plena gáudio, eia óbsecra,
tua miserátio, eia óbsecra,
sit nobis remíssio, eia óbsecra,
ut tua deprecátio nova nobis sit redémptio,
eia óbsecra.

[pro cantu: cf. Barge, p. 67]

II. ORATIONES AD SANCTOS ORDINIS NOSTRI

AD S.P.N. DOMINICUM

Oratio beati Iordani de Saxonia

(ASOP 18, 1927-28, pp. 564-568)

Oratio Iordani de Saxonia ad S. Dominicum eiusdem generis est ac orationes ad S. Benedictum a monachis compositæ sæculis XI et XII. Ex magna admiratione ac singulari devotione oritur quam *Libellus* ostendit in animo Iordani erga S. P. Dominicum. Cuius animi effigies, secundum dicendi genus quod in *Te Deum* testatur, in textu hic infra transcripto amabiliter expressa est. In novissimis lineis, Iordano ad precem suam fratres omnes consociante, oratio ex « ego » in « nos » evolvitur.

Sacérdos Dei sanctíssime,
conféssor alme et prædicátor egrégie,
beatíssime Pater Domínice,
vir elécte a Dómino,
et super omnes in diébus tuis Deo placens,
atque dilécte vita, doctrína et miráculis gloriósa,
quem apud Dóminum Deum nostrum
advocátum præcípuum
habére gaudémus:

ad te, quem inter sanctos et eléctos Dei
devotióne multa véneror,
de profúndis clamo in hac valle miséria.

I

Adésto, quæso, piíssime,
adésto clementíssime,
peccatríci ánimæ meæ,
omni virtúte et grátia destitútæ,
multísque miséria
ac vitiórum et peccatórum vínculis involútæ.

Adésto míseræ et infelíci,
o beáta et benedícta ánima viri Dei,
quam benedictióne tanta ditávit grátia divína,
ut non solum te ad beátam réquiem,
ad tranquíllam sedem,
ad cæléstem glóriam sublimáret,
sed et álios innumerábiles
ad eándem beatitúdinem
tua laudábilis vita tráheret,
dulcis admonítio incitáret,
suávis doctrína instrúeret,
et fervens prædicátio provocáret.

Adésto ígitur, benedícte Domínice,
et inclína aurem pietátis tuæ
ad votum devótæ supplicatiónis meæ.
Ad te confúgiens,
pauper et mendíca ánima mea
tibi se prostérnit.
Quantum húmili mente potest,
tibi sese conátur lánguida præsentáre,
tibi, quantum moribúnda valet, nítitur supplicáre,
ut poténtibus méritis et piis précibus tuis
eam dignéris vivificáre atque sanáre
et benedictiónis tuæ dono copióse replére.

Scio namque, scio bene,
et certus sum quia potes,
confído ex magna caritáte tua, quia voles.
Spero útique ex nímia familiaritáte tua
dilectíssimi tui et elécti ex míllibus Iesu Christi
quia tibi non negábit,
sed apud eúndem Dóminum et amícum tuum
quidquid volúeris obtinébis.
Quid dilécto suo negáre póterit tam diléctus!

II

Tu in ætáte adhuc floréntе
virginitátem tuam
specióso vírginum Sponso dedicásti.

Tu candidátam fonte sancto
et ditátam Spíritu Sancto ánimam tuam
amatóri vírginum castíssimo sponsam dedísti.
Tu corpus tuum hóstiam vivéntem,
sanctam, Deo placéntem tribuísti.
Tu institutióne divína formátus
teípsum totum Deo tradidísti.

Tu iam pridem reguláribus armis instrúctus
ascensiónes in corde tuo disposuísti.
Tu de virtúte crescens in virtútem,
de bono semper ad mélius profecísti.
Tu viam dénique perfectiónis aggréssus,
derelíctis ómnibus,
nudus nudum Christum sequéndo,
thesaurizáre magis in cæléstibus elegísti.
Tu veheméntius temetípsum ábnegans
atque viríliter crucem tuam báiulans,
Redemptóris nostri et ducis veri
sequi vestígia studuísti.

Tu zelo Dei atque supérno igne succénsus
propter nímiam caritátem tuam,
et veheménti spíritus fervóre
et paupertátis voto perpétuæ
apostólicæ religióni et evangélicæ prædicatióni
temetípsum totáliter impendísti,
et ad hoc opus alto iam dudum providénte consílio
Fratrum Prædicatórum Ordinem instituísti.

Tu per orbem terrárum
gloriósis méritis et exémplis tuis
sanctam Ecclésiam illumínasti.
Tu derelícto carnis ergástulo
ad supérnam assúmptus cúriam ascendísti.
Tu decorátus stola iam prima
advocátus noster ad Dóminum accessísti.

Tu ígitur, quæso,
mihi et ómnibus caris nostris súbveni,

et univérso clero, et pópulo,
atque devóto femíneo séxui,
qui salútem géneris humáni
tanto zelo desiderásti.

III

Tu post beátam Regínam vírginum
spes mea dulcis atque solátium,
tu singuláre mihi refúgium,
inténde propítius in meum auxílium.
Ad te unum, ad te confúgio,
ad te solum audácter vénio,
ad tuos pedes me prostérno.
Te patrónum supplex ínvoco,
te implóro et tibi devóte me recomméndo.
Tu suscípere et custodíre,
tu protégere et adiuváre me dignáre propítius,
ut intercedénte grátia tua
desiderátam Dei grátiam recuperáre,
misericórdiam eius inveníre,
et præséntis atque futúræ vitæ
remédia ad salútem mérear impetráre.

Sic, sic, magíster óptime, sic, quæso, fiat,
dux ínclite, pater alme, beáte Domínice.
Sic mihi, precor, adsis in ómnibus.
Et esto nobis verus Domínicus,
Dómini gregis custos assíduus.
Custódi semper nos et gubérna,
et tibi commíssos nos eménda,
et emendátos nos recomménda.
Cum gáudio post hoc exsílium nos repræsénta
benedícto Dómino et dilécto tuo
altíssimo Dei Fílio
Iesu Christo, Salvatóri nostro,
cui honor, laus et glória
cum gloriósa Vírgine María
et univérsa cívium supernórum cúria
in sempitérna sæculórum sæcula. Amen.

Preces in honorem S. Patris Dominici

I

1 Glorióse sancte Pater Domínice, qui pæniténtiæ ac castitátis exémplar exstitísti, ínnocens corpus tuum maceratiónibus, ieiúniis et vigíliis castigándo, grátiam nobis óbtine pæniténtiæ virtútem toto mentis inténtu exercéndi atque cordis integritátem in novitáte sensus nostri sancte custodiéndi.

[Pater, Ave, Glória.]

2 Magne Pater sancte Domínice, qui divíni amóris flammis accénsus in oratióne atque íntima cum Deo unióne delícias tuas invenísti, ímpetra nobis fidelitátem in oratiónibus quotídie fundéndis, fervéntem erga Dóminum caritátem atque grátiam mélius in dies adimpléndi eiúsdem divína præcépta.

[Pater, Ave, Glória.]

3 Glorióse sancte Pater Domínice, qui animárum salútis zelo replétus evangélicum verbum assídue prædicásti Fratrúmque Prædicatórum Ordinem ad veræ fídei defensiónem et peccatórum conversiónem procurándam condidísti, Deum pro nobis exóra, ut grátiam nobis impertiátur sincére diligéndi fratres nostros eósque oratiónibus ac bonis opéribus adiuvándi, ut sanctificatiónem æternámque salútem consequántur.

[Pater, Ave, Glória.]

℣. Ora pro nobis, beáte Pater Domínice.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Domínici confessóris tui, Patris nostri, patrocínio sublevémur. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

II

1 Dómine Iesu Christe, qui pretiosíssimo Sánguine tuo Ecclésiam tuam formásti et Apostolórum prædicatióne constituísti, propagásti et per totum mundum extendísti, quique post illos étiam sanctum Patrem Domínicum misísti ad eam formósam dénuo reddéndam, illustrándam et defendéndam meritórum et doctrínæ ipsíus splendóre; exaudíre propítius dignéris vota, quæ vir ille apostólicus exhibére tibi non cessat, ut illa temporálibus non cáreat subsídiis et spirituálibus augeátur increméntis.

[Pater, Ave, Glória.]

2 Clementíssime Redémptor, qui sanctum Domínicum mundo donásti, ut tibi inservíret tamquam coadiútor in magno salútis animárum ministério, quarum revéra tam multas grátia tua suóque zelo lucrátus est Ecclésiæ; mitte, quæso, Deus meus, novos semper operários in víneam tuam, ut ad glóriam tuam labórent fructúsque vitæ ætérnæ cólligant.

[Pater, Ave, Glória.]

3 O bone Iesu, qui tibi complacuísti in sancto Domínico, quem quavis nocte ante altáre tuum vidísti prostrátum ad adorándum vivíssima fide te in sanctíssimæ Eucharístiæ Sacraménto abscónditum et ad gémitus, preces et pæniténtias ingeminándas pro Ecclésia tua; prótege semper ipsam tuam Sponsam per intercessiónem sancti Domínici.

[Pater, Ave, Glória.]

Versus et Oratio ut supra, 739.

III

Præter Divinum Officium, variæ celebrationes liturgicæ occasionem præstant memoriam faciendi S. P. Dominici. Sequentes orationes vel similes in usu haberi possunt: post antiphonam ad S. Dominicum quæ sequitur Salve Regína, in celebrationibus in honorem S. P. Dominici [anniversariis, speciali patrocinio, peregrinationibus], in vigiliis circa corpus defuncti fratris vel sororis.

1 Deus véniæ et fidelitátis, beátum Domínicum ad imáginem Fílii tui « mitis et húmilis corde » effecísti. Præsta, quæsumus, ut exémplo et précibus eius, « humilitátem servémus et paupertátem voluntáriam gaudéntes possideámus », in Christo Iesu Dómino nostro.

2 Dómine Iesu, B. Domínico tribuísti ut crucis tuæ mystérium die ac nocte contemplarétur et de ómnibus in libro caritátis docerétur. Fac ut nos, páriter in eádem luce vivéntes et te Salvatórem nostrum recoléntes, læti procedámus.

3 Dómine Deus noster, sancto Patri Domínico dedísti, ut assídua prece « veram impetráret caritátem, curándæ et procurándæ salúti hóminum efficácem », da nobis ut eádem caritátis sollicitúdine impleámur.

4 Dómine Deus Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui nos elegísti et prædestinásti in Fílio tuo, ut essémus in laudem glóriæ tuæ in domo servi tui Domínici, pro collátis donis grátias ágimus tibi, et te deprecámur ut omnes vivos et defúnctos, in domo tua, sanctos et immaculátos, coram te, collocáre dignéris.

5 Pater imménsæ maiestátis, exáudi fílios tuos glóriam tuam celebrántes; creásti nos ad te et fecísti nos pópulum tuum in domo Domínici. Fac nos in splendóre vultus tui prógredi et in lucem tuam omnes fratres defúnctos áccipe.

6 Deus amóris et fidelitátis, Verbum tuum apud nos misísti ut sit pro nobis via. Præsta ut per viam eius, sémitas servi tui Domínici sectántes, in gáudio « procedámus et cogitémus de Salvatóre nostro ».

7 Dómine Deus noster, meménto Domínici, martýrium desiderántis desidério magno. Da fortitúdinem frátribus nostris, qui pro nómine tuo et amóre Iesu Christi propter iustítiam persecutiónem patiúntur.

8 Deus amóris et fidelitátis, Domínicum et Ordinem eius beátæ Maríæ Vírginis patrocínio commíttere voluísti. Præsta quæsumus, ut sicut in præsénti vita dulcédo et spes nostra ipsa éxstitit, ita Fílium tuum, último die, misericórditer osténdat.

AD QUOSDAM SANCTOS O.P.

Ad S. Thomam Aquinatem ante studium

Doctor angélice sancte Thoma, theologórum princeps et philosophórum norma, præclárum christiáni orbis decus et Ecclésiæ lumen, scholárum ómnium catholicárum cæléstis patróne: qui sapiéntiam sine fictióne didicísti et sine invídia commúnicas, ipsam Sapiéntiam Fílium Dei deprecáre pro nobis, ut, veniénte in nos Spíritu sapiéntiæ, ea quæ docuísti intelléctu conspiciámus, et quæ egísti imitatióne compleámus; doctrínæ et virtútis, quibus in terris solis instar semper eluxísti, partícipes efficiámur; ac tandem eárum suavíssimis frúctibus perénniter tecum delectémur in cælis, divínam sapiéntiam collaudántes per infiníta sæcula sæculórum. Amen.

Ad S. Catharinam Senensem

Ant. O Virgo, máxima glória præstans, cuius sacra stata orbis univérsus célebrat, quam Angeli cum láudibus éfferunt, ac céteri supérni cives admirántur: age apud Deum, quo mentes nostræ semper divínis præcéptis obtémperent, nosque virtútibus aliísque bonis áugeat.

℣. Ora pro nobis, beáta Catharína.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio

Deus, qui beátæ Catharínæ, virginitátis et patiéntiæ speciáli privilégio decorátæ, malignántium spirítuum certámina víncere, et in amóre tui nóminis inconcússe permanére tribuísti, concéde quæsumus ut eius imitatióne, calcáta mundi nequítia, et ómnium hóstium superátis insídiis, ad tuam secúre glóriam transeámus. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

III. ORATIONES VARIÆ ET SANCTIS NOSTRIS TRIBUTÆ

ORATIONES SUPER EVANGELIUM

Oratio prædicatoris

[Cf. Lc 5, 1-10; Mt 4, 18-22]

Dómine Iesu Christe, fac me per aviditátem irrúere ad audiéndum verbum Dei, irruéntes non expéllere, stare secus stagnum non in stagno inánis glóriæ, navículam obœdiéntiæ ascéndere, per humilitátem descéndere, rétia prædicatiónis desidérii et bonæ operatiónis ab omni avarítia, vana glória, et adulatióne laváre, per concórdiam sententiárum refícere, per manifestatiónem exsiccáre, per cautélam non per desídiam plicáre, per scissiónem non rúmpere, navem religiónis a terrénis redúcere, in ea quiescéndo sedére.

[Fac me] álios per exémplum docére, contemplatiónem et actiónem alternáre, in profúndum contemplatiónis prædicatiónis religiónis dúcere, in verbo tuæ inspiratiónis, non in nocte culpæ vel ignorántiæ rétia in captúram vivórum óperum laxáre, in aquis tribulatiónum copiósam multitúdinem internárum visitatiónum et consolatiónum conclúdere: ita ut ánima per admiratiónem extendátur et subsídia proximórum et inferiórum requírat.

Ambas naves patiéntiæ et obœdiéntiæ adímpleant, per humilitátem ad génua Iesu prócidant, ut ex hoc subdúctis ad terram vivéntium návibus, præmia cápiant ætérna. Amen.

[S. Albertus Magnus: ed Borgnet, t. 13, p. 379]

In undecima hora vitæ prædicatoris

[Cf. Mt 20, 1-16]

Dómine Iesu Christe, summe paterfamílias qui me primo mane in víneam tuam vocásti, dum me a iuventúte mea ad laborándum in religióne pro denário vitæ

ætérnæ conduxísti, cum sero factum fúerit, in iudício, et reddes operáriis mercédem, quid dabis mihi, qui non solum in foro sæculi, sed in ipsa vínea religiónis tota die vitæ meæ otiósus steti? Dómine qui non pónderas ópera nostra ad pondus públicum, sed ad pondus sanctuárii, fac me saltem in undécima hora resipíscere, et quia tu bonus es, óculus meus omníno nequam non inveniátur. Amen.

[S. Albertus Magnus: ed. Borgnet, t. 13, p. 353]

Doce nos intellegere

[Cf. Mt 22, 15-22; Mc 12, 13-17; Lc 20, 20-26]

Dómine Iesu Christe, doce nos astútias seductórum ex verbis eórum intellégere, detégere, et cavére ab eis qui nos ex verbis nostris cápere volunt, dirécte non respondére, sed ex eórum verbis responsiónem eos capiéntem elícere, verbis quæ a multis dicúntur: ut propter hoc gloriósi videántur; vel ut eis placeámus non assentíre, sed in ómnibus ratiónem sequi, occasióne falsæ pietátis vel amplificándi cultum divínum nihil in præiudícium alteríus dícere nisi quod iustum crédimus.

Da nobis naturáli et gratuíta superscriptióne insigníri, título tuæ triumphális Passiónis, tuæ mortis memoriáli, et tuæ domus præconiáli: ut práctici et theórici intelléctus vitæ corporális et spirituális vices prudénter alternándo, reddámus quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. Amen.

[S. Albertus Magnus: ed. Borgnet, t. 13, p. 400]

ORATIONES PRO VARIIS NECESSITATIBUS

Ad veniam pro peccatis impetrandam

Ad te fontem misericórdiæ, Deus,
accédo peccátor.
Ergo dignéris me laváre immúndum.

O sol iustítiæ, illúmina cæcum;
o ætérne médice, cura vulnerátum;
o Rex regum, índue spoliátum.
O mediátor Dei et hóminum, reconcília reum;
o pastor bone, reduc errántem.

Da, Deus, misericórdiam mísero,
indulgéntiam criminóso,
vitam mórtuo, iustificatiónem ímpio,
unctiónem grátiæ induráto.

O clementíssime, révoca fugiéntem,
trahe reniténtem, érige cadéntem,
tene stantem, conduc ambulántem.
Ne obliviscáris te obliviscéntem,
ne déseras te deseréntem,
ne despícias peccántem.
Ego enim peccándo
te, Deum meum, offéndi,
próximum læsi, mihi non pepérci.

Peccávi, Deus meus:
fragilitáte, contra te Patrem omnipoténtem,
ignorántia, contra te Fílium sapiéntem,
malítia, contra te Spíritum Sanctum;
et his offéndi te,
Trinitátem excelléntem.

Heu mihi mísero!
Quot et quanta commísi, quália perpetrávi!
Derelíqui te, Dómine!
De bonitáte tua cónqueror,
amóre malo accedénte, timóre malo humiliánte;

quibus pótius te amíttere quam amátis carére,
pótius te offéndere,
quam timénda non incúrrere vólui.

O Deus meus,
quantum nócui verbo et ópere,
peccándo laténter, paténter et contumáciter.
Quare pro mea fragilitáte súpplico,
ut non atténdas meam iniquitátem
sed tuam imménsam bonitátem;
et remíttas cleménter quæ feci,
donans dolórem pro prætéritis,
et cautélam efficácem de futúris. Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, p. 241]

Ad vitam sapienter instituendam

Concéde mihi, miséricors Deus,
quæ tibi sunt plácita ardénter concupíscere,
prudénter investigáre,
veráciter agnóscere et perfécte adimplére
ad laudem et glóriam nóminis tui.

Ordina, Deus meus, statum meum:
et quod a me requíris ut fáciam tríbue ut sciam,
et da éxsequi sicut opórtet
et éxpedit ánimæ meæ.

I

Da mihi, Dómine Deus meus,
inter próspera et advérsa non defícere,
ut in illis non extóllar
et in istis non déprimar.
De nullo gáudeam vel dóleam
nisi quod ducat ad te
vel abdúcat a te.
Nulli placére áppetam
vel displicére tímeam nisi tibi.
Viléscant mihi, Dómine, ómnia transitória
et cara mihi sint ómnia tua.

Tædeat me gáudii, quod est sine te,
nec áliud cúpiam, quod est extra te.
Deléctet me, Dómine, labor qui est pro te,
et tædiósa sit mihi omnis quies,
quæ est sine te.
Frequénter da mihi, Dómine, cor ad te dirígere,
et in defectióne mea
cum emendatiónis propósito constánter dolére.

II

Fac me, Dómine Deus meus,
obœdiéntem sine contradictióne,
páuperem sine deiectióne,
castum sine corruptióne,
patiéntem sine murmuratióne;
húmilem sine fictióne,
hílarem sine dissolutióne,
tristem sine deiectióne
matúrum sine gravitáte;
ágilem sine levitáte,
timéntem te sine desperatióne;
verácem sine duplicitáte,
operántem bona sine præsumptióne;
próximum corrípere sine elatióne
ipsum ædificáre, verbo et exémplo,
sine simulatióne.

Da mihi, Dómine Deus, cor pérvigil,
quod nulla abdúcat a te curiósa cogitátio
da nóbile, quod nulla deórsum trahat
indígna affféctio;
da rectum, quod nulla seórsum oblíquet
sinístra inténtio;
da firmum, quod nulla frangat
tribulátio;
da líberum, quod nulla sibi víndicet
violénta affféctio.

III

Largíre mihi, Dómine Deus meus,
intelléctum te cognoscéntem,
diligéntiam te quæréntem,
sapiéntiam te inveniéntem;
conversatiónem tibi placéntem,
perseveránti am fidénter te exspectántem
et fidúciam te fináliter amplecténtem.
Da tuis pœnis hic afflígi per pæniténtiam,
tuis benefíciis in via uti per grátiam,
tuis gáudiis in pátria pérfrui per glóriam.
Qui vivis et regnas, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, p. 242]

Ante lectionem, scriptionem vel prædicationem

Creátor ineffábilis,
qui, de thesáuris sapiéntiæ tuæ,
tres Angelórum hierarchías designásti,
et eas super cælum empýreum
miro órdine collocásti,
atque univérsi partes
elegantíssime disposuísti:

Tu, inquam, qui verus fons lúminis
et sapiéntiæ díceris
atque superéminens princípium,
infúndere dignéris
super intelléctus mei ténebras
tuæ rádium claritátis,
dúplices, in quibus natus sum,
a me rémovens ténebras:
peccátum scílicet et ignorántiam.

Tu, qui linguas infántium facis disértas,
linguam meam erúdias,
atque in lábiis meis
grátiam tuæ benedictiónis infúndas.
Da mihi intellegéndi acúmen,
retinéndi capacitátem,
addiscéndi modum et facilitátem,
interpretándi subtilitátem,
loquéndi grátiam copiósam.

Ingréssum ínstruas,
progréssum dírigas,
egréssum cómpleas:
Tu, qui es verus Deus et homo,
qui vivis et regnas
in sæcula sæculórum. Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, p. 243]

Pro obtinendis virtutibus

O Deus omnípotens, ómnia sciens,
princípio et fine carens,
qui es virtútum donátor et conservátor:
dignéris me stabilíre sólido fídei fundaménto,
et tuéri inexpugnábili spei clýpeo,
atque decoráre nuptiáli caritátis vestiménto.

Da mihi per iustítiam tibi subésse,
per prudéntiam insídias diáboli cavére,
per temperántiam médium tenére,
per fortitúdinem advérsa patiénter toleráre.

Da bonum, quod non hábeo,
ab habéntibus humíliter quærere;
malum culpæ, quod feci,
veráciter accusáre;
malum pœnæ, quod sustíneo,
æquanímiter ferre;
bono próximi non invidére,
de bonis tuis semper grátias ágere. [...]

Planta in me, Dómine, virtútes,
ut circa divína sim devótus,
circa humána offícia próvidus,
circa usum próprii córporis nulli onerósus.
Da mihi, Dómine, fervéntem contritiónem,
puram confessiónem,
perféctam satisfactiónem.

Ordináre me dignéris intérius per bonam vitam,
ut fáciam quod déceat,
et quod mihi proficiat ad méritum
et réliquis próximis ad exémplum.

Da mihi ut numquam
ea quæ fiunt insipiénter áppetam,
et quæ fiunt accidióse fastídiam,
ne contíngat inchoánda ante tempus appétere,
aut inchoáta
ante consummatiónem deserére. Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, p. 241]

Pro impetranda contemplatione

Te Deum totíus consolatiónis ínvoco,
qui nihil in nobis
præter tua dona cernis,
ut mihi, post huius vitæ términum,
donáre dignéris
cognitiónem primæ veritátis,
fruitiónem divínæ maiestátis.

Da étiam córpori meo, largíssime remunerátor,
claritátis pulchritúdinem,
agilitátis promptitúdinem,
subtilitátis aptitúdinem,
impassibilitátis fortitúdinem.
Appónas istis affluéntiam divitiárum,
influéntiam deliciárum,
confluéntiam bonórum,

ut gaudére possim:
supra me de tua consolatióne,
infra de loci amœnitáte,
intra de córporis et ánimæ glorificatióne,
iuxta de Angelórum et hóminum
delectábili associatióne.

Consequátur apud te, clementíssime Pater, in eo
rationális sapiéntiæ illustratiónem,
concupiscíbilis desiderabílium adoptiónem,
irascíbilis triúmphi laudem:
ubi est, apud te, evásio periculórum,
distínctio mansiónum, concórdia voluntátum;
ubi est amœnitas vernális, lucíditas æstivális,
ubértas autumnális et réquies hiemális.

Da, Dómine Deus, vitam sine morte,
gáudium sine dolóre:
ubi est summa libértas, líbera secúritas,
secúra tranquíllitas, iucúnda felícitas,
felix ætérnitas, ætérna beatitúdo,
veritátis vísio atque laudátio,
Deus! Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, pp. 241-242]

Pro gratiarum actione

Laudo, glorífico, benedíco te, Deus meus,
propter imménsa indígno mihi
præstita benefícia.

Laudo cleméntiam tuam me diu exspectántem,
dulcédinem tuam ulcísci simulántem;
pietátem tuam vocántem, benignitátem suscipiéntem,
misericórdiam peccáta remitténtem;
bonitátem supra mérita impendéntem,
patiéntiam iniúriæ non recordántem;
humilitátem consolántem, patiéntiam protegéntem,
æternitátem conservántem,
veritátem remunerántem.

Quid dicam, Deus meus,
de tua ineffábili largitáte?
Tu enim vocas fugiéntem, súscipis reverténtem,
ádiuvas titubántem, lætíficas desperántem;
stímulas neglegéntem, armas pugnántem,
corónas triumphántem.
Peccatórem post pæniténtiam non spernis,
et iniúriæ non memíneris.

A multis líberas períc̣ulis,
ad pœniténtiam cor emóllis.
Terres supplíciis, állicis promíssis,
castígas flagéllis.

Angélico ministério custódis,
minístras temporália, resérvas nobis ætérna.
Hortáris dignitáte creatiónis,
invítas cleméntia redemptiónis,
promíttis præmia remuneratiónis.

Pro quibus ómnibus
laudes referre non suffício.
Maiestáti tuæ grátias ago
propter imménsæ bonitátis tuæ abundántiam,
ut semper in me grátiam multíplices,
et multiplicátam consérves,
et conservátam remúneres. Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, p. 242]

Pro impetranda fidelitate

Omnípotens sempitérne Deus, qui renuntiántibus sæculo mansiónes paras in cælo, imménsam cleméntiam tuam humíliter implorámus, ut intercedénte beáta Vírgine Fílii tui Genetríce, et beáto Domínico confessóre tuo, Prædicatórum Ordinis patrónis, vota quæ profiténdo fécimus, fidéliter implére, et ad ea, quæ perseverántibus in te dignátus es promíttere, valeámus salúbriter pervenire. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

ADHORTATIO ET ORATIO DE SEPTIFORMI AFFECTU AD IESUM CRUCIFIXUM

Oportet quod convertas te totum et reclines super bracchia Iesu Christi pauperrimi et vilissimi et improperati, despecti et mortui propter te; usquequo tu sis mortuus in omnibus sensualitatibus tuis humanis et Iesus Christus crucifixus vivat in corde tuo et in tua anima; et totus transformatus et transfiguratus cordialiter sit in te, ut numquam videas nec audias nisi ipsum solum stantem in cruce propter te, ad exemplum Virginis Mariæ; et sis mortuus in mundo et vivas in fide exercens te in sanctis orationibus ad obtinenda dona virtutum et gratiam Dei.

Sed debes præcipue septiformi affectu exerceri ad Dominum, scilicet: amore ardentissimo; timore summo; honore debito; zelo constantissimo; et illis debet adiungi gratiarum actio et vox laudis; omnimodæ obœdientiæ promptitudo; et suavitatis divinæ pro posse degustatio.

Et ideo continue debes ista septem devote petere a Deo, utpote dicendo:

Bone Iesu,
fac ut totis medúllis amem te,
summe tímeam, revérear
et pro omni honóre tuo
fortíssime zelósus sim,
ita quod omne tuum oppróbrium,
tamquam tuæ glóriæ zelótypus
vehementíssime exhorréscam,
et potíssime,
si in me, aut a me, vel pro me,
facta tibi sint oppróbria ulla,
Deus meus!

Da étiam ut te Dóminum
tamquam tua creatúra
humíliter adórem et recognóscam,

et de ómnibus benefíciis a te mihi impénsis
grátias semper agam;
et hoc cum summa gratitúdine cordis.

Da étiam ut in ómnibus
semper te benedícam,
laudem et magníficem:
et hoc cum summo iúbilo
et tripúdio cordis.

Et tibi in ómnibus obtémperans et obœdiens,
semper refíciar
dulcíssima tua ut ineffábili suavitáte,
cum sanctis tuis ángelis et apóstolis
tuæ mensæ assístens,
licet omníno indígnus et ingrátus.

Qui cum Patre et Spíritu Sancto
vivis et regnas, Deus,
benedíctus in sæcula. Amen.

[S. Vincentius Ferrer, Tract. De Vita spirituali: ed. Garganta - Forcada, Madrid 1956, p. 533]

Salutatio S. Thomæ ad Crucem

Crux mihi certa salus.
Crux est quam semper adóro.
Crux Dómini mecum.
Crux mihi refúgium.

BENEDICTIO INFIRMORUM IN NONNULLIS PROVINCIIS O.P. ADHIBITA

1. Sacerdos, benigne excipiens infirmos, prius verbis fidei et humanitatis sensibus corda eorum apostolica sublevet caritate eosque de valore impetrativo huius invocationis edoceat, animum eorum ad fiduciam in Deum excitet atque ad divinam eius voluntatem amplectendam disponat.

Si morbus periculosus sit, quamquam non proxime, sacerdos ad Unctionem infirmorum suscipiendam hortetur.

Post autem verba salutationis et exhortationis, manibus extensis vel, ubi est consuetudo, manus imponens super caput infirmi, sacerdos sequentem dicat orationem beato Vincentio Ferrer tributam, qua sanctus Ludovicus Bertrán utebatur:

« Super ægros manus impónent
et bene habébunt ».
Iesus Maríæ Fílius, mundi salus et Dóminus,
qui te traxit ad fidem cathólicam,
te in ea consérvet, et beátum (beátam) fáciat,
et méritis beátæ Vírginis Maríæ,
et beáti Domínici Patris nostri,
et beáti Vincéntii, et ómnium sanctórum,
te ab hac infirmitáte liberáre dignétur.

2. Deinde sacerdos addit:

Adapériat Dóminus corda nostra illáque recte dispónat per audítum Verbi eius.

Tunc ab uno ex astantibus vel ab ipso sacerdote legitur textus Evangelii secundum Ioannem (Io 1, 1-14) vel secundum Marcum (Mc 16, 15-20). Vel alius legatur textus aptus, v.g. ex iis qui in Ordine Unctionis infirmorum nn. 153 sqq. proponuntur, præsertim: Is 61, 1-3a; Rom 8, 14-17; Mt 5, 1-12a; Mt 11, 25-30; Lc 12, 35-44a.

Huiusce lectionis, pro opportunitate, brevis explicatio fieri potest.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Ioánnem.
℟. Glória tibi. Dómine.

3. Deinde sacerdos his vel similibus verbis orationem dominicam introducit:

Deum Patrem omnipoténtem
nunc fidéliter invocémus
qui ab humánis corpóribus
omnem languórem et omnem infirmitátem
præcépti sui potestáte depéllit,
eiúsque bonitátem exaltémus verbis ipsíus Christi:

et omnes simul pergunt:

Pater noster, etc.

4. Ritus benedictione sacerdotis concluditur:

Dóminus Iesus Christus apud te (vos) sit,
ut te deféndat;
intra te sit, ut te consérvet.
Ante te sit, ut te dedúcat;
post te sit, ut te custódiat.
Super te sit, ut te benedícat:
Qui cum Patre et Spíritu Sancto in unitáte perfécta
vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super te (vos), et máneat semper.
℟. Amen.

Vel aliæ formulæ benedictionis.

Deinde aspergit infirmum vel infirmos aqua benedicta, et sic illos dimittit in pace.

IV. ORATIONES PRO PECULIARIBUS ADIUNCTIS

PRO CAPITULO GENERALI VEL PROVINCIALI ET EUNTIBUS AD ILLUD

1. Per hebdomadas quæ Capitulum generale præcedunt necnon perdurante Capitulo, iuxta indicationes peculiares, Fratres, Moniales et Sorores Dominum pro felici exitu huius conventus deprecentur.

Quædam infra invenientur, quæ adaptationibus opportunis etiam pro Capitulis provincialibus vel conventualibus, pro Cœtibus generalibus Fœderationum Monialium vel Capitulis Congregationum adhiberi possunt.

2. Communitates elementa hic proposita seligere possunt, æquilibrium curantes inter celebrationes peculiares et commemorationes cum liturgia vel cum exercitiis communitariis coniunctas, ut tamen oratio pro Capitulo cotidie renovetur.

3. Inter has diversas possibilitates, hæc notentur:

— in Missa conventuali: Missæ pro variis necessitatibus (MR, pp. 785-854); Missæ votivæ (MR, pp. 857-877); orationes fidelium; formulæ propriæ in Prece Eucharistica;

— in Officio Divino ut infra p. 757;

— in celebratione autonoma, in coniunctione cum Liturgia Horarum vel etiam nonnumquam cum Missa;

— in adaptatione recitationis communis S. Rosarii vel alius pii exercitii.

Perdurante vel exeunte Capitulo, Communitates invitantur ut gratiarum celebrent actionem.

A) Specimina precum ad Laudes vel Vesperas addenda

In fine precum ad Laudes et ante commemorationem defunctorum ad Vesperas hæ intentiones adiungi possunt.

DOMINICA

Ad Laudes

Ut abundáre fáciat Dóminus caritátem nostram in ínvicem et in omnes, ad confirmánda corda nostra in sanctitáte, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

Ad Vesperas

Ut nos omnes, qui apostólicam vivéndi formam sumus proféssi, in spíritu sancti Domínici et regulári observántia, sua grátia confírmet, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

FERIA II

Ad Laudes

Ut fratres nostros capituláres dignétur Deus cleménter assístere et in illis implére opus fídei in virtúte omnémque voluntátem bonitátis et audáciæ, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

Ad Vesperas

Ut normæ et indicatiónes circa fratres ita a Capituláribus decernántur ut Christum imitántes vitam suam religiósam compónere addíscant cum apostólici múneris exigéntiis, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

FERIA III

Ad Laudes

Ut idípsum sápere et implére discámus in Christo Iesu, et non sint in nobis schísmata, simus autem perfécti in unitáte, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

Ad Vesperas

Ut nemo se sedúcat, sed si quis vidétur inter nos sápiens esse in hoc sæculo, stultus fiat in Christo, ut sit sápiens, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

FERIA IV

Ad Laudes

Ut nos, corpus Christi et membra de membro, æmulémur charísmata melióra, malítia párvuli efficiámur et viríliter agámus in caritáte, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

Ad Vesperas

Ut propítius Dóminus adsit frátribus nostris ad Capítulum pergéntibus et viam ipsórum in salútis suæ prosperitáte dispónat eiúsque semper prótegat auxílio, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

FERIA V

Ad Laudes

Ut det ómnibus frátribus, illis præsértim, qui Capítulo adsunt, fidéles atque vigilántes se exhibére ad Ecclésiæ exigéntias nostríque témporis necessitátes, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

Ad Vesperas

Ut multifórmi grátia corda nostra adapériat qua fratérnum cum ómnibus diálogum inténdere valeámus eiúsque vocem in eórum vócibus agnoscámus, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

FERIA VI

Ad Laudes

Ut fratrum nostrórum qui, persecutióne deténti, Capítulo interésse prohibéntur, tristítia vertátur in gáudium quod nemo tollet ab eis, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

Ad Vesperas

Ut congregátio nostra capituláris, a Spíritu Sancto illumináta, Christi semper vivéntis testimónium cum fidúcia magna perhíbeat, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

SABBATO

Ad Laudes

Ut nos qui Maríam Regínam Apostolórum Matrem misericórdiæ venerámur, múnere nobis commísso ad Ecclésiæ cunctorúmque fratrum servítium prudénter ac válide fungámur, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

Ad Vesperas

Ut nos qui vocatiónem prædicatiónis sub Régula sancti Augustíni asserváre nítimur, eius spíritum, viam et ratiónem habeámus in Capítulo perficiéndo, Dóminum deprecémur:
— Te rogámus, audi nos!

B) Ad Horas minores

Ad Horas minores vel Horam mediam, post Amen in fine orationis diei, adiungi potest clausula sequens:

Per intercessiónem beatíssimæ Vírginis Maríæ, Ordinis patrónæ, misereátur nostri et salútem nobis concédat Christus Dóminus, qui bonus est et hóminum amátor.

℣. Benedicámus Dóminum.
℟. Deo grátias.

C) Schemata autonoma

Schemata hic proposita autonome adhiberi possunt vel cum exercitio aliquo Communitatis coniuncta. Per invocationem brevem ad Spiritum Sanctum incipitur: Veni, Sancte Spíritus; sequitur una vel alia stropha hymni Veni, Creátor Spíritus (LH II, 795), Sancti Spíritus adsit nobis grátia (730), sequentiæ Veni, Sancte Spíritus, et emítte vel alicuius hymni probati; postea antiphona, psalmus, versus et oratio dicuntur.

Series I

Ante Capitulum

1

Invocatio ad Spiritum Sanctum

Veni, Sancte Spíritus,
reple tuórum corda fidélium
et tui amóris in eis ignem accénde,
qui, per diversitátem linguárum multárum,
gentes in unitáte fídei congregásti.

Psalmodia

Ant. Audíte et intellégite traditiónes quas Dóminus dedit vobis. [AG 438]

Ps 121: Lætatus sum.

℣. Eúntes dícite.
℟. Appropinquávit in vos Regnum Dei.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte di-

spóne, ut inter omnes viæ et vitæ huius varietátes, tuo semper protegántur auxílio. Per Christum.

2

Invocatio ad Spiritum Sanctum

PSALMODIA

Ant. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua et in præcéptis suis, et fáciat pacem. [AG 579]

Ps 120: Levavi oculos meos in montes.

℣. Viam tuam, Dómine, demónstra mihi.
℟. Et sémitas tuas édoce me.

Oratio

Tua nos, quæsumus, Dómine, grátia semper et prævéniat et sequátur, ac bonis opéribus iúgiter præstet esse inténtos. Per Christum.

3

Invocatio ad Spiritum Sanctum

PSALMODIA

Ant. Da mercédem, Dómine, sustinéntibus te, ut prophétæ tui fidéles inveniántur. [AG 315]

Ps 125: In convertendo Dominus.

℣. In mundo pressúram habébitis.
℟. Sed confídite: ego vici mundum.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, univérsa nobis adversántia propitiátus exclúde, ut mente et córpore páriter expediti, quæ tua sunt líberis méntibus exsequámur. Per Christum.

¶ Adhiberi etiam potest Ps 122 Ad te levávi, ant. Veni Sancte Spíritus, Kýrie, Pater noster, ℣. Emítte Spíritum tuum, ℣. Salvos fac, Orémus, Deus qui corda, Adésto Dómine supplicatiónibus nostris, sub uno Per Christum (BB I 47*).

Series II

Perdurante Capitulo

1

Invocatio ad Spiritum Sanctum

PSALMODIA

Ant. Ubi duo vel tres congregáti fúerint in nómine meo, in médio eórum sum, dicit Dóminus. [AG 438]

Ps 132: Ecce quam bonum.

℣. Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus.
℟. Usque ad consummatiónem sæculi.

Oratio

Deus, qui Apóstolis tuis Sanctum dedísti Spíritum, concéde plebi tuæ piæ petitiónis efféctum, ut, quibus dedísti fidem, largiáris et pacem. Per Christum.

2

Invocatio ad Spiritum Sanctum

PSALMODIA

Ant. Non vos me elegístis, sed ego elégi vos et pósui vos, ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat, dicit Dóminus.

Ps 124: Qui confidunt in Domino.

℣. Pétite et accipiétis.
℟. Pulsáte et aperiétur vobis.

Oratio

Famíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi, ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per Christum.

3

Invocatio ad Spiritum Sanctum

PSALMODIA

Ant. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum, sta coram summo iúdice pro tuo cœtu páuperum. [AG 885]

Ps 133: Ecce benedicite Dominum.

℣. Beáti immaculáti in via.
℟. Qui toto corde exquírunt Dóminum.

Oratio

Deus, cuius providéntia in sui dispositióne non fállitur, te súpplices exorámus, ut nóxia cuncta submóveas, et ómnia nobis profutúra concédas. Per Christum.

PRECES PRO FAMILIA DOMINICANA ET PRO BENEFACTORIBUS

Fratres sororesque preces et merita laboris apostolici cum universa Familia Dominicana, una cum parentibus, familiaribus et benefactoribus communicent, « qui de bonis sive spiritualibus sive terrenis cum eis partem faciunt ut expeditiores inveniantur in opere Evangelii » (LCO, n. 15 § II; cf. LCM, n. 13 § II).

Præter suffragia quotidiana pro defunctis (cf. LCO, n. 72; LCM, n. 18) orationes pro benefactoribus multiplici forma confici apteque pro tempore iterari poterunt (cf. LCM, n. 76).

Schemata autem quæ sequuntur ad orationes pro benefactoribus præbentur ut elementa ad nutum Capituli conventualis seligenda.

A) Preces in Liturgia Horarum

AD LAUDES MATUTINAS

Deo Patri nostro, qui nos multis cum frátribus vocávit ad Christum sequéndum et ad Evangélium serviéndum, grátias agámus et læti clamémus:

Glória tibi, Dómine, in sæcula.

Pater clementíssime, de tuo nos te laudámus amóre,
— quia nos mirabíliter condidísti et mirabílius reformásti.

Tu, Dómine, ab orígine Ecclésiæ Maríam fídei testem effecísti et Patri nostro Domínico ministérium prædicatiónis commisísti,
— éffice ut Ecclésia ómnibus homínibus salútis fiat sacraméntum et Papa noster N. cunctíque Pastóres nostri in múnere suo conficiéndo auxílium recípere mereántur.

Tu, miséricors Deus, vis ut paréntes fratres familiarésque nostri benignitátem tuam erga nos maniféstent,
— éffice ut voluntáti tuæ simus semper intenti et cogitatiónes actionésque nostræ te semper glorífient.

Ad Verbum tuum nuntiándum vocáti, ipsum a Spíritu Sancto fidénter expóscimus
— et grátias ágimus pro ómnibus benefactóribus qui nobis in hoc servítio missionário auxiliántur.

(Vel: Moniáles, a Deo vocátæ ut exémplo Maríæ sédeant secus pedes Iesu et verba illíus áudiant,
— fratres benefactóres familiarésque ádiuvent ut et ipsi in solitúdine intróeant ubi tu, Deus, ad cor lóqueris et ad opus salútis consócias.)

Fratrum omniúmque necessitátibus corda résera nostra,
— ne fratérna nostra dilectióne privéntur.

[Sanctæ Dei Genetrícis sempérque Vírginis Maríæ et Sanctórum ómnium memóriam recólimus, ut, ipsis pro nobis orántibus, véniam a Dómino mereámur accípere:]

Pater noster, etc.

Oratio ut in Liturgia Horarum.

Ad Vesperas

Deum, Patrem misericordiárum, qui in fámulo suo Domínico nos coadunávit vocatióne sancta, eníxe rogémus pro frátribus et benefactóribus nostris:

Deus, refúgium nostrum, exáudi nos.

Tu, Dómine, fámulum tuum Domínicum experíri voluísti dulcédinem societátis tecum et cum frátribus in vita apostólica,
— propósitum in nobis confírma, ut cáritas in nobis regnans communiónem et unitátem ómnium in Christo credéntium appróperet.

Qui dixísti: « Quærite primum regnum Dei et iustítiam eius, et réliqua ómnia adiciéntur vobis »,
— éffice ut ministério et oratióne nostra omnes hómines corroboréntur, ut lumen veritátis quærere et ad vitam novam in Christo renásci váleant.

Qui ómnia membra Famíliæ Dominicánæ ad Evangélium vocas testificándum et ad ædificatiónem pópuli tui consócias,
— eos omnes in caritáte tua sancta custódi, et in lúmine veritátis tuæ dírige.

Qui dixísti: « Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos »,
— confórta corda eórum qui nunc oratióni nostræ commúnicant omniúmque qui nos rogavérunt ut pro ipsis intercedámus.

Tu, Dómine, plenus es misericórdia in eos qui te fidénter ínvocant:
— tuam indulgéntiam supplíciter implorámus pro frátribus, soróribus, paréntibus, amícis ac benefactóribus defúnctis.

[Sanctæ et immaculátæ Dóminæ nostræ, gloriósæ Dei Genetrícis sempérque Vírginis Maríæ, sancti Domínici et ómnium Sanctórum Ordinis nostri memóriam faciéntes atque auxílium postulántes,

nosmetípsos et ínvicem totámque vitam nostram Deo commendémus:]

Pater noster, etc.

Oratio ut in Liturgia Horarum.

PRO COMMEMORATIONE

Post orationem conclusivam alicuius Horæ antiphona peculiaris cum oratione appropriata addi potest, iuxta formam « commemorationis » (cf. IGLH, n. 239).

Ant. Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem, et abundántiam diligéntibus te. Propter fratres meos et próximos meos loquébar pacem de te.

Vel, præsertim in cantu: Exsúrge, Dómine, ádiuva nos: et líbera nos propter nomen tuum, allelúia. [Process. O.P. 125]

Vel: Mandátum novum do vobis (OHS, 94), In hoc cognóscent omnes (OHS, 94), Quærite primum (AG, 595).

℣. Salvos fac servos tuos et ancíllas tuas.
℟. Deus meus, sperántes in te.

Oratio

Deus, qui caritátis dona, per grátiam Sancti Spíritus, tuórum fidélium córdibus infudísti, da fámulis tuis, pro quibus tuam deprecámur cleméntiam, salútem mentis et córporis, ut te tota virtúte díligant, et, quæ tibi sunt plácita, tota dilectióne perfíciant. Per Christum.

Vel aliæ orationes: MR, n. 39 A, 844; n. 39 B, 845; n. 42, 849; n. 43, 850.

AD HORAS MINORES

Ad Horas minores vel ad Horam mediam, post lectionem brevem et ante orationem diei, pro benefactoribus dici possunt preces breviores similes illis quæ in Appendice II Liturgiæ Horarum inveniuntur.

B) Schemata autonoma

Series I

1

Admonitio prævia

Sciéntes credéntium preces gratas esse et efficáces apud Dóminum, álii pro áliis rogémus, et quia ille promísit in médio nostrum esse, supplicémus ut univérsa Família Dominicána necnon benefactóres nostri in conspéctu eius vívere et eum fidéliter sequi váleant.

Antiphona

Ant. Cantáte et psállite in córdibus vestris Dómino, grátias agéntes semper pro ómnibus, in nómine Dómini nostri Iesu Christi, Deo et Patri.

Vel, præsertim in cantu: Pópulus meus, ait Dóminus, bonis meis adimplébitur. [AG 218]

Vel: Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum, quod vobis parátum est ab orígine mundi. [AG 420]

Vel: Diligámus nos ínvicem (OHS, 95), Quod uni (AG, 420).

Psalmus

Ps 66: Deus misereatur nostri.

Vel:

Ps 122: Ad te levavi.

Vel:

Dan 9, 4-6. 17-19: Humilitas et pænitentia.

Vel:

Sap 11, 20b-26; 12, 1. 12a. 15-16: Laus Domini providentis.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ.
℟. Quam possedísti ab inítio.

Oratio

Deus, qui fámulos tuos in tribulatióne pósitos semper miserátus exáudis, pro benignitáte tua grátias agéntes, te súpplices deprecámur, ut, líberi a malis ómnibus, in gáudio tibi iúgiter serviámus. Per Christum.

Vel aliæ orationes: MR, n. 10, 804; n. 12, 807, vel oratio psalmica apta vel una ex precibus in honorem sancti Dominici, 741.

¶ In celebratione longiore, addi poterit pars altera, præcipue pro benefactoribus defunctis, cum antiphona, psalmo 129 et oratione appropriata.

Benedictio finalis

Pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra et intellegéntias vestras in sciéntia et caritáte Dei et Fílii sui, Dómini nostri Iesu Christi.

℟. Amen.

℣. Ite in pace.

℟. Deo grátias.

2

Admonitio prævia.

Preces seu intercessiones

Preces seu intercessiones dicantur ut in Missa vel in Liturgia Horarum ad Vesperas, vel iuxta schemata pænitentiæ et laudis quæ in Proprio, 519, inveniuntur.

[Vocem Christi audiéntes: « Pétite et dábitur vobis », Patrem omnipoténtem humíliter deprecémur, dicéntes:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus protéctor in te sperántium, sine te nihil est válidum, nihil sanctum. Multíplica super nos et super

totam Famíliam nostram misericórdiæ tuæ signa, ut inter mundánas varietátes, ibi nostra fixa sint corda ubi vera sunt gáudia. Per Christum.

Vel:

Præténde, Dómine, déxteram cæléstis auxílii super fámulos tuos Papam nostrum N., super Magístrum Ordinis N. [vel Superiórem vel Superioríssam generálem Congregatiónis nostræ N.] totámque Famíliam Dominicánam: ut per intercessiónem beátæ Maríæ semper Vírginis, sancti Ioseph, sancti Augustíni, sancti Domínici Patris nostri et ómnium fratrum qui iam in cælo collætántur, te toto corde perquírant et quæ digne póstulant assequántur. Per Christum.

Benedictio finalis

Omnípotens Deus, qui hora cenæ vocáre ad núptias invitátos núntium suum beátum elégit Domínicum, eius prædicatióne et caritáte vos ducat ad ætérnum convívium.

℟. Amen.

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

Series II

Admonitio prævia.

Lectio biblica — Mt 6, 31-33

Nolíte sollíciti esse dicéntes: « Quid manducábimus? », aut: « Quid bibémus? », aut: « Quo operiémur? ». Hæc enim ómnia gentes inquírunt; scit enim Pater vester cæléstis quia his ómnibus indigétis. Quærite autem primum regnum Dei et iustítiam eius, et hæc ómnia adiciéntur vobis. Nolíte ergo esse sollíciti in crástinum; crástinus enim dies sollícitus erit sibi ipse.

RESPONSORIUM Cf. 1 Thess 5, 18

℟. In ómnibus grátias ágite, * Sine intermissióne oráte (T.P. allelúia).

℣. Hæc est enim volúntas Dei in Christo Iesu in ómnibus vobis. * Sine. [Glória Patri. * Sine.]

[AJ I 649]

Vel responsorium breve: Magnificáte Dóminum (AG, 363), Cibávit eos (AG, 546), vel antiphona: Máneant in nobis (OHS, 97).

Vel alia: Rom 12, 9-15

Diléctio sine simulatióne. Odiéntes malum, adhæréntes bono; caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes, honóre ínvicem præveniéntes, sollicitúdine non pigri, spíritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes, in tribulatióne patiéntes, oratióni instántes, necessitátibus sanctórum communicántes, hospitalitátem sectántes. Benedícite persequéntibus; benedícite et nolíte maledícere! Gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus. Idípsum ínvicem sentiéntes, non alta sapiéntes, sed humílibus consentiéntes. Nolíte esse prudéntes apud vosmetípsos.

RESPONSORIUM Cf. Ps 35, 9-10

℟. Inebriáti sunt ab ubertáte domus tuæ: * Et torrénte voluptátis tuæ potásti eos.

℣. Quóniam apud te est fons vitæ: et in lúmine tuo vidébimus lumen. * Et torrénte. [Glória Patri. * Et torrénte.] [AJ II 484]

Vel responsorium breve: Benedícam Dóminum (AG, 156), Benedíctus es, Dómine (AG, 536), vel antiphona: Diligámus nos (OHS, 95).

Vel aliæ lectiones: Tob 12, 6-10; Prov 9, 3-6; Act 2, 42-47; 2 Cor 9, 6-15; Ap 21, 5-7.

Oratio

Omnes, per aliquod temporis spatium, in silentio orant.

Implorántes, Dómine, misericórdiam tuam, fidéles pópulos propítius intuére, ut, qui de tua pietáte confídunt, tuæ caritátis dona ubíque diffúndere váleant. Per Christum.

Vel aliæ orationes: MR, n. 25 A, 828; n. 41, 484; n. 42, 849.

Benedictio finalis

Deus, qui in beáto Domínico offícium apostólicum dignátus est suscitáre, dignétur mentes vestras doctrínis apostólicis informáre.

℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

C) Prex brevis

1

In fine alicuius exercitii Communitatis adiungi potest clausula sequens:

Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen sanctum tuum vitam ætérnam.

℟. Amen.

2

Grátias Deo exhibeámus quod benefactóres in ópere Evangélii et in communióne fídei et caritátis nobis sociáverit.

Oratio

Omnes, per aliquod temporis spatium, in silentio orant.

Deus, Pater donórum ómnium, a quo descéndere confitémur quidquid habémus aut sumus, benefícia

doce nos imménsæ tuæ pietátis agnóscere, ac te sincéro corde totáque nostra virtúte dilígere. Per Christum.

Vel aliæ orationes: MR, p. 909; vel una ex precibus in honorem sancti Dominici, 741.

BENEDICTIO PRO ITINERANTIBUS

1. Cum frater (vel monialis vel soror) de aliqua Communitate ad aliam discedit, vel cum ad diuturnam missionem proficiscitur, preces aptæ fieri possunt.

2. Inter ea quæ hic proponuntur, seligi possunt quæ ad causam itineris, ad usus locales necnon ad formam opportune communitariam accommodari possint.

Preces vel celebratio ad liturgiam vel ad aliquod exercitium Communitatis, in choro vel extra chorum, coniungantur; gestus quoque symbolicus fieri potest, qui occasioni conveniat (v.g. venia, osculum pacis, aspersio, alicuius rei traditio, etc.).

Cum frater rediit vel novus frater in Communitatem suscipitur, oratio vel gratiarum actio fieri potest.

3. Inter has diversas possibilitates hæc notentur:

— in Missa conventuali: Missæ pro variis necessitatibus vel Missæ votivæ; orationes fidelium; benedictio sollemnis;
— in Officio Divino: preces convenientes, vel memoria fratrum absentium eorumque apostolici ministerii, vel benedictio sollemnis;
— in celebratione autonoma, vel in coniunctione cum Liturgia Horarum vel etiam nonnumquam cum Missa.

A) Quædam elementa

BENEDICTIO SOLLEMNIS

Deus, via, véritas et vita, iter tuum, cogitatiónes et omnes actus in beneplácito dispónat.
℟. Amen.

Per diem te salutáris Dómini umbra circúmtegat; per noctem amíca quies, ipsíus grátiam revelatúra, confóveat.
℟. Amen.

Déxtera Dómini te mirabíliter dedúcat, præbeátque ante fáciem tuam divínæ pacis ángelum cómitem.
℟. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super te (vos), et máneat semper.
℟. Amen.

℣. Procédite, et cogitémus de Salvatóre nostro.
℟. Deo grátias.

Vel alia formularia: v.g. MR, nn. 13, 14, 501-502 et in Missis Propriis O.P.

Adhiberi etiam potest Oratio super populum (v.g. MR, nn. 2, 9, 15, 20, 22, 507-510) vel, in fine alicuius Officii, elementum pro commemoratione iuxta schema supra positum, 767.

B) Schemata autonoma

Series I

Admonitio prævia.

Antiphona

Ant. Annuntiáte inter gentes glóriam eius, in ómnibus pópulis mirabília eius: quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis.

Vel: Da pacem, Dómine, sustinéntibus te, et exáudi oratiónes servórum tuórum, et dírige nos in viam iustítiæ.

Vel: In viam pacis et prosperitátis dírigat nos omnípotens et miséricors Dóminus: et Angelus Ráphael comitétur nobíscum in via, ut cum pace, salúte et gáudio revertámur ad própria.

Vel, præsertim in cantu: Ecce ego mitto (AG, 303), Ut cognoscámus (AG, 315), Angelis suis (AG, 959), vel: Sub tuum præsídium, 684 (AG, 127), Magne Pater, 322 (AG, 881).

PSALMUS

Ps 120: Levabo oculos meos in montes.

Vel:

Ps 24: Ad te, Domine, levavi animam meam.

Vel:

Ps 39, 2-6: Exspectans exspectavi Dominum.

[Ut omnes unum sint, in caritáte et dilectióne fratérna oratiónem domínicam Deo Patri dicámus:]

Pater noster, etc.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispone ut inter omnes viæ et vitæ huius varietátes, tuo semper protegántur auxílio. Per Christum.

Vel aliæ orationes (LH IV, 1182; MR, n. 9, 803; n. 10, 804; n. 14, 813-814; n. 22, 821; vel ut in Missis Propriis C.P.: « Pro prædicatoribus », vel ut supra, 103 aut 194).

Iuxta locorum consuetudines, pacem et caritatem sibi invicem significant et Prior pacem dat fratri.

Deinde, cantari potest antiphona Salve, Regína vel alius cantus aptus in reverentiam Dominæ nostræ.

Dicitur benedictio et si fit dimissio, sequitur invitatio:

℣. Procédite in pace.
℟. Deo grátias.

Series II

Admonitio prævia.

Lectio biblica Io 15, 9-17

Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos; manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut ego Patris mei præcépta servávi et máneo in eius dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos; maiórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Iam non dico vos servos, quia servus nescit quid facit dóminus eius; vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis, sed ego elégi vos et pósui vos, ut vos eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat, ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis. Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem.

¶ Vel aliæ lectiones: Mt 10, 5b-14; Mc 6, 7-12; 1 Io 1, 1-7; 1 Io 4, 7-11, vel ex Lectionario Missarum O.P.

Responsorium 1 Cor 10, 17; Ps 67, 11; cf. Ps 132, 1

℟. Unus panis et unum corpus multi sumus, * Omnes qui de uno pane et de uno cálice Participámus.

℣. Parásti in dulcédine tua páuperi, Deus: qui habitáre facis unánimes in domo. * Omnes qui. [Glória Patri. * Participámus.] [MG 101]

Vel responsorium breve: Dóminus vias suas (AG, 382), A perículis cunctis (AG, Add. 20), vel antiphona: Congregávit nos (OHS, 97).

Oratio

Omnes, per aliquod temporis spatium, in silentio orant.

Corda famulórum tuórum, Dómine, illúmina Spíritus Sancti grátia: ignítum eis elóquium dona et iis, qui tuum prædicant verbum, largíre virtútis augméntum. Per Christum.

Vel:

Deus, cuius Fílius ómnibus in nómine suo congregátis promísit seípsum in médio eórum affutúrum, præsta quǽsumus, ut illum præséntem nobiscum sentiámus, et abundáre in córdibus nostris grátiam, misericórdiam et pacem in veritáte et caritáte experiámur. Per Christum.

Vel aliæ orationes: MR, n. 10, 804; n. 14 A, 814; n. 39 B, 845.

Benedictio finalis

Deus, qui benignitátem et humanitátem Salvatóris nostri fecit apparére in fámulo suo Domínico, vos quoque confórmes fáciat imágini Fílii sui.

℟. Amen.

℣. Ite in pace.

℟. Deo grátias.

V. LITANIÆ B. MARIÆ VIRGINIS AB ORDINE RECEPTÆ

Hic infra præbetur unum ex formulariis quo Litaniæ traduntur B. Mariæ Virginis ab Ordine receptæ et adhuc in multis Provinciis adhibitæ.

In locutionibus et forma, invocationes istæ exemplum præbent pietatis Medii Ævi necnon devotionis Orientis et Occidentis.

Iuxta chronicas quasdam, recentiores primitivis Fratribus, nonnumquam litaniæ istæ agnitæ sunt quasi illæ quas Humbertus de Romans et Capitulum generale anni 1256 præceperunt pro necessitatibus Ordinis (MOPH 3, 1898, pp. 82-83), quamvis textus Capituli expresse non dicat quæ Litaniæ essent dicendæ.

Textus sequens offertur ad libitum pro sodalium Ordinis communi utilitate. Eius adaptatio in linguam vernaculam, ut pro formulariis eiusdem generis, magna libertate fieri poterit et in locutionibus vertendis et in invocationibus consociandis.

Kýrie, eléison.	Kýrie, eléison
Christe, eléison.	Christe, eléison
Kýrie, eléison.	Kýrie, eléison
Christe, audi nos.	Christe, audi nos
Christe, exáudi nos.	Christe, exáudi nos
Pater de cælis Deus,	miserére nobis
Fili Redémptor mundi Deus,	miserére nobis
Spíritus Sancte Deus,	miserére nobis
Sancta Trínitas, unus Deus,	miserére nobis
Sancta María	
Mater Christi sanctíssima,	ora pro nobis
Sancta María Dei Génetrix Virgo,	ora
Sancta María Mater innúpta,	ora
Sancta María Mater invioláta,	ora
Sancta María Virgo vírginum,	ora
Sancta María Virgo perpétua,	ora
Sancta María grátia Dei plena,	ora
Sancta María ætérni Regis fília,	ora
Sancta María Christi Mater et Sponsa,	ora
Sancta María Spíritus Sancti templum,	ora

Sancta María cælórum Regína, ora pro nobis
Sancta María Angelórum Dómina, ora
Sancta María scala Dei, ora
Sancta María porta Paradísi, ora
Sancta María nostra Mater et Dómina, ora
Sancta María nostra spes vera, ora
Sancta María nova mater, ora
Sancta María ómnium fidélium fides, ora
Sancta María cáritas Dei perfécta, ora
Sancta María imperátrix nostra, ora
Sancta María fons dulcédinis, ora

Sancta María mater misericórdiæ, ora
Sancta María mater ætérni Príncipis, ora
Sancta María mater veri consílii, ora
Sancta María mater veræ fídei, ora
Sancta María nostra resurréctio, ora
Sancta María
per quam renovátur omnis creatúra, ora
Sancta María génerans ætérnum Lumen, ora
Sancta María ómnia portántem portans, ora
Sancta María virtus divínæ Incarnatiónis, ora
Sancta María cubíle thesáuri cæléstis, ora
Sancta María génerans factórem ómnium, ora
Sancta María consílii cæléstis arcánum, ora

Sancta María nostra salus vera, ora
Sancta María thesáurus fidélium, ora
Sancta María pulchérrima Dómina, ora
Sancta María iris plena lætítia, ora
Sancta María mater veri gáudii, ora
Sancta María iter nostrum ad Dóminum, ora
Sancta María advocátrix nostra, ora
Sancta María stella cæli claríssima, ora
Sancta María præclárior luna, ora
Sancta María solem lúmine vincens, ora
Sancta María ætérni Dei Mater, ora
Sancta María delens ténebras ætérnæ noctis, ora

Sancta María delens chyrógraphum
nostræ perditiónis, ora pro nobis

Sancta María fons veræ sapiéntiæ, ora
Sancta María lumen rectæ sciéntiæ, ora
Sancta María inæstimábile gáudium nostrum, ora
Sancta María prǽmium nostrum, ora
Sancta María cæléstis pátriæ desidérium, ora
Sancta María
spéculum divínæ contemplatiónis, ora
Sancta María ómnium Beatórum beatíssìma, ora
Sancta María omni laude digníssima, ora
Sancta María clementíssima Dómina, ora
Sancta María consolátrix ad te confugiéntium, ora
Sancta María plena pietáte, ora
Sancta María omni dulcédine superabúndans, ora

Sancta María pulchritúdo Angelorum, ora
Sancta María flos Patriarchárum, ora
Sancta María humílitas Prophetárum, ora
Sancta María thesáurus Apostolórum, ora
Sancta María laus Mártyrum, ora
Sancta María glorificátio Sacerdótum, ora
Sancta María decus Vírginum, ora
Sancta María castitátis lílium, ora
Sancta María super omnes féminas benedícta, ora
Sancta María reparátio ómnium perditórum, ora
Sancta María laus ómnium iustórum, ora
Sancta María secretórum Dei cónscia, ora
Sancta María sanctíssima ómnium feminárum, ora

Sancta María præclaríssima Dómina, ora
Sancta María margaríta cæléstis Sponsi, ora
Sancta María palátium Christi, ora
Sancta María immaculáta Virgo, ora
Sancta María templum Dómini, ora
Sancta María glória Ierúsalem, ora
Sancta María lætítia Israel, ora
Sancta María fília Dei, ora

Sancta María
Sponsa Christi amantíssima, ora pro nobis
Sancta María stella maris, ora
Sancta María diadéma in cápite summi Regis, ora
Sancta María omni honóre digníssima, ora
Sancta María omni dulcédine plena, ora
Sancta María regni cæléstis méritum, ora
Sancta María cæléstis vitæ iánua, ora
Sancta María porta clausa et patens, ora
Sancta María per quam intrátur ad Dóminum, ora

Sancta María immarcescíbilis rosa, ora
Sancta María omni mundo pretiósior, ora
Sancta María omni thesáuro desiderabílior, ora
Sancta María áltior cælo, ora
Sancta María Angelis múndior, ora
Sancta María Archangelórum lætítia, ora
Sancta María ómnium Sanctórum exsultátio, ora
Sancta María
honor, et laus, et glória, et fidúcia nostra, ora

Sancta María exténde manum tuam
et tange cor nostrum,
ut illúmines et líberes nos peccatóres, ora
Fília Dei, María, nos réspice
Fília Ióachim, María, nos dílige
Fília Annæ, María, nos súscipe

Agna Dei, tu porta spei, porta nos ad Fílium
Agna Dei, nos iungas ei, virginále lílium
Agna Dei, da requiéi regnum post exsílium

Pater noster - Ave Maria.

℣. Ora pro nobis, Sancta Dei Génetrix.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.
℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Oratio

Defénde, quæsumus, Dómine Deus, intercedénte beáta et gloriósa Dei Genetríce María cum ómnibus Sanctis tuis, nostram ab omni adversitáte Domum et Congregatiónem, et ab hóstium tuére cleménter insídiis. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

O MARIA, TEMPLUM TRINITATIS

O María, María, templum Trinitátis!
O María mare pacíficum, María donátrix pacis!
O María vas humilitátis
in quo viget et ardet lumen veræ cognitiónis.
O María, ego vídeo hoc Verbum esse in te,
et tamen non separátur a Patre,
sicut verbum mentále hóminis
quod licet proferátur et áliis communicétur,
non tamen recédit vel separátur a corde.
Osténditur in te, María,
fortitúdo et libértas hóminis:
neque enim ante descéndit in úterum Dei Fílius
quam præbéres assénsum voluntátis tuæ.
Exspectábat ad iánuam tuæ voluntátis
numquam intratúrus nisi aperíres dicéndo:
« Ecce ancílla Dómini: fiat mihi
secúndum verbum tuum ».
Ad te, o María, recúrro,
tibi óffero petitiónem meam
pro dulci sponsa dulcíssimi salvatóris nostri,
et pro vicário eiúsdem Iesu Christi:
uni pópulum eius
et confírma cor pópuli cum eo. Amen.

[S. Catharina Sen., Oratio XI:
ed. G. Cavallini, Roma 1978, pp. 119-133]

SUPPLICATIO PRO FILIALI DEDICATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINI

Ad te matrem, Virgo María cum fidúcia fratres accédimus. Ad te prædicatóres confúgimus, quæ in verba de cælo missa credidísti et ea in tuo corde contulísti.

Circum te, quæ Apostolórum collégio semper ades, astámus per diversitátem linguárum multárum in unitátem córdium congregáti.

In te, quod recípimus, quod contemplámur, quod collaudámus, quod prædicámus, per quod vívimus, Verbum caro factum est. Sub tuo ígitur præsídio, Verbi incarnáti ministério nosmetípsos hódie dénuo devovémus, immo nos tibi ipsi dicámus ut, tecum Verbum intus audiéntes et uncti Spíritu cuius sacrárium extitísti, nómini Iesu Christi per orbem evangelizándo consecrémur.

Tu, illuminátis cordis óculis, Verbi mystérium cognovísti. Per te possímus eiúsdem præséntiam in nostri témporis história percípere, ut ad ipsum sine spéculo contemplándum perveniámus.

Per te Pater misit Fílium suum in mundum ut salváret eum. Per te valeámus, in conspéctu hóminum, testes fíeri veritátis, quæ líberat, et dilectiónis, quæ cóngregat.

Fratrum nostrórum vota huc túlimus et hic perpéndimus. Tu, Mater, vires adde et famíliæ nostræ serva concórdiam, ut quæ decernénda iudicávimus, fratérna dilectióne coniúncti perficiámus, ad mundi salútem et Dei laudem et glóriam.

[Ex Actis Cap. Gen. O.P. 1974]

INDICES [1]

★ Index psalmorum et canticorum 787
★ Index hymnorum et responsoriorum 790
★ Index lectionum biblicarum 799
★ Index auctorum lectionum hagiographicarum . . 803
★ Index thematum lectionum et Libelli precum . . 805
★ Index alphabeticus celebrationum 816
★ Index generalis 820

[1] Index siglorum invenitur supra, p. 23.

INDEX PSALMORUM ET CANTICORUM [1]

Psalmi

1	Beatus vir, qui non abiit	392*
8	Domine, Dominus noster	392*
14	Domine, quis habitabit	484
15	Conserva me, Deus	392*
18 B	Lex Domini	315
19	Exaudiat te Dominus	548*
21, I et II: 2-23	Deus, Deus meus	581*
21, III: 24-33	Qui timetis Dominum	582*
24	Ad te, Domine, levavi	151
26, 1-9	Dominus illuminatio mea	67
30, 20-25	Quam magna multitudo	166
33	Benedicam Dominum	313
39, 2-14. 17-18	Exspectans exspectavi Dominum	65, 577*
41	Quemadmodum desiderat cervus	296
53, 1-6. 8-9	Deus, in nomine tuo	549*, 577*
56	Miserere mei, Deus, miserere	574*
65	Iubilate Deo, omnis terra	485
66	Deus misereatur nostri	153, 560*
68, I: 2-14	Salvum me fac, Deus	561*
68, II: 14-22. 30-37	Ego vero orationem meam	562*
76	Voce mea ad Dominum clamavi	298
83	Quam dilecta	167
87	Domine, Deus salutis meæ	562*
88, 2-19	Misericordias Domini	503
90	Qui habitat	677
95	Cantate Domino ... cantate	290
97	Cantate Domino ... quia mirabilia fecit	292, 504
110	Confitebor Domino	80
112	Laudate, pueri Domini	290*, 557*
115	Credidi, etiam cum locutus sum	318
125	In convertendo Dominus	316*, 319
126	Nisi Dominus ædificaverit	79

[1] Hoc signo * notantur textus tantum citati, non expresse transcripti.

128	Sæpe expugnaverunt me	316*
134	Laudate nomen Domini	557*
137	Confitebor tibi ... quoniam	150
144, 1-9	Exaltabo te, Deus meus rex	300
145	Lauda, anima mea, Dominum	290*
147	Lauda, Ierusalem, Dominum	574*
148	Laudate Dominum de cælis	549*

★

62, 2-9	Deus, Deus meus es tu	f° 2
94	Venite, exsultemus Domino	f° 1
149	Cantate Domino ... laus eius	f° 2

Cantica

Tob 13, 10-15. 17-19	Benedicite Dominum	649*
Iudt 16. 2-3. 15-19	Incipite Domino	647*
Sap 9, 1-6. 9-11	Deus patrum meorum	643*
Sir 36, 1-7. 13-16	Miserere nostri	643*, 646*
Is 2, 2-5	Erit in novissimis	649*
Is 12, 1-6	Confitebor tibi	574*, 646*
Is 26, 1-4. 7-9. 12	Urbs fortitudinis	645*
Is 42, 10-16	Cantate Domino	644*
Is 63, 1-5	Quis est iste	644*
Is 66, 10-14a	Lætamini cum Ierusalem	649*
Ez 36, 24-28	Tollam quippe vos	642*
Lc 2, 29-32	Nunc dimittis	680
Eph 1, 3-10	Benedictus Deus	293, 320, 506*
Phil 2, 6-11	Christus Iesus	557*
Col 1, 12-20	Gratias agamus Deo	81, 505
1 Petr 2, 21-24	Christus passus est	582*
Ap 4, 11; 5, 9. 10. 12	Dignus es, Domine	168, 221*, 293*

★

Dan 3, 57-88. 56	Benedicite, omnia opera	f° 2
Lc 1, 46-55	Magnificat anima mea	f° 1
Lc 1, 68-79	Benedictus Dominus	f° 1

EX LIBELLO PRECUM

Psalmi

24	Ad te, Domine, levavi animam meam	775*
39, 2-6	Exspectans exspectavi Dominum	775*
66	Deus misereatur nostri	768*
120	Levabo oculos meos in montes	762*, 775*
121	Lætatus sum	761*
122	Ad te levavi	762*, 768*
124	Qui confidunt in Domino	763*
125	In convertendo Dominus	762*
133	Ecce benedicite Dominum	764*
133	Ecce benedicite Dominum	764

Cantica

Sap 11, 20b-26; 12, 1. 12a. 15-16	Laus Domini providentis	768*
Dan 9, 4-6. 17-19	Humilitas et pænitentia	768*

INDEX HYMNORUM ET RESPONSORIORUM

Hymni

Adest dies celebris
S. Petrus de Verona 228
Atræ noctis obscuritas
S. Antoninus de Firenze 197
Auctor salutis unice
D. N. Iesus Christus patiens 560
Audi, Deus omnipotens
S. Pius V 181
Aurora cælum purpurat
S. Rosa de Lima 353
Ave, Virgo gratiosa
S. Maria in sabbato 597

Beata Dei genetrix
S. Maria in sabbato 605

Cælestis aulæ Nuntius
B. Maria Virgo a Rosario 413
Christe, lux vera, bonitas et vita
D. N. Iesus Christus patiens 573
Christe, qui lux es et dies
Ad Completorium 674
Christi fidelis nuntius
S. Hyacinthus de Polonia 330
Concordi recolit vox pia gaudio
S. Martinus de Porres 468

Doctor insignis, venerande præsul
S. Antoninus de Firenze 206
Dum Ludovici gloria
S. Ludovicus Bertrán 441

Eia festivis celebretur hymnis
S. Albertus Magnus 534
Exsultet claro sidere
S. Petrus de Verona 241

Franciscus florens gratia
S. P. Franciscus 391, 403
Fratrum Minorum conditor
S. P. Franciscus 399

Fulget in cælis celebris sacerdos
S. Augustinus 366

Gaude, mater Ecclesia
S. Pius V 172
Gaude, mater Ecclesia
Translatio S. P. Dominici 216

Hac margarita Pannonis
S. Margarita de Hungaria 54

Iam morte, victor, obruta
B. Maria Virgo a Rosario 426
Iam noctis umbras Lucifer
S. Catharina de' Ricci 94
Iesu, corona cælitum
Omnium Sanctorum 456
Iesu decus angelicum
Ss.mum Nomen Iesu 556
Iesu dulcis memoria
Ss.mum Nomen Iesu 548
Iesu nostra redemptio
Ad Completorium 675
Iesu, rex admirabilis
Ss.mum Nomen Iesu 554
In hoc Hyacinthi iubilo
S. Hyacinthus de Polonia 335
In monte olivis consito
B. Maria Virgo a Rosario 416
Iubilemus in hac die
S. Maria in sabbato 589

Læti colentes famulum
S. Ioannes Macias 385
Laudem beati servuli
S. Ioannes Macias 375
Laudem supremi præsulis
S. Pius V 179
Laudibus, virgo, nimis efferenda
S. Catharina Senensis 165
Lumen æternum moderator temporum
S. Antoninus de Firenze 209

Magnæ dies lætitiæ
S. Agnes de Montepulciano 143
Magnæ dies lætitiæ
S. Petrus de Verona 237
Magne Pater Augustine
S. Augustinus 359

Maria, quæ mortalium
S. Maria in sabbato 614
Martine, gemma candida
S. Martinus de Porres 471
Martyrum virtus validumque robur
Ss. Ioannes de Köln et Soc. 268
Mente iucunda iubilent fideles
S. Vincentius Ferrer 127
Mole gravati criminum
Patrocinium B.M.V. 185

Nocte iam pulsa, rutilantis astri
Ss. Ioannes de Köln et Soc. 266
Noctis tenebras dissipans
S. Albertus Magnus 530
Novus athleta Domini
S. P. Dominicus 295

O clara lux Coloniæ
S. Albertus Magnus 524
O gloriosa Domina
S. Maria in sabbato 594
O Redemptoris pietas colenda
S. Ioannes Macias 382
O virgo, cui præcordia
S. Catharina de' Ricci 88
O Virgo mater, filia
S. Maria in sabbato 602

Præco, salutis cælicæ
S. P. Dominicus 221, 317
Pulchra, quæ mundus peritura pandit
S. Raimundus de Penyafort 45

Quæ caritatis fulgidum
S. Maria in sabbato 610
Qui, totus Domini nomine et actibus
S. P. Dominicus 219, 310

Rerum supremo in vertice
S. Maria in sabbato 626

Sacra Raimundi veneremur omnes
S. Raimundus de Penyafort 37, 42
Salva, Redemptor, plasma
D. N. Iesus Christus patiens 578
Salve, mater misericordiæ
Patrocinium B.M.V. 195
Salvete, cedri Libani
Omnium Sanctorum O.P. 499

Signum crucis mirabile
D. N. Iesus Christus patiens 580
Sollemne laudis canticum
S. Catharina de' Ricci 97
Splendor o perpes, Patris atque Verbum
S. Thomas de Aquino 75
Supernæ matris gaudia
Omnium Sanctorum O.P. 483

Te, Catharina, maximis
S. Catharina Senensis 160
Te gestientem gaudiis
B. Maria Virgo a Rosario 430
Telluris omnes incolæ
S. Rosa de Lima 346
Te lucis ante terminum
Ad Completorium 674
Te patrem magnum colimus libentes
S. P. Dominicus 289
Te recens mundo reserata tellus
S. Martinus de Porres 461
Thoma, perenne Ecclesiæ
S. Thomas de Aquino 64
Thoma, te meritis laudibus ambiunt
S. Thomas de Aquino 78

Veni, Creator Spiritus 761*
Veniens, mater inclita
S. Maria in sabbato 622
Veni, præcelsa Domina
S. Maria in sabbato 618
Virgo prudentum comitata cœtum
S. Catharina Senensis 149

★

Sacerdos Dei sanctissime
S. P. Dominicus 223
Sancti Spiritus adsit nobis gratia 730

Te Deum . . . . . f° 1

Veni, Sancte Spiritus, et emitte 761*
Virgo Dei Genetrix 734

Responsoria prolixa typica

PROPRIUM DE SANCTIS

Abscondite eleemosynam
S. Martinus de Porres 663
Amavit eum Dominus
S. Pius V 655
Angelus Domini apparuit
S. Ioseph Sponsus B.M.V. 653
Audita est quasi vox
Ss. Ioannes de Köln et Soc. 657

Beata es, Virgo Maria
Assumptio B.M.V. 658

Canite tuba in Sion
S. Hyacinthus 659
Cibavit illam Dominus
S. Catharina Senensis 654
Clama in fortitudine
S. Vincentius Ferrer 654
Concede nobis, Domine
Omnium Sanctorum 458, 495, 663
Cornelius centurio
Ss. Petrus et Paulus 656

Dum oraret Iesus
Transfiguratio Domini 658

Ego quasi storax
S. Rosa de Lima 659
Elegit Mariam Deus
Conceptio Immaculata B.M.V. 665
Existimo omnia detrimentum
S. Margarita de Hungaria 651

Gaude, Maria Virgo
Præsentatio Domini 652
Gyrum cæli circuivi
S. Albertus Magnus 664

Hic est discipulus
S. Ioannes, Ap. et Ev. 666
Hi, qui amicti sunt
Omnium Sanctorum 456, 663

Impii super iustum
S. Stephanus 665
Initium sapientiæ timor
S. Raimundus de Penyafort 651

Inter natos mulierum
Nativitas S. Ioannis Bapt. 656
Iste sanctus pro lege
S. Petrus de Verona 656

Manifestata est gratia
S. Augustinus 659

Mihi absit gloriari
S. P. Franciscus 661

Non perimus, semper
S. Ludovicus Bertrán 662

O Crux benedicta
Exaltatio Crucis 660
Obaudite me, divini fructus
B. Maria Virgo a Rosario 662
O bona Crux
S. Andreas 665
O felix felicis meriti
S. Maria Magdalena 657
Omni tempore benedic
S. Antoninus de Firenze 655
O spem miram
S. P. Dominicus 219, 305, 514, 658, 685
O sponsa Christi
S. Catharina de' Ricci 652

Per tuam Crucem
Exaltatio Crucis 660
Propter testamentum Domini
Omnium Sanctorum O.P. 664

Quomodo fiet istud
Annuntiatio Domini 653

Salvatorem exspectamus
Anniversarium defunctorum O.P. 664
Solem iustitiæ
Nativitas B.M.V. 660
Sumite psalterium iucundum
B. Maria Virgo a Rosario 662
Super salutem et omnem
S. Thomas de Aquino 652

Tanto tempore vobiscum
Ss. Philippus et Iacobus 655
Terribilis est locus iste
Dedicatio ecclesiæ 662
Te sanctum Dominum
Ss. Michael, Gabriel et Raphael 661

Videte qualem caritatem
S. Ioannes Macias 661
Virginem castam Agnetem
S. Agnes de Montepulciano 654

Communia Sanctorum

Absterget Deus omnem
Martyrum 668
Benedicta es tu
Sanctarum 669
Felix namque es
B. Mariæ V. 666
Gaudeamus et exsultemus
Sanctarum 669
Hæc est vera fraternitas
Sanctorum 668
In medio Ecclesiæ
Sanctorum 668
In mortem tradimur
Martyrum 667
Regnum mundi et omnem
Sanctarum 669
Sollemnitas tua
B. Mariæ V. 666
Stirps Iesse virgam
B. Mariæ V. 666
Virtute magna reddebant
Apostolorum 667
Vos estis lux mundi
Apostolorum 667

Proprium de Tempore

Adaperiat Dominus cor vestrum
Dom. per annum 710
Audi, Israel, præcepta Domini
Dom. per annum 710
Benedicens ergo Deus Noe ait
Dom. per annum 712
Benedictus Dominus Deus
SS. Trinitas 714

Christus resurgens ex mortuis
Resurrectio Domini 706
Circumdederunt me viri
Dom. in Palmis 701

Descendit de cælis Deus
Nativitas Domini 691
Deus, qui sedes super thronum
Dom. per annum 711
Dignus es, Domine
Dom. per annum 709
Domine, rex omnipotens
Dom. per annum 713
Dum oraret Iesus
Dom. Quadrag. 695
Dum staret Abraham
Dom. per annum 712

Ecce apparebit Dominus
Dom. IV Adv. 690
Ecce Dominus veniet
Dom. II Adv. 689
Emendemus in melius
Dom. Quadrag. 695
Exsulta satis, filia Sion
Dom. per annum 711

Homo quidam fecit cenam
Corpus et Sanguis Christi 714

Igitur perfecti sunt cæli
Dom. per annum 712
Impetum inimicorum
Dom. per annum 713
In columbæ specie
Baptisma Domini 694
In conspectu Angelorum
Dom. per annum. 710
Iudæa et Ierusalem
Nativitas Domini 691

Media vita in morte
Dom. Quadrag. 695
Missus est Gabriel
Dom. I Adv. 689

Omni tempore benedic Deum
Dom. per annum 711

Paradisi portas aperiat
Dom. Quadrag. 695

Per tuam Crucem salva nos
Dom. in Palmis 701

Qui venturus est
Dom. III Adv. 689

Si consurrexistis cum Christo
Dom. per annum 709
Sicut dilexit me Pater
Sacr. Cor Iesu 715
Spiritus Sanctus procedens
Dom. Pentecostes 708
Surrexit Pastor bonus
Dom. per annum 709
Sustinuimus pacem
Dom. per annum 711

Tria sunt munera pretiosa
Epiphania Domini 694
Tua est potentia
D.N.I. Christus Rex 715

Verbum caro factum est
S. Maria Dei Genetrix 693
Viri Galilæi, quid admiramini
Ascensio Domini 707

Antiphonæ finales ad Completorium

Inviolata 684
Magne Pater 686
O lumen Ecclesiæ 685
Regina cæli 684
Salve Regina 683
Sub tuum præsidium 684

INDEX LECTIONUM BIBLICARUM [1]

TOBIAS

4 14b-15a. 16. 18a. 19a 383

IUDITH

13 14. 18-19 603

IOB

29 7-17. 21-15 199
38 4-7; **42** 1-2 531

PROVERBIA

4 1-13. 20-23 37
8 34-35 429

CANTICUM CANTICORUM

2 10-14; **7** 10-13 89

SAPIENTIA

7 7-8. 10 144
7-14. 17-21 525
13-14 369
8 2 [Cf.] 355
2-4 533
13 1 533

SIRACIDES

24 23-26 611
29 11-18. **4** 1-11 462
39 1b-14 68
43 10-13 533
49 3-4 338
50 1. 4-11. 13-14. 22-25 393

ISAIAS

7 14-15 595
52 13 - **53** 12 562
58 1 338
10-11 [Cf.] 208
59 21 316
61 1-2 129

LAMENTATIONES

3 17-26 509
5, 1-22 703*

EZECHIEL

34 11-23 173

OSEE

2 16b. 21-22 354

MALACHIAS

2 6 317

ACTUS APOSTOLORUM

11b. 12. 13a. 14 [Cf.] 193, 431, 627
2 42-45 371
3 1-16 549
13 26-30 583

AD ROMANOS

1 5 443
5 3-5 164
8-11 583
8-11. 17-21. **6** 1-11 564*
6 4b-6a 57
8. 11 56
8 16-17 502, 580
16-18 580
18-30 487
18b-21 356
28-39 154

[1] Hoc signo * notantur loci biblici tantum citati, sine textu expresse transcripto. - Index psalmorum et canticorum invenitur supra, 787.

12 4-8 469, 535
13 8-10 208
12-14 368
15 5-6 146
14-21 331

1 Ad Corinthios

1 7b-9 131
18-19 164
2 1-16 301
4-5 316
6-10a 76
11-13 169
3 10-11 182
9 16-17 339
16-27 435
22b-23 442
12 8-11
28-31a 473

2 Ad Corinthios

4 5. 8-10 162
8a. 10-11a 95
16-17 96
17-18 269
5 10-21 119
19b-20 443
6 4-7a 180
4-7 240
9 8-9 385
11 1-2 145
12 11b-12 443

Ad Galatas

1 15-16. 24a 400
2 19-20 164, 355
19b-20 403
3 22 - **4** 7 417
26-27 471
6-27; **4** 19 612
28 471
4 4-5 414
5 13-14 471
13-14. 16-18 43
16. 22. 25 145
16-25; **6** 14-17 347
6 9-10 208
14. 17b-18 404

Ad Ephesios

3 2-7 444
8-9 220, 311
4 15 502
23-24 56

Ad Philippenses

1 3-4. 7-8 222, 321
3-5a. 7-8 507
20b-21 96
29-30a; **2** 5 579
2 1-11 138
2b-4 385
8-11 427
3 7-8 402
8-21 49
4 4-7 403

Ad Colossenses

1 3. 19-22 575
9b-11 209
24 96
24-25 267, 429
2 6. 13-14 578
3 12-13 55, 502
12-17 360
14-15 369

1 Ad Thessalonicenses

2 2b-4 207
3 12-13 130

2 Ad Thessalonicenses

1 3b-5 240
11-12 557
2 13-14 354

1 Ad Timotheum

1 12 338
2 4-6 337
6 11-14 242

2 Ad Timotheum

1 8-10 238
3 10 - **4** 5 230
4 1-2 293
369

Ad Titum

2 11 555

Ad Hebraeos

4 14-16 430, 620
11 33 - **12** 3 261
12 1b-3 582

Iacobus

1 5-6 78
22. 25 44
3 17-18 78
5 7-8. 9b 131

1 Petri

1 22-23 384
3 15-16a 77

2 Petri

3 10. 13-15a 132

1 Ioannis

1 1-3 370
5-7 500
18-19a. 22b 44
2 3-6 46
3 16-18 386
23-24 44
4 7-21 376
9-11 575

Apocalypsis

12 3a. 4cd. 5-6a 195, 595
19 6-7 56
6-9 97
7. 9 [Cf.] 240
7-9 146
21 9-11 603
22 4-5 679

Evangelia ad Officium vigiliæ Sanctorum O.P. *

Matthæus

1, 1-16 692
5, 13-19 643, 647
19. 27-30 650
28, 16-20 647

Marcus

10, 17-27 650

Lucas

1, 26-38 648
1, 39-47 648
2, 46-51 648
3, 23-38 694
10, 1-9 647
14, 25-33 650

Ioannes

7, 14b-18 37b-39 645
14, 21-26 645
16, 23b-28 643
17, 1-11 645
17, 11b-19 643

Textus biblici ex Libello precum

Tobias
12 6-10 771*

Proverbia
9 3-6 771*

Isaias
61 1-3a 755*

Matthæus
5 1-12a 755*
6 31-33 770
10 5b-14 776*
11 25-30 755*

Marcus
6 7-12 776*
16 15-20 755*

Lucas
12 35-44a 755*

Ioannes
1 1-14 775*
15 9-17 776

Actus Apostolorum
2 42-47 771*

Ad Romanos
8 14-17 755*
12 9-15 771

2 ad Corinthios
9 6-15 771*

1 Ioannis
1 1-7 776*
4 7-11 776*

Apocalypsis
21 5-7 771*

INDEX AUCTORUM LECTIONUM HAGIOGRAPHICARUM [1]

Acta Canonizationis S.P. Dominici, 309*, 512.
Albertus Magnus, 526, 527, 530*, 598.
Anonymus, 92, 245.
Antoninus de Firenze, 200, 202.
Arintero, Ioannes, 284, 495.
Atencia, Romæus vel Rodericus de, 233.
Augustinus, 179*, 361, 366*.

Benedictus XI, 490.
Bernardus, 426*.
Berrio-Ochoa, Valentinus de, 480.
Brémond, Antoninus, 478.
Bzovii, F. Abraham, 271.

Cabasilas, Nicolaus, 606.
Cæcilia (Soror), 188.
Caffarini, Thomas Antonius, 157.
Castilionensis, Franciscus, 204.
Catharina de' Ricci, 90.
Catharina Senensis, 99, 111, 139, 155, 160*, 397, 408, 463, 590, 622.
Cerratensis, Rodericus, 282.
Chardon, Ludovicus, 615.
Concilium Vaticanum II, 114, 423, 514, 616.
Constitutiones Ordinis Prædicatorum, 273.
Couesnongle, Vincentius de, 380.
Cracoviensis, Stanislaus, 332.
Cyprianus, 510.

Dominicus, Sanctus Pater, 305, 340.

Franciscus Assisiensis, 399*.

Gabutius, Ioannes Antonius, 176.

Henricus Seuze, 60, 553, 568, 600.
Humbertus de Romans, 141, 186, 262, 333, 342, 350, 363, 394, 464, 592.

Innocentius IV, 231.
Ioannes Colonna, 40.
Ioannes Damascenus, 326, 540.
Ioannes Dominici, 250, 252.
Ioannes Paulus II, 191.
Ioannes XXIII, 468*.
Iordanus de Saxonia, 101, 104, 216, 244, 303, 309*, 488.

Lacordaire, Henricus-Dominicus, 493.
Lagrange, Maria Ioseph, 278.
Leo Magnus, 116*.
Liégé, Petrus Andreas, 516.
Lioni, F. G., 348.
Ludovicus Bertrán, 436, 439.
Ludovicus de Granada, 457, 466.

[1] Hoc signo * notantur lectiones tantum citatæ, sine textu expresse transcripto.

Origenes, 264.

Paulus VI, 377, 418.
Petrus de Verona, 235.
Pius XII, 50.

Rabanus Maurus, 276.
Raimundus a Capua, 407.
Raimundus de Penyafort, 39.
Rosa de Lima, 352*.

Savonarola, Hieronymus, 307, 570.

Tauler, Ioannes, 53, 448, 450, 608.
Taurisano, I., 305.
Thomas de Aquino, 70, 72, 74*, 174, 421, 551, 565.

Ventura Veronensis, 512.
Vincentius Ferrer, 120, 123, 127*, 624.

INDEX THEMATUM LECTIONUM ET LIBELLI PRECUM *

Abnegatio

Henricus Seuze 60
Tauler, Ioannes 449
Vide etiam: Mori sibi ipsi

Adhærere Deo

Arintero, Ioannes 284
Gaudium et spes 515
Gratias tibi ago 729
Humbertus de Romans 350, 466
Ludovicus de Granada 458
Tauler, Ioannes 452

Caritas

a) DEI VEL CHRISTI

Absorbeat, quæso 725
Catharina de' Ricci 91
Henricus Seuze 569
Ioannes Dominici 250
Ioannes Paulus II 191
Ludovicus Bertrán 437
Savonarola, Hieronymus 570
Thomas de Aquino 175, 566

b) ERGA DEUM VEL CHRISTUM

Antoninus de Firenze 200
Arintero, Ioannes 496
Augustinus 361
Catharina Senensis 409
Henricus Seuze 60
Ioannes Dominici 250
Ludovicus Bertrán 437
O beatissima et dulcissima 733
Preces in honorem S. P. Dominici 739
Savonarola, Hieronymus 570
Thomas de Aquino 70
Vincentius Ferrer 625, 753

c) ERGA FRATRES

Albertus Magnus 528
Augustinus 361
Catharina Senensis 463
Couesnongle, Vincentius de 381
Humbertus de Romans 352, 396
Iordanus de Saxonia 304, 488
Ludovicus Bertrán 437
O beatissima et dulcissima 733
Paulus VI 378
Preces in honorem S. P. Dominici 741
Savonarola, Hieronymus 308
Thomas de Aquino 175

* Ad hunc Indicem thematum — qui singula argumenta analytice non pertractat — recte adhibendum, præ oculis habeantur limitationes quibus, ex Auctorum voluntate et scientia, subiectus est.

Numerus paginæ locum indicat ubi thema quodammodo inveniri potest.

Ad Indicem aptandum pro editionibus Proprii linguis vernaculis (cf. Introductio generalis, n. 71) maxima libertas adhibeatur.

Castitas

O beatissima et dulcissima 732
Preces in honorem S. P. Dominici 739
Sancti Spiritus adsit 730

Certamen fidei

Benedictus XI 491
Berrio-Ochoa, Valentinus de 480
Brémond, Antoninus 478
Catharina de' Ricci 90
Dominicus 340
Liégé, Petrus Andreas 516

Consolatio

Humbertus de Romans 466
Ludovicus Bertrán 436
Origenes 265

Contemplatio

Ad te Matrem 783
Humbertus de Romans 344
Gabutius, Ioannes Antonius 177
Ludovicus de Granada 458
Omnipotens sempiterne Deus 728
Paulus VI 420
Petrus de Verona 235
Pro impetranda contemplatione 750
Vide etiam: Oratio

Conversio

Ad veniam ... impetrandam 745
Catharina Senensis 722
Humbertus de Romans 465
O beatissima et dulcissima 733

Cognitio Dei per creaturas

Albertus Magnus 526
Ludovicus de Granada 457
Vide etiam: Theologia

Corpus Mysticum

Arintero, Ioannes 496
Catharina Senensis 399
Ioannes Paulus II 192
Omnipotens sempiterne Deus 728

Crux Christi

Adoro te devote 726
Antoninus de Firenze 200
Catharina de' Ricci 91
Catharina Senensis 156
Chardon, Ludovicus 615
Preces in honorem S. P. Dominici 741
Raimundus de Penyafort 39
Savonarola, Hieronymus 571
Vincentius Ferrer 120, 752
Vide etiam: Iesus Christus - Passio Christi Sanguis Christi

Desertum

Ludovicus Bertrán 439

Devotio

Ad te Matrem 783
Humbertus de Romans 350, 465
Lumen gentium 114
Tauler, Ioannes 450

Discretio

Catharina Senensis 140
Henricus Seuze 61
Lacordaire, Henricus-Dominicus 494

Dominicus (S.)

Acta canonizationis 512
Cæcilia (Soror) 188
Catharina Senensis 398
Cerrato, Rodericus de 282
Humbertus de Romans 263, 365, 396
Ioannes Dominici 253
Iordanus de Saxonia 217, 303, 489, 735
Lacordaire, Henricus-Dominicus 493
Novem modi orandi sancti Dominici 305
Savonarola, Hieronymus 307
Vide etiam: Mores - Processus pro canonizatione - Translatio

Ecclesia

Arintero, Ioannes 496
Benedictus XI 490
Caffarini, Thomas Antonius 157
Catharina Senensis 397, 463, 782
Domine Iesu Christe 728
Gabutius, Ioannes Antonius 177
Humbertus de Romans 396
Ioannes Paulus II 191
Lacordaire, Henricus-Dominicus 493
Lumen gentium 423, 617
Pius XII 52
Preces in honorem S. P. Dominici 740
Tauler, Ioannes 448, 451

Eucharistia

Adoro te devote 726
Ave verum 727
Domine Iesu Christe 728
Liégé, Petrus Andreas 518
Omnipotens sempiterne Deus 727
Preces in honorem S. P. Dominici 740
Rosæ de Lima processus pro canonizatione 349

Evangelium

Couesnongle, Vincentius de 381
Iordanus de Saxonia 102
Liégé, Petrus Andreas 517
Ludovicus Bertrán 436
Paulus VI 418
Vide etiam: Verbum Dei

Evangelizatio

Ad te Matrem 783
Humbertus de Romans 334
Lagrange, Maria Ioseph 279
Preces in honorem S. P. Dominici 739
Rabanus Maurus 277
Rosæ de Lima processus pro canonizatione 349
Vide etiam: Prædicatio - Prædicator

Fidelitas

Brémond, Antoninus 478
Iordanus de Saxonia 488
Lumen gentium 115
Pro impetranda fidelitate 752
Raimundus a Capua 407
Savonarola, Hieronymus 307

Fides

Adoro te devote 726
Albertus Magnus 527
Brémond, Antoninus 478

Cyprianus 510
Ioannes Dominici 250
O beatissima et dulcissima 733
Petri de Verona bulla canonizationis 231
Vincentius Ferrer 625

Gaudium

Brémond, Antoninus 479
Henricus Seuze 60
Humbertus de Romans 593
Tauler, Ioannes 53

Habitus

Humbertus de Romans 142
Iordanus de Saxonia 102, 105

Humilitas

Catharina Senensis 139, 590
Couesnongle, Vincentius de 380
Gratias tibi ago 729
O beatissima et dulcissima 732
Omnipotens sempiterne Deus 727
Preces in honorem S. P. Dominici 741
Raimundus a Capua 408
Tauler, Ioannes 449
Thomas de Aquino 566

Iesus Christus

Absorbeat, quæso 725
Adoro te devote 726
Arintero, Ioannes 497
Ave verum 727
Catharina Senensis 155, 590
Chardon, Ludovicus 615
Cyprianus 510
Henricus Seuze 60, 568
Ioannes Paulus II 191
Lumen gentium 114, 616
Nicolaus Cabasilas 606
Rabanus Maurus 276
Savonarola, Hieronymus 570
Tauler, Ioannes 608
Thomas de Aquino 73, 174,551
Vincentius Ferrer 121, 624, 752

Vide etiam: Crux Christi - Incarnatio - Passio Christi - Regula (= Christus) - Resurrectio - Sanguis Christi

Incarnatio

Ad te Matrem 783
Catharina de' Ricci 90
Catharina Senensis 112
Gaudium et spes 516
Ioannes Damascenus 541
Lumen gentium 114, 423

Vide etiam: Iesus Christus

Induere Christum

Catharina Senensis 140

Iustitia

Catharina de' Ricci 90
Catharina Senensis 112
Couesnongle, Vincentius de 381
Preces in honorem S. P. Dominici 741
Thomas de Aquino 565

Libertas

Catharina Senensis 113
Lumen gentium 114
Petrus de Verona 235
Thomas de Aquino 72

Maria Virgo

a) TEXTUS GENERALES

Ad te Matrem 783
Albertus Magnus 598
Catharina Senensis 112, 590, 623, 782
Chardon, Ludovicus 615
Henricus Seuze 601
Humbertus de Romans 592
Ioannes Damascenus 326, 540
Ioannes Paulus II 191
Litaniæ B.M.V. 778
Lumen gentium 114, 423
Nicolaus Cabasilas 606
O beatissima et dulcissima 731
Savonarola, Hieronymus 571
Thomas de Aquino 421
Vincentius Ferrer 624
Virgo Dei Genetrix 734

b) MATERNITAS SPIRITUALIS

Catharina Senensis 99
Ioannes Paulus II 191
Lumen gentium 424, 616
Tauler, Ioannes 608

c) PATROCINIUM

Cæcilia (Soror) 189
Catharina Senensis 399
Humbertus de Romans 186, 335, 593
Iordanus de Saxonia 102, 106
Preces in honorem S. P. Dominici 741

d) ROSARIUM

Gabutius, Ioannes Antonius 177
Paulus VI 418
Rosæ de Lima processus pro canonizatione 348

Martyrium

a) GENERATIM

Brémond, Antoninus 478
Origenes 265
Petri de Verona bulla canonizationis 231
Preces in honorem S. P. Dominici 741

b) NARRATIO MARTYRII

Ignatii Delgado et sociorum 480
Petri de Verona 232, 233

Memoria Dei

Albertus Magnus 529
Henricus Seuze 553
Humbertus de Romans 465

Ministeria

Ad te Matrem 783
Catharina Senensis 463
Lumen gentium 617
Petrus de Verona 236
Preces in honorem S. P. Dominici 740
Thomas de Aquino 73

Misericordia

Arintero, Ioannes 284
Catharina de' Ricci 90
Catharina Senensis 112, 721
Cerrato, Rudericus de 283
Humbertus de Romans 352
Novem modi orandi sancti Dominici 306
Rosæ de Lima processus pro canonizatione 349
Thomas de Aquino 565

Moniales

Catharina Senensis 139
Dominicus 340
Iordanus de Saxonia 244
Petrus de Verona 235

Mores

Agnetis de Montepulciano 139
Antonini de Firenze 204
Ceslai 271
Dianæ 246
Dominici 223, 303, 489, 736
Fratrum Prædicatorum 478, 488, 490, 494
Hyacynthi 332
Ioannæ de Aza 283
Ioannis Macias 378, 380
Iordani de Saxonia 104
Margaritæ de Hungaria 50
Pii V 176
Raimundi de Penyafort 40
Reginaldi de Orléans 101
Rosæ de Lima 348
Vincentii Ferrer 123

Mori sibi ipsi

Henricus Seuze 61
Liégé, Petrus Andreas 516
Vide etiam: Abnegatio

Mors

a) GENERATIM

Cyprianus 510
Gaudium et spes 514
Liégé, Petrus Andreas 516

b) NARRATIO MORTIS

Catharinæ Senensis 157
Ceslai 272
Dominici 512
Vide etiam: Martyrium

Oblivio sui

Henricus Seuze 60

Obœdientia

Augustinus 362
Catharina Senensis 155
Gratias tibi ago 729
Ioannes Damascenus 326
Ioannes Dominici 254
Iordanus de Saxonia 105
Thomas de Aquino 566
Vide etiam: Sequela Christi

Observantia regularis

Augustinus 361
Benedictus XI 492
Catharina Senensis 156
Constitutiones antiquæ 273
Dominicus 340
Humbertus de Romans 141, 364
Iordanus de Saxonia 489
Raimundus a Capua 407

Oratio

Albertus Magnus 527, 528
Catharina Senensis 158
Henricus Seuze 554
Humbertus de Romans 351
Novem modi orandi sancti Dominici 305
Petrus de Verona 235
Pius XII 51
Preces in honorem S. P. Dominici 739
Rosæ de Lima processus pro canonizatione 348
Sancti Spiritus adsit 731
Tauler, Ioannes 451
Vide etiam: Contemplatio

Ordo prædicatorum

a) GENERATIM

Benedictus XI 490
Catharina Senensis 398
Ioannes Dominici 253

b) REGULA

Constitutiones antiquæ 273
Humbertus de Romans 363
Ioannes Dominici 252

c) ORIGINES

Benedictus XI 491
Cæcilia (Soror) 189
Humbertus de Romans 334, 395
Iordanus de Saxonia 102, 105
Lacordaire, Henricus-Dominicus 493

PÆNITENTIA

Augustinus 362
Humbertus de Romans 465
Ludovicus Bertrán 440
Paulus VI 378
Pius XII 52
Preces in honorem S. P. Dominici 739
Thomas de Aquino 71
Vide etiam: Conversio

PASSIO CHRISTI

Anonymus S. Catharinæ de' Ricci coævus 92
Antoninus de Firenze 200
Catharina Senensis 590
Henricus Seuze 568
Origenes 265
Savonarola, Hieronymus 570
Thomas de Aquino 565
Versus de Passione 723
Vide etiam: Crux Christi - Iesus Christus - Sanguis Christi

PASTORES

Benedictus XI 491
Catharina Senensis 397
Savonarola, Hieronymus 307
Thomas de Aquino 174

PATIENTIA

Gratias tibi ago 729
Humbertus de Romans 262, 350
O beatissima et dulcissima 732

PAUPERTAS

Castiglione, Franciscus 204
Catharina Senensis 140, 398
Couesnongle, Vincentius de 380
Iordanus de Saxonia 304
Lacordaire, Henricus-Dominicus 494
Paulus VI 378
Preces in honorem S. P. Dominici 741
Thomas de Aquino 72

PAX

Raimundus de Penyafort 39
Tauler, Ioannes 53
Thomas de Aquino 72

PERFECTIO

Vide: SANCTITAS

PRÆDICATIO

Constitutiones antiquæ 274
Lacordaire, Henricus-Dominicus 493
Ludovicus Bertrán 439
Savonarola, Hieronymus 307
Thomas de Aquino 73
Vita beati Ceslai 272
Vide etiam: Evangelizatio

PRÆDICATOR

In undecima hora vitæ prædicatoris 743

Iordanus de Saxonia 102, 303
Ludovicus Bertrán 439
Oratio prædicatoris 743
Savonarola, Hieronymus 307
Vincentius Ferrer 123
Vita sancti Hyacinthi 332

Processus pro canonizatione

Dominici 512
Margaritæ de Hungaria 50
Petri de Verona 231
Rosæ de Lima 348

Professio religiosa

Humbertus de Romans 593
Ioannes Dominici 252

Quærere Deum

Arintero, Ioannes 285
Henricus Seuze 553
Humbertus de Romans 465
Paulus VI 378
Savonarola, Hieronymus 570

Reconciliatio

Albertus Magnus 528

Redemptio

Antoninus de Firenze 200
Catharina de' Ricci 90
Chardon, Ludovicus 615
Henricus Seuze 568
Ioannes Paulus II 191
Savonarola, Hieronymus 571
Thomas de Aquino 566

Regnum Dei

Cyprianus 511
Lumen gentium 425
Tauler, Ioannes 450

Regula (= Iesus Christus)

Arintero, Ioannes 498
Catharina Senensis 112, 155, 591

Renovatio

Iordanus de Saxonia 488
Lacordaire, Henricus-Dominicus 493

Resurrectio

Cyprianus 510
Gaudium et spes 515
Lagrange, Maria Ioseph 278
Liégé, Petrus Andreas 518
Rabanus Maurus 276
Vincentius Ferrer 624

Salus animarum

Catharina de' Ricci 90
Catharina Senensis 140, 623
Constitutiones antiquæ 274
Humbertus de Romans 334
Preces in honorem S. P. Dominici 740
Rosæ de Lima processus pro canonizatione 349
Thomas de Aquino 73, 566

Sanctitas

Arintero, Ioannes 284, 496
Catharina Senensis 721
Henricus Seuze 553
Iordanus de Saxonia 489
Ludovicus de Granada 467
Savonarola, Hieronymus 308

Sanguis Christi

Adoro te devote 726
Antoninus de Firenze 201
Caffarini, Thomas Antonius 159
Catharina de' Ricci 91
Catharina Senensis 156, 409
Vide etiam: Crux Christi - Iesus Christus - Passio Christi

Sapere Deum

Adoro te devote 726
Catharina Senensis 157
Tauler, Ioannes 53

Sapientia

Ad vitam sapienter instituendam 746
Antoninus de Firenze 202
Castiglione, Franciscus 205
Doctor angelice 742
Thomas de Aquino 74

Scientia

Catharina Senensis 398
Ludovicus de Granada 458
Vide etiam: Sapientia-Studium

Scriptura sacra

Vide: Verbum Dei

Sequela Christi

Anonymus S. Catharinæ de' Ricci coævus 92
Catharina Senensis 155, 623
Constitutiones antiquæ 274
Gaudium et spes 516
Henricus Seuze 61, 569
Humbertus de Romans 466
Iordanus de Saxonia 737
Liégé, Petrus Andreas 517
Tauler, Ioannes 53
Thomas de Aquino 73, 566

Silentium

Dominicus 341
Humbertus de Romans 342
Tauler, Ioannes 609

Spes

Cyprianus 510
Liégé, Petrus Andreas 516

Spiritus sanctus

Ad te Matrem 783
Arintero, Ioannes 285, 496
Catharina Senensis 397, 591
Gaudium et spes 515
Ioannes Damascenus 541
Ioannes Paulus II 191
Liégé, Petrus Andreas 518
Lumen gentium 115
Raimundus a Capua 407
Sancti Spiritus adsit 730
Thomas de Aquino 70

Sponsus - Sponsa

Anonymus S. Catharinæ de' Ricci coævus 92
Catharina Senensis 140, 408
Iordanus de Saxonia 244
Pius XII 51
Tauler, Ioannes 609

Studium

Ante lectionem, scriptionem vel prædicationem 748
Benedictus XI 492
Constitutiones antiquæ 274
Doctor angelice 742
Humbertus de Romans 334, 351, 365
Rosæ de Lima processus pro canonizatione 349

Tentatio

Ad S. Catharinam Senensem 742
Catharina Senensis 156
O beatissima et dulcissima 732
Vide etiam: Tribulationes

Testimonium

Ad te Matrem 783
Berrio-Ochoa, Valentinus de 480
Humbertus de Romans 396
Ioannes Paulus II 193
Tauler, Ioannes 53
Vita beati Ceslai 272

Theologia

Antoninus de Firenze 202
Ioannes Dominici 251
Ludovicus de Granada 457
Vide etiam: Cognitio Dei per creaturas - Scientia - Studium

Translatio

Dominici 217, 489

Tribulationes

Brémond, Antoninus 478
Catharina Senensis 140
Couesnongle, Vincentius de 380
Gaudium et spes 515
Humbertus de Romans 263
Raimundus de Penyafort 39
Tauler, Ioannes 53

Trinitas

Ad veniam ... impetrandam 745
Antoninus de Firenze 202
Caffarini, Thomas Antonius 158
Catharina Senensis 590, 721, 782
Domine Iesu Christe 728
Ioannes Damascenus 542
Ioannes Dominici 251

Verbum Dei

Ad te Matrem 783
Castiglione, Franciscus 205
Lumen gentium 114
Savonarola, Hieronymus 308
Vide etiam: Evangelium

Veritas

Adoro te devote 726
Catharina Senensis 409
Humbertus de Romans 142

Virtutes

Benedictus XI 492
Brémond, Antoninus 479
Catharina Senensis 139, 463, 721
Gratias tibi ago 729
Henricus Seuze 60
Humbertus de Romans 141
Iordanus de Saxonia 244
Liégé, Petrus Andreas 517
Ludovicus Bertrán 439
Pro obtinendis virtutibus 749
Thomas de Aquino 566
Vide etiam nomina singularum virtutum

Vita apostolica

Brémond, Antoninus 478
Humbertus de Romans 334, 364
Vincentius Ferrer 123

Vita in Christo

Henricus Seuze 61
Liégé, Petrus Andreas 517

Raimundus de Penyafort 39
Vide etiam: Iesus Christus

VITA INTERIOR

Arintero, Ioannes 284
Humbertus de Romans 351, 465
Paulus VI 379
Tauler, Ioannes 449, 450
Vide etiam: Virtutes

VOCATIO

Gaudium et spes 515
Iordanus de Saxonia 102, 104

VOLUNTAS DEI

Catharina Senensis 100, 156
Tauler, Ioannes 609

INDEX ALPHABETICUS CELEBRATIONUM

Proprium de Sanctis

Ægidius de Vaozela, presbyter	15 maii	212
Æmilia Bicchieri, virgo	4 maii	183
Agnes de Montepulciano, virgo	20 apr.	137
Aimo Taparelli, presbyter	14 aug.	324
Albertus de Bergamo, paterfamilias	7 maii	183
Albertus Magnus, episcopus et Eccl. doct.	15 nov.	523
Alphonsus Navarrete, presb., et Socii, mart.	6 nov.	475
Alvarus de Cordoba, presbyter	19 febr.	108
Ambrosius Sansedoni, presbyter	8 oct.	433
Andreas Abellon, presbyter	15 maii	213
Andreas de Peschiera, presbyter	19 ian.	57
Andreas Franchi, episcopus	27 maii	224
Anniversarium:		
— Familiarium et Benefactorum defunctorum O.N.	5 sept.	373
— Omnium Fratrum et Sororum O.P. defunctorum	8 nov.	509
— Patrum et Matrum defunctorum	7 febr.	98
Annuntiatio Domini	25 mart.	110
Antoninus de Firenze, episcopus	10 maii	196
Antonius Della Chiesa, presbyter	22 ian.	58
Antonius Neyrot, presb. et martyr	10 apr.	133
Antonius Pavoni, presb. et martyr	3 febr.	86
Assumptio B. Mariæ Virginis	15 aug.	325
Augustinus, episcopus et Eccl. doct.	28 aug.	358
Augustinus de Biella, presbyter	24 iul.	281
Augustinus Kazotic, episcopus	3 aug.	287
Bartholomæus Cerveri, presb. et martyr	3 febr.	87
Bartholomæus de Vicenza, episcopus	27 oct.	454
Bartholomæus Longo, sod. laicus	6 oct.	411
Benedictus XI, papa	7 iul.	259
Benvenuta Boiani, virgo	30 oct.	455
Bernardus Scammacca, presbyter	11 ian.	47
Bertrandus de Garrigue, presbyter	6 sept.	374
Cæcilia et Diana, virgines	8 iun.	243
Catharina de Racconigi, virgo	4 sept.	372
Catharina de' Ricci, virgo	4 febr.	87
Catharina Senensis, virgo et Eccl. doct.	29 apr.	148
Ceslaus de Polonia, presbyter	17 iul.	271
Christophorus de Milano, presbyter	20 febr.	108
Clara Gambacorta, religiosa	17 apr.	135

Columba de Rieti, virgo . . . . . 21 maii 214
Conceptio Immaculata B. Mariæ Virginis . 8 dec. 540
Constantius de Fabriano, presbyter . . . 24 febr. 109

Dalmatius Moner, presbyter . . . . . 24 sept. 388
Damianus de Finalborgo, presbyter . . . . 26 oct. 453
Dedicatio ecclesiæ . . . . . 22 oct. 447
Diana et Cæcilia, virgines . . . . . 8 iun. 243
Dominicus, S. P., presbyter:
— Sollemnitas . . . . . 8 aug. 289
— Translatio . . . . . 24 maii 215
Dominicus Spadafora, presbyter . . . . . 3 oct. 390

Franciscus Assisiensis, S. P., diaconus . . 4 oct. 390
Franciscus Coll Guitart, presbyter . . . . 19 maii 213
Franciscus de Capillas, presb., et Socii, martyres . . . . . 6 nov. 475
Franciscus de Posadas, presbyter . . . . . 20 sept. 388

Guala de Bergamo, episcopus . . . . . 2 sept. 372
Guillelmus Arnaud et Socii, martyres . . 29 maii 225
Gundisalvus de Amaranto, presbyter . . . 10 ian. 46

Hadrianus Fortescue, paterf. et martyr . . 8 iul. 259
Henricus Seuze, presbyter . . . . . 23 ian. 59
Hosanna de Kotor, virgo . . . . . 27 apr. 147
Hosanna de Mantova, virgo . . . . . 18 iun. 256
Hyacinthus de Polonia, presbyter . . . . 17 aug. 329

Iacobus Benfatti, episcopus . . . . . 19 nov. 537
Iacobus de Bevagna, presbyter . . . . . 26 aug. 357
Iacobus de Ulm, religiosus . . . . . 11 oct. 445
Iacobus de Varazze, episcopus . . . . . 13 iul. 270
Iacobus Salomoni, presbyter . . . . . 30 maii 226
Iesus Christus D.N.:
— Annuntiatio . . . . . 25 mart. 110
— Annuntiationis vigilia . . . . . 24 mart. 110
— *Officia votiva:*
Nomen . . . . . [3 ian.] 547
Patiens . . . . . [4 maii] 559
Ignatius Delgado, ep., et Socii, martyres . 6 nov. 475
Imelda Lambertini, virgo . . . . . 13 maii 211
Immaculata Conceptio B. Mariæ Virginis . 8 dec. 540
Innocentius V, papa . . . . . 23 iun. 258
Ioanna, mater S. P. Dominici . . . . . 2 aug. 282
Ioanna de Orvieto, virgo . . . . . 24 iul. 281
Ioanna de Portugallia, virgo . . . . . 12 maii 210
Ioannes de Köln, presb., et Socii, martyres 9 iul. 260
Ioannes de Salerno, presbyter . . . . . 9 aug. 323
Ioannes de Vercelli, presbyter . . . . . 1 dec. 539

Ioannes Dominici, episcopus	10 iun.	249
Ioannes Liccio, presbyter	14 nov.	521
Ioannes Macias, religiosus	18 sept.	374
Iordanus de Pisa, presbyter	19 aug.	345
Iordanus de Saxonia, presbyter	13 febr.	104
Isnardus de Chiampo, presbyter	19 apr.	136
Laurentius de Ripafratta, presbyter	28 sept.	389
Lucia de Narni, virgo	14 nov.	522
Ludovicus Bertrán, presbyter	9 oct.	434
Magdalena Panatieri, virgo	13 oct.	446
Mannes, presb., frater S. P. Dominici	18 aug.	340
Marcolinus de Forlì, presbyter	27 ian.	62
Marcus de Modena, presbyter	20 sept.	387
Margarita de Città di Castello, virgo	13 apr.	134
Margarita de Hungaria, virgo	18 ian.	48
Margarita de Savoia, materf. et religiosa	24 nov.	537
Margarita Ebner, virgo	20 iun.	257
Maria, Beata Virgo:		
— a Rosario	7 oct.	412
— Assumptio	15 aug.	325
— Immaculata Conceptio	8 dec.	540
— *Officia in sabbato:*		
Mater Dei		589
Mater Gratiæ		605
Mater Misericordiæ		614
Regina Apostolorum		621
Regina Virginum		597
— Patrocinium supra Ordinem Prædicatorum universum	8 maii	184
Maria Bartholomæa Bagnesi, virgo	28 maii	225
Maria Magdalena	22 iul.	275
Maria Mancini, religiosa	17 apr.	135
Martinus de Porres, religiosus	3 nov.	460
Matthæus Carreri, presbyter	8 oct.	433
Nicolaus Paglia, presbyter	16 febr.	107
Omnes Sancti	1 nov.	456
Omnes Sancti Ordinis Prædicatorum	7 nov.	483
Patrocinium B. Mariæ Virginis supra Ordinem Prædicatorum universum	8 maii	184
Petrus de Città di Castello, presbyter	21 oct.	446
Petrus de Ruffìa, presbyter et martyr	3 febr.	86
Petrus de Verona, presbyter et martyr	4 iun.	227
Petrus Geremia, presbyter	25 oct.	453
Petrus Gonzales, presbyter	14 apr.	134
Pius V, papa	30 apr.	171

Raimundus a Capua, presbyter	5 oct.	406
Raimundus de Penyafort, presbyter	7 ian.	36
Reginaldus de Orléans, presbyter	12 febr.	101
Rosa de Lima, virgo	23 aug.	345
Sadoc et Socii, martyres	2 iun.	227
Sebastianus Maggi, presbyter	16 dec.	543
Sibyllina Biscossi, virgo	19 apr.	136
Simon Ballacchi, religiosus	5 nov.	475
Stephana Quinzani, virgo	3 ian.	35
Stephanus Bandelli, presbyter	12 iun.	255
Thomas de Aquino, presbyter et Eccl. doct.	28 ian.	63
Translatio S. P. Dominici	24 maii	215
Vigilia Annuntiationis Domini	24 mart.	110
Villana de' Botti, materfamilias	29 ian.	84
Vincentius Ferrer, presbyter	5 apr.	118
Zdislava de Moravia, materfamilias	4 ian.	35

Aliæ celebrationes

Benedictio infirmorum in nonnullis Provinciis O.P. adhibita . . . 755

Cantica et Evangelia pro Vigiliis celebrationum Sanctorum O. P. . . . 642

Cantus Genealogiæ:
— In Epiphania Domini . . . 694
— In Nativitate Domini . . . 692

Capitulum Sollemne:
— In vigilia Annuntiationis Domini . . . 110
— In vigilia Nativitatis Domini . . . 691

Officia votiva:
— Sanctissimi Nominis Iesu . . . 547
— D. N. Iesu Christi patientis . . . 559
— B. Mariæ Virginis in sabbato . . . 587

Oratio ex Libro Lamentationum . . . 703

Orationes pro peculiaribus adiunctis:
— Benedictio pro itinerantibus . . . 773
— Preces pro Familia Dominicana et pro benefactoribus . . . 764
— Pro Capitulo generali vel provinciali et euntibus ad illud . . . 757

Processiones:
— Ad Salve Regina . . . 683
— In Dominica Resurrectionis . . . 706

Responsoria prolixa pro festis Domini et Sanctorum . 651

Versus litanici in cantu pro Triduo paschali . . . 703

Versus de Passione D. N. Iesu Christi . . . 723

INDEX GENERALIS

Decreta Sacræ Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino V

Litteræ promulgationis « Orationi et Prædicationi » IX

Introductio generalis

Proœmium XXXI

I. Intentio et indoles huius novi Proprii . XXXIII

II. Proprium de Sanctis XXXVIII

III. Supplementa LVI

IV. Translationes Proprii O.P. linguis vernaculis LX

V. Indicationes complementares LXIII

Conclusio LXVIII

Nota circa redactionem LXX

Indicationes quædam pro celebrationibus liturgicis in Ordine Prædicatorum LXXV

Adnotationes complementares. De celebrationum nostrarum liturgicarum symbolica ratione:

Proœmium 3

I. Vita liturgica communitatum 4

A) Celebratio Officii 4

B) Cantus Officii et repertorium Proprii . . 13

II. De usu et aptationibus ad diversas Communitates 17

Conclusio 21

Index siglorum 23

Calendarium Ordinis Prædicatorum 28

PROPRIUM DE SANCTIS

Ianuarius 35
Februarius 86
Martius 110
Aprilis 118
Maius 183
Iunius 227
Iulius 259
Augustus 282
September 372
October 390
November 456
December 539

OFFICIA VOTIVA

Sanctissimi Nominis Iesu 547
Domini nostri Iesu Christi patientis 559

OFFICIA
B. MARIÆ VIRGINIS IN SABBATO

Sancta Maria Mater Dei 589
Sancta Maria Regina Virginum 597
Sancta Maria Mater Gratiæ 605
Sancta Maria Mater Misericordiæ 614
Sancta Maria Regina Apostolorum 621

APPENDIX
AD PROPRIUM DE SANCTIS

I. Orationes super psalmos et cantica 631
II. Cantica et Evangelia pro Vigiliis celebrationum Sanctorum O.P. 642
III. Responsoria prolixa pro festis Domini et Sanctorum:
I. Proprium de Sanctis 651
II. Communia Sanctorum 666

SUPPLEMENTA

Ad Completorium 673
Elementa propria de Tempore 687
Tempus Adventus 689
Tempus Nativitatis 691
Tempus Quadragesimæ 695
Hebdomada sancta et Sacrum Triduum paschale 701
Tempus paschale 706
Tempus per annum 709

EXCERPTA E LIBELLO PRECUM IN ORDINE TRADITARUM

Summarium 718
Prænotanda 719
I. Orationes circa mysterium Dei et œconomiam salutis 721
II. Orationes ad Sanctos Ordinis nostri 735
III. Orationes variæ et Sanctis nostris tributæ . . 743
VI. Orationes pro peculiaribus adiunctis 757
V. Litaniæ B. Mariæ Virginis ab Ordine receptæ . 778

INDICES

Index siglorum 23
Index psalmorum et canticorum 787
Index hymnorum et responsoriorum 790
Index lectionum biblicarum 799
Index auctorum lectionum hagiographicarum . . 803
Index thematum lectionum et Libelli precum . . 805
Index alphabeticus celebrationum 816
Index generalis 820

Laudare

Benedicere

Prædicare

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS